



Eguiara Bibliot. Mexica









BIBLIOTHECÆ MEXICANÆ

TOMUS PRIMUS

Exhibens Litteras A B C.

BIBLIOTHECA MEXICANA
SIVE
ERUDITORUM HISTORIA VIRORUM,

qui in America Boreali nati, vel alibi geniti, in ipsam Domicilio aut Studijs asciti, quavis linguâ scripto aliquid tradiderunt:

Eorum præsertim qui pro Fide Catholicâ & Pietate ampliandâ fovendâque, egregiè factis & quibusvis Scriptis floruere editis aut ineditis.

FERDINANDO VI
HISPANIARUM REGI CATHOLICO
NUNCUPATA.

AUTHORE

D. JOANNE JOSEPHO DE EGUIARA ET EGUREN,

Mexicano, electo Episcopo Jucatanensi, Metropol. Ecclesiæ patriæ Canonico Magistrali, Regiæ et Pontificiæ Universitatis Mexicanensis Primario et Emerito Theologiæ Antecessore, quondamque Rectore, apud Sanctæ Inquisitionis Officium Censore, Illmi. Archiepiscopi Mexicani Consultore, et Diœcesis Examinatore Synodali, Capucinarum Virginum à Confessionibus et alijs sacris.

TOMUS PRIMUS

Exhibens Litteras A B C.

MEXICI:

Ex novâ Typographiâ in Ædibus Authoris editioni ejusdem Bibliothecæ destinatâ. Anno Domini MDCCLV.

FERDINANDO VI
HISPANIARUM
AC NOVI ORBIS
REGI CATHOLICO

Dr. Joannes Josephus de Eguiara & Eguren

Felicitatem.

GEmina ſunt, Catholice Rex Ferdinande, & gravia momenta, quæ me Bibliothecam Mexicanam ſcribere aggredientem, & ut ut

poteram adornantem, ipſa ut Tuo inſcripta auguſtiſſimo Nomini dicataque in publicum iret, non allexerunt tantũ & invitarunt, ſed, jucundiſſimâ mihi neceſſitate, impulerunt etiam & coegerunt. Nam & ſi Opus Te dignum ab iſta ingenij mei & eruditionis mediocritate profiſciſci non poſſe cognoverim, Argumentum tamen Operis, rudis licét & impoliti, ſuopte genio unum Te Patronum ambit, & palam requirit. Adhæc beneficia, queis, pro Regiâ tuâ munificentiâ, & in me cohoneſtando gratiâ & humanitate, meum Tibi animum iterum atque iterum devinxiſti, ut me unà cum elucubratis á me Libris demiſiſſimé Majeſtati Tuæ ſiſtam, docent atque perurgent. Et quòd ad Librorum inſtitutum ſpectat, Bibliothecam Mexicanam legenti, nulli dubium erit, quin illud facilè in Te involet, ne dum Mecœnatem atque Patronum, ſed verò etiam Creditorem ac Dominum. Ecquis enim, in Te non videt redivi-

vos

vos Hiſpaniarum & Indiarum Monarchas, eximiarum laude virtutum,& nunquam interitura gloria clariſſimos? Ferdinandum V, cujus auſpicijs novus Orbis, tandiu veterem latens, fauſto demum ſidere aparuit, & Catholicæ Eccleſiæ Romanæ aggregari cœpit atque conjungi? Carolum inter Cæſares V, quo rerum potiente, & Indijs Fideique invigilante, vaſtiſſimum florentiſſimumque Imperium Mexicanum Hiſpano juxtá & Chriſtiano nomini deditum, incredibiles ferme, & ſané fauſtiſſimas noſtræ Religioni acceſſiones peperit, & appẽdices jucundiſſimas, ac etiamnum immenſas, nec eruditis viris ingratas? Philippum II, cui ad clavum ſedenti, qua erat egregia ſapientiâ & pietate, nil antiquius fuit, quam ut Orbis novus quotidiana in virtutibus & litteris incrementa capeſſeret? Philippos item III & IV, Carolumque II, quos nihilo ſegniores America experta eſt in ejuſdem rebus accurandis Parentes? Atque ut uno omnes omnia

que complectar, Philippum V, genitorem Tuum gloriosissimum, adversus Americanos, queis cordi perpetuò fuit, beneficentissimum amantissimumque? Hos profectó Augustissimos Decessores Tuos Tu ipse cum referas imitereque quam exacté, omnium in Te uno dotes animi & virtutes complexus; & *Justus* publica audis nuncupatione, quæ eximia Tua decora verbo definit & ob oculos ponit; & Hispaniarum unáque Indiarum cunctos retro præclaros Principes suspiciendos exhibes & laudandos. Jam verò, si nemo est qui ignoret, Illorum strenuâ quidem operâ, immensis propemodum sumptibus, & incredibili diligentiâ, Urbes, Provincias, Regna, Americãque propemodum universam Borealem eximia floruisse Religione ac Pietate, & in Scientijs Artibusque cultura; quæ Bibliotheca isthæc docet, in lucem productis Scriptoribus plurimis, qui & Libris exaratis, & egregijs laboribus ac virtutibus, Fidem Catholicam propa-

ga-

garunt atque foverunt, Litteris tradendis insudarunt & institerunt, in quibus etiamnum, Te fautore beneficentissimo, alacriter pergunt, & quotidianas operas ponunt; Ipsam, tota quota est, Bibliothecam Mexiceam Tui esse juris nullus non dicet, succenserent que mihi æqui rerum æstimatores, ceu furti reo, ni quidquid est hujusce Operis, Tibi consecrarem ac redderem. Accedit, quod superius jam insinuavi momentum alterum, cui obniti ingenuo viro turpissimum haberetur & indecorum, Tua, inquam, in me beneficijs augendo Regia plane humanitas & benignitas. Nam postea quam, Tuis in Academia Mexicanensi stipendijs, Primariam Theologiæ Cathedram rexeram, atque Emeritum egeram Professorem, Sacerdotio Metropolitanæ Ecclesiæ Mexiceæ pro habendis Concionibus dignatus es me; nec diu post ad Episcopales Jucatanenses Infulas promovisti. Tum verò, quòd amplissimæ isti Dignitati ferendæ imparem

 me

me cognorim, & infirmâ ad id officij corporis valetudine, & animi virtutum cæterarumque dotium exilitate; ea ut me liberatum velles provincia, cernuus ſupplexque ubi Tuam Clementiam rogavi, æqui & boni cauſas á me expenſas duxiſti, datisque, ut Tua eſt eximia in ſubditos Tibi clementia, Regijs Litteris, illuſtriſſimo juxtá & graviſſimo faſce levatum me, ut Bibliothecæ Mexicanæ, de qua conſcribenda certiorem Te feceram, ornandæ inſiſterem, gratum habuiſti, & additis ſtimulis excitaſti. Hæc cúm ita habeant, Bibliothecã ipſam Mexicanam non uno tantúm nomine nuncupandam Tibi eſſe, cúm ejuſdem materies & ratio, meum tum etiam officium monet exigitque; ut ſubinde committere non poſſim, quin publicam Opus hocce lucem viſurum, Tuam beneficentiſſimam umbram expoſcat, á qua & præſidium validiſſimum habeat, quod in Te uno America noſtra collocatum ſibi gratulatur ac conſtitutum, & (quem ab Authore

ſpe-

ſperaret nunquam) á Te ipſo ſplendorem hauriat ampliſſimum. Quod ſi, ut ſcripſit aureo eloquentiæ flumine juxtàque egregia vitæ ſanctitate præclarus Eccleſiæ Doctor Sanctus Joannes Chryſoſthomus, *Orientibus Solis radijs, & tenebræ fugantur, & feræ latitant, foveisque conduntur: & latrones recedunt, & homicidæ ad antra ſuffugiunt, & amoventur pyratæ, & ſepulchrorum violatores fugantur, & adulteri, & fures, & domorum perfoſſores deprehenſi á Sole & redarguti; periclitantes abeunt, ſeſeque alicubi procul occultant;* ſperabo profecto fore, ut Bibliotheca iſthæc, quæ in Te ſe recipit beneficentiſſimum Solem, cujus obarmata radijs, Litteratorum Theatro ſiſtatur, tenebriones vereatur nullos, quos nonnunquam infeſtos ſibi habuere Mexicanenſes: umbras diſpellat, in quibus illi conſepultos nos opinantur & garriunt, imò verò ſomniant atque delirant: & tandem aliquando compertum habeant, ijs etiam, Occidentis li-

S.Chryſoſtom. Hom. I. de laud. Pauli.

 cét,

cét, plagis lucem ipſam ſapientiæ, quæ apud Orbem veterem ſplendeſcit, jam diu affulſiſſe, incrementaque ad meridiem uſque captaſſe, quæ porro Americani accepta referunt Soli ſuo, id eſt, Tibi, Potentiſſime Rex, Auguſtiſſimorum Regum hæredi, vividæ ac ſpiranti eorundem imagini, Hiſpaniarum & novi Orbis delicio. Precor itaque ex animo Supremum Numen, ut poſt adminiſtratas (quod feciſti hactenus) æquiſſimis legibus tot Provincias & Regna, ad Beatorum ſedes & gaudia placidiſſimé deducaris.

AP-

APPROBATIO
P. JOANNIS ANTONII DE OVIEDO
Societatis Jesu, Sancti Inquisitionis Officij Qualificatoris, et Illustrissimæ Congregationis Purissimæ Virginis MARIÆ in Collegio Maximo Mexicano Præfecti.

GRatissimo, & jucundissimo animo decretum accepi, quo Excmûs. D. D. Joannes Franciscus de Guemez & Horcasitas Comes de Revilla Gigedo, Catholicæ Majestatis à Consilijs & Cubiculis, & ejusdem loco hujus Novæ Hispaniæ Prorex, & Regalis Chancellariæ dignissimus Præses mihi dignatus est committere, ad censuram dicam, an admirationem selectissimum Opus, quo Perillustris D. D. D. Joannes Josephus de Eguiara Primariæ Theologiæ Cathedræ in Regia, ac Pontificia Mexicana Academia Professor Emeritus, Metropolitanæ Ecclesiæ Canonicus Magistralis, & ad Jucatanensis Ecclesiæ Sacras Infulas, quas eâ, quâ pollet modestia, & humilitate adire recusavit, jam pridem electus, bono Patriæ, & Americæ hujus Septentrionalis nomini consulens locupletissimam Bibliothecam adornavit, in qua manifestum facit, Americam nostram non modò auro, argento, & pretiosis alijs opibus, quibus Hispaniam, imò & Europam totam locupletat, abundare, sed & innumeris nobilitate, religione, & litteratura præclarissimis Viris, quorum nomina, & opera accuratissimo studio investigavit, semper fuisse, & esse refertam. Sciebat enim præstantissimus Doctor bonum nomen, & famam ex Sacro Proverbiorum oraculo quibuslibet alijs divitijs longè præstare. Nec eminentissimum in omni Sacra & prophana eruditione Virum latebat, Patriam (quod ajebat Hierocles apud Stobæum) esse quasi alterum Deum, primumque & maximum Parentem, cujus bono propagando nomini debent filij sedulo invigilare, & Coronam quam egregijs sibi facinoribus promeruerint, non sibi, sed Patriæ cedere, & vendicare; quod olim Græci, teste Plinio, cives suos edocebant. Prodeat ergo in publicam lucem absolutissimum Opus, in quo cum aliàs nullum offendiculum vel severior Criticorum Censura possit invenire, Lectores ex tot selectissimis sanctitate, & litteratura Viris, quorum nomina & opera præsens Bibliotheca recenset, animos faciant ad ingenia litteris excolenda, & spiritus virtutibus exornandos. Ita censeo salvo meliori in hoc SS. AA. Petri & Pauli Maximo S. Jesu Collegio die 27 Aprilis anno Dñi. 1755.

Prov. c. 22.

Stob. serm. 37.

Plin. lib. 16. cap. 4.



IHS

Joannes Antonius de Oviedo.

C *VIN-*

VINCENTII LUPII
è Societate Jesu
CENSURA.

Domine Pro-Archiepiſcope.

POſt ſalutem plurimam Dominationi Veſtræ animitùs dictam, ſentio, ac profiteor, *Bibliothecam D. Doctoris Joannis Joſephi Eguiaræ* editionem, & lucem publicam jure quodam optimo poſtulare; tum quòd in ea ſit nihil à veræ Fidei decretis, aut moribus antiquis alienum: tum quòd ex umbra, in aciem & Solem prodire faciat, non modò Scriptores Americæ noſtræ, ſed illorum etiam facinora egregia, qui pro Dei gloria, ac dilatando Evangelio maximè inſudaverunt, deſcribat, laudet, amplificet. Unde illa duo facile conſequentur, juventutis, inquam, noſtræ majus in dies ad excolendas Scientias ſtudium, & ardor, & honeſtè, ac præclarè factorum accurata ac diligens imitatio.

De Authore vero Libri (quando plura ſunt mihi inſignia, & illuſtria, modeſtiæ ejus gratiâ, ſilentio premenda) unum illud libenter uſurpo, quod de Nepotiano ſuo Hieronymus. *Lectione aſſidua, & meditatione diuturna pectus ſuum Bibliothecam fecerat Chriſti.*

S. Hieron. tom. 1. poſt med. Epiſt. 3. Heliod.

Inter hæc precor D. O. M. ut Dominat. V. ſalvam diu, & incolumem velit. Mexici poſtr. Id. Jan. anni Dni. 1755. In Collegio Societatis JESU Sanct-Andreano.

Paratiſſ. ad officia



IHS

 *Vincentius Lupius.*

Ex-

EXcellentiſſimus D. D. Joannes Franciſcus de Guemez et Horcaſitas Comes de Revilla Gigedo, Novæ hujus Hiſpaniæ Pro-Rex, viſâ præcedenti Approbatione à R. P. Doctore Joanne Antonio de Oviedo Societatis Jeſu, Sancti Inquiſitionis Officij Qualificatore, et Illuſtriſſimæ Congregationis Puriſſimæ Virginis Mariæ apud Collegium Maximum Mexicanum Præfecto, datâ, ut hic Tomus I Bibliothecæ Mexicanæ excudatur conceſſit die 28 Aprilis anno Domini 1755.

PErilluſtris D. D. D. Franciſcus Xaverius Gomez de Cervantes Primarius et Emeritus Sacrorum Canonum in Academia Mexicana Profeſſor, Vicarius Generalis Mexicei Archiepiſcopatus, electus Epiſcopus Portudivitenſis, editionem hujus Tomi I Bibliothecæ Mexicanæ permiſit, viſâ Approbatione R. P. Vincentij Lupij Societatis Jeſu, Sanctæ Inquiſitionis à cenſuris, Decreto ſubſcripto die 31 Januarij anno Domini 1755.

ERRORES TYPOGRAPHICI ALIQUOT CORRIGENDI

HOC PRIMO TOMO.

IN ANTELOQUIIS.

Ant. 1 Pag. 3 lin. 15 pro *cimmerijs* scribe *Cimmerijs*.
Ibid. p. 1 lin. 3 pro *Carpentanorum* scribe *Carpetanorum*.
Ibid. pag. 4 lin. 2 pro *sumite* scribe *summite*.
Ibid. lin. 30 pro *commostraremus* scribe *commonstraremus*.
Ant. 2 Pag. 1 lin. 21 pro *dædolari* scribe *dedolari*.
Ant. 3 Pag. 5 lin. 20 pro *alijs* scribe *alis*.
Ant. 4 Pag. 3 lin. 27 pro *fatis* scribe *factis*.
Ant 5 Pag. 1 lin. 26 pro *excriptis* scribe *exscriptis*.
Ant. 6 Pag. 2 lin. 15 pro *Herorum* scribe *Heroum*.
Ibid. Pag. 3 lin. 6 pro *indoli* scribe *indole*.
Ibid. lin. 12 pro *ni* scribe *nisi*.
Ant. 7 Pag. 2 lin. 9. pro *Egyptiorum* scribe *Ægyptiorum*.
Ant. 10 Pag. 3. lin. 12 *suppellectilli* scribe *supellectili*.
Ibid. lin. 14 pro *Cordesiana* scribe *Cordesiana*.
Ant. 13 Pag. 6 lin. 13 pro *abierunt* scribe *obierunt*.
Ant. 18 Pag. 5 lin. 31 pro *nolissim.* scribe *nobilissimi*.

IN BIBLIOTHECA.

Pag. 4 col. 2 lin. 17 pro *Justinianæis* scribe *Justinianeis*.
Pag. 10 col. 1 lin. 33 pro *Legico* scribe *Lexico*.
Pag. 15 in Elogio lin. 2 pro *Alexnader* scribe *Alexander*.
Pag. 16 lin. 10 pro *Religionem* scribe *Religione*.
Pag. 18 col. 1 lin. 7 pro *Syllabarum* scribe *Syllabum*.
P. 26 c. 1 lin. 25 pro *Academiorum* scribe *Academicorum*.
Ibid. col. 2 lin. 15 pro *conjungio* scribe *conjugio*.
P. 31 col. 2 lin. 13 pro *Baccalaurus* scribe *Baccalaureus*.
Pag. 34 col. 1 lin. 16 pro *Norter* scribe *Noster*.
Pag. 40 col. 1 lin. 20 pro *divitus* scribe *divinitus*.
Ibid. col. 2. lin. 6 pro *cocodæmon* scribe *cacodæmon*.
Pag. 52 col. 1 lin. 33 pro *cocodæmone* scribe *cacodæmone*.
Pag. 43 col. 1 lin. 19 pro *à quibus* scribe *è quibus*.
Ibid. pro *nulla* scribe *nulla*.
Pag. 49 col. 2 lin. 28 pro *frustra* scribe *frusta*.
Pag. 53 col. 2 lin. 28 pro *Batica* scribe *Bœtica*.
Pag. 64 col. 2 lin. 15 pro *quem* scribe *quam*.
Pag. 75 col. 2 lin. 27 pro *egenibus* scribe *egentibus*.
Pag. 79 col. 2 lin. 29 pro *tam & si* scribe *tametsi*.
Ibid. lin. 33 pro *succisiuis* scribe *succisivis*.
Ibid. col. 2 lin. 23 pro *preso* scribe *presso*.
Pag. 81 col. 1 lin. 26 pro *enerudito* scribe *inerudito*.
Pag. 82 col. 2 lin. 4 pro *Cancellario* scribe *Cancellarius*.
Pag. 88 col. 2 lin. 14 pro *jusu* scribe *jussu*.
Pag. 90 col. 2 lin. 36 pro *es* scribe *eis*.
Pag. 91 col. 1 lin. 21 pro *contineri* scribe *continere*.
Pag. 101 col. 2 lin. 34 pro *presus* scribe *pressus*.
Pag. 102 col. 2 lin. 12 pro *virijs* scribe *viris*.
Pag. 111 col. 2 lin. 7 pro *defferente* scribe *deferente*.
Pag. 112 col. 2 lin. 9 pro *Deum* scribe *Deus*.
Pag. 117 col. 2 lin. 38 pro *reffertas* scribe *refertas*.
Ibid. lin. 39 pro *nutidas* scribe *nitidas*.
Pag. 125 col. 2 lin. 20 pro *capud* scribe *caput*.
Pag. 133 col. 1 lin. 1 pro *eterno* scribe *æterno*.
Pag. 135 col. 2 lin. 22 pro *eppellans* scribe *appellans*.
Pag. 144 col. 2 lin. 27 pro *sexenium* scribe *sexennium*.
Pag. 146 col. 2 lin. ult. pro *quomdam* scribe *quondam*.
Pag. 148 col. 2 lin. 24 pro *pratiosa* scribe *pretiosa*.
Pag. 150 col. 2 lin. 28 pro *Philipo* scribe *Philippi*.
Pag. 156 col. 1 lin. 6 pro *bucis* scribe *buccis*.
Pag. 158 col. 1 lin. 18 pro *notiam* scribe *notitiam*.
Pag. 161 col. 1 lin. 5 pro *tenneris* scribe *teneris*.
Pag. 171 col. 2 lin. 37 pro *suis* scribe *sui*.
Pag. 180 col. 2 lin. 31 pro *tempore* scribe *tempora*.
Pag. 181 col. 1 lin. 37 pro *insignem* scribe *insigne*.
Pag. 200 col. 2 lin. 26 pro *Deffinitor* scribe *Definitor*.
Pag. 206 col. 1 lin. 38 pro *jeiunis* scribe *jenunijs*.
Pag. 210 col. 1 lin. 31 pro *æquestris* scribe *equestris*.
Pag. 218 col. 2 lin. 40 pro *negotis* scribe *negotijs*.
Pag. 229 col. 1 lin. 20 pro *maximan* scribe *maximam*.
Ibid. col. 2 lin. 26 pro *exanimen* scribe *exanimem*.
Pag. 235 col. 1 lin. 25 pro *ponente* scribe *potiente*.
Pag. 236 col. 2 lin. 39 pro *conjucto* scribe *conjuncto*.
Pag. 241 col. 1 lin. 17 pro *nominimus* scribe *nominibus*.
Pag. 247 col. 1 lin. 35 pro *juventibus* scribe *jubentibus*.
Pag. 249 col. 1 lin. 7 pro *maxima* scribe *maxime*.
Pag. 253 col. 1 lin. 7 pro *Gersen* scribe *Gerson*.
Pag. 264 col. 2 lin. 33 pro *ur* scribe *ut*.
Pag. 268 col. 2 lin. 3 *à Theologiam* dele *à*.
Pag. 276 col. 2 lin. 30 pro *quo* scribe *qua*.
Pag. 290 col. 1 lin. 12 pro *sapta* scribe *septa*.
Ibid. col. 2 lin. ult. pro *mixicea* scribe *mexicea*.
Pag. 292 col. 1 lin. 26 post *eidem* adde *unà*.
Pag. 307 col. 1 lin. 19 pro *malet* scribe *mallet*.
Ibid. col. 2 lin. 40 pro *epitomem* scribe *epitomen*.
Pag. 310 col. 1. lin. 16 pro *verantur* scribe *venerantur*.
Pag. 314 col. 1 lin. 29 pro *terremotus* scribe *terramotus*.
Pag. 316 col. 1. lin. 4 pro *tescuis* scribe *tesquis*.
Ibid. lin. 24 pro *horatus* scribe *hortatus*.
Pag. 317 col. 2 lin. 25 pro *memini* scribe *nemini*.
Pag. 324 col. 1 lin. 13 pro *obnuimus* scribe *abnuimus*.
Pag. 341 col. 2 lin. 18 pro *Tunium* scribe *Turrium*.
Pag. 347 col. 2 lin. 6 pro *signatem* scribe *signantem*.
Pag. 374 col. 2 lin. 11 pro *tabullarijs* scribe *tabularijs*.
Pag. 380 col. 1 lin. 1 pro *audatius* scribe *audacius*.
Pag. 384 col. 2 lin. 12 pro *Provintia* scribe *Provincia*.
Pag. 386 col. 2 lin. 36 pro *ad* scribe *an*.
Pag. 389 col. 2 lin. 33 pro *Tyranis* scribe *Tyrannis*.
Pag. 414 col. 1 lin. 26 pro *Imagine* scribe *Imaginem*.
Pag. 438 col. 2 lin. 23 pro *Glasis* scribe *Classis*.
Pag. 439 col. 2 lin. 10 pro *vat ssimis* scribe *vastissimis*.
Pag. 449 col. 2 lin. 22 pro *Remedis* scribe *Remedijs*.
Pag. 457 col. 1 lin. 28 pro *pharsin* scribe *phrasin*.
Pag. 459 col. 2 lin. 35 pro *precosi* scribe *precoci*.
Pag. 462 col. 1 lin. 17 pro *Precosi* scribe *Precoci*.
Pag. 466 col. 1 lin. 12 pro *Præsuli* scribe *Præsule*.
Pag. 467 col. 1 lin. 28 pro *merentibus* scribe *mærentibus*.
Pag. 475 c. 1 lin. 38 pro *sapiendissimis* scribe *sapidissimis*.
Pag. 476 col. 1 lin. 40 pro *excriptis* scribe *exscriptis*.
Pag. 477 col. 1 lin. 4 pro *imperij* scribe *imperio*.
Pag. 481 col. 1 lin. 13 pro *poltica* scribe *politica*.
Ibid. col. 2 lin. 29 pro *invendis* scribe *innuendis*.
Pag. 490 col. 2 lin. 3 pro *Hatur* scribe *Habetur*.
Pag. 491 col. 2 lin. 17 pro *sumptum* scribe *sumptuum*.
Pag. 498 col. 2 lin. 7 pro *displiscere* scribe *displicere*.
P. 512 c. 2 lin. 33 pro *Goatemrlensis* scribe *Goatemalensis*.
Pag. 517 col. 2 lin. 29 pro *proprea* scribe *propterea*.
Pag. 519 col. 2 lin. 12 pro *optenta* scribe *obtenta*.
Pag. 525 col. 1 lin. 35 pro *nequamus* scribe *nequeamus*.
Pag. 529 col. 1 lin. 10 pro *cupidentibus* scribe *cupientibus*.

¶ Alia similia errata, accentus, diphthongos, litteras supervacaneas, omissas, transpositas, inversas, benignus lector emendet, tollat, restituat.

DE

DE BIBLIOTHECA
D. Doctoris Joannis Josephi Eguiaræ, et Mexicanorum Ingenio.

Aprilis Dialogus.

Authore P. Vincentio Lopez, Corduvensi, Theologo, é Societate Jesu, apud Tribunal Fidei Censore.

CUM ineunte Aprili, sub umbrosa platano Hispanus, Belga, Italus, pluresque alii Apollinis, & Minervæ alumni in villa non procul à Mexico Septentrionalis Americæ Metropoli, sub mane convenissent; quandoquidem, inquit Italus

......In molli consedimus herba,
Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos, Eclog. 3, ℣. 55.
Nunc frondent silvæ, nunc formosissimus annus
......dicite

Si quid novi est ab Æuropa: audivi enim ex Hispania naves ad Portum Veræ-Crucis appulsas, solentque inde ad nos usque raras, ac peregrinas Librorum merces convehere, quas auro quovis Mexicani coemant: quo pacto fit ut quidquid in magna illa Ingeniorum altrice Æuropa cultores Literarum scribendo inveniunt

elaborant, perficiuntque, utilissimo, nimirum, & honestissimo commercio facilè ad nos perveniat; & dubitari possit auro nè magis, & argento Americani Europam, an Europa suis Libris Mexicanos ditaverit. Quanquam in hujusmodi negotiatione, & in advectis à Septentrione mercibus Hispani fraudem, dolumque malum, non semel detexerint. *B.* Quas tu hic fraudes, aut dolos commemoras? Cum nihil sit inter omnes vulgatius, quam Hispanis magnos esse proventus, & immodicum lucrum ex illis nundinis. *I.* Si de quæstu, incrementisque rei familiaris agitur, non admodum tibi repugnem, præcipue quòd non sim in Mercurij tricis, ac foro versatus. Ego verò de Vulcani officinis conqueror, quæ novos quotidie libros conflant, protrudunt, spargunt in ultimos terrarum fines cum Religionis, morum, probitatis, bonarum etiam Literarum insigni jactura. *B.* Oro te, permitte ea omnia Fidei, ac morum Senatui gravissimo, cui, non sine consilio divini Numinis, commissa est hæc Provincia, qui statim infectas illas merces intercipit, & antequam malum serpat, si possit emungit adhibitis incredibili cura, diligentia, ac labore; aut si leniter contagioni mederi non possit, inducit, obliterat, aut meritis flammis addicit.

H. At ego video sermonem istum producendum nobis usque ad meridiem. Sumus que jejuni adhuc, & sicci. O servos istos, vel si proximus ardeat Ucalegon, cessantes & pigros! Cito, cito, & unà cum tostis placentulis Cocolatum nobis afferte. Ea suavissima, ac delibatior est potio è granis & medullis avellanæ nuci similibus; sed mollior illis quam avellanis nucleus, salubrior etiam, & capiti, ac stomacho temperandis commendatissimus. Gratiorem potum

tum reddit è Zeilano casia saccharo candidissimo admixta, ac diluta. Hauritur è poculis calidus fere, modicis sorbitiunculis: estque amicissimus vigilantibus ad Minervæ lucernas, Quod si Musæ vellent jucundissimum Apollini sacrare poculum; pateram succi hujusmodi propinarent. Et fortasse frequens ejus potionis usus (ut alias nunc prætercam) aliqua causa est, ob quam Mexicani multis alijs suavitate præstent, & acumine Ingenij. *I.* Quæso vos parcius ista, ac submissius dicite; ne rumor aliquis perveniat ad Alonensis Decani aures delicatissimas. *H.* Quem, Tu nobis Decanum Alonensem minaris, quem nescimus sit ne *Ater, an albus*? *I.* Equidem vehementer admiror, nihil ad vos de Epistolis ejus, vel fama allatum: cum ille & Hispanus sit ortu, & ejusdem Epistolæ non Lipsiæ, aut Hagæ, quas vos nil minus quam Lemanum cavetis lacum, sed Matriti, obstetricante generoso Valentino Gregorio Maiansio, sunt editæ. *B.* Et quidem etiam mihi lectæ, & avidissimè exploratæ fuerant Decani Epistolæ, ob stili candorem Plautinosque sales illis admixtos; sed enim verebar, Hispanos, opinionis, ac famæ studiosam gentem, lacessere, aut materiam odio, ac simultati præbere recordatione Epistolæ, in qua multa insunt parum consultè dicta, nec verò vel ab ipso illo dicenda, nisi versaretur in summa rerum, hominumque Americanorum ignoratione.

H. Quantum in me est tibi licet, quidquid ex ea velis expromere, palamque recitare. Nec enim pervicaces adeo, aut indociles sumus Hispani, ut emendari ab alijs nollimus, aut si melior sit, & probabilior, in alienam sententiam ultro descendere. *B.* Quantumvis memoria retineam eam Epistolam, neque in ani-

mum ego meum inducam; neque committam, ut illa recitata, hujus confessus aures diverberem, & diei hujus lætitiæ invidere videar, & molestissimum clangorem tollere inter olorum cantus. *H*. Imò potius aude, effareque voce ista, ac Belgico pectore: nam propterea tibi in Dialogo isto ante alios loqui concessimus, quòd sciremus te Belgam esse, ex Natione, scilicet, cui nihil sit probitate antiquius, nihil veritatis studio amabilius. Ob quas animi dotes, & in scribendo judicij sine affectatione maturitatem, estis vos Belgæ chari, vel nationibus exteris, & Orbi Literarum quam qui maximè commodi, & utiles. Et numnè ex eadem gentilitate sunt, & stirpe, quos nunc dicunt Biographos? Quibus quid Sol iste vidit illustrius? An non vester est Lipsius,cujus illud omnino verum. *Quis enim neget? Ut hominibus singulis, sic populis sua labes, sua laudes?* A quo nulla, opinor, erit tam arrogans, quæ se faciat eximiam. *B*. Quando igitur mihi ab Hispanis & dicendi facultas tribuitur, & ab ipsis provocor, ac solicitor, fabor denique, quanvis dolenter, ac prorsus invitus. Negat Decanus (dictu nefas) vigere apud vos Literarum studia. Negat locum vos aliquem Minervæ, aut Apollini dicatum habere, negat Academias inter vos, ac Lycæa florere, quasi unus omnia Mercurius, & quibus ille præsidet, negotiatores, hic occupaverint. Obstupuere ad hæc Auditores, suntque omnium animi subita admiratione perculsi: Vixque ut crederent adduci poterant; hominem in Hispania natum, Romæque ubi eruditio, ac literæ plurimum regnant, excultum, in tanta fuisse gentis Americæ oblivione, aut inscitia, ut ei illa exciderint, quæ & incredibilia omnibus essent habenda, possentque nube oculatorum testium refelli.

Lipsius lib. 1. Selectar. Centuria 1. Epist. 22. Philippo Lanoio.

Marti lib. 7 Epist. 16 Martino Carrilio. Edit. Matr. anno 1735.

B. In-

B. Interceſſit his Belga paullò ſedatior, & ſtuporem, inquit, atque admirationem ponetis, ſi cæteras ejuſdem Authoris legeritis Epiſtolas, quæ ad veteris Orbis Hiſpanos, & illorum ingenia ſpectant; in quibus plura ſunt ob quæ Illi deriſos ſe, ac prope ſibilo exploſos poſſent conqueri. Et tamen illa benignam, & commodam excuſationem habent, ſi ad animum, voluntatemque Decani velitis advertere. Nimirum, quo ad Mexicanos attinet, videtis vos ipſi, id quod eruditi omnes agnoſcunt, ac libere profitentur. Alonenſem aut in profunda Americæ ignoratione dormitaſſe, aut (quod nulla illius culpa evenire potuit) fuiſſe ab alio quopiam deceptum, ex ijs, ſcilicet, qui pervagati terrarum orbem, multa impunè ac per otium popularibus ſuis mentiri ſolent, ac præcipue Viris antiquæ probitatis imponere. Quod verò de Antiquæ Hiſpaniæ Eruditione & hominibus eruditis ſcripſit alicubi, fecit quidem non elatione, aut ſuperbia aliqua, ſed ut ſeveritate illa cenſuræ, ac judicij Hiſpanos ſuos excitaret & exacueret ad diligentiorem Humaniorum literarum cultum, in quo nonnulli minus ſunt accurati: propterea quod ament gravioribus alijs Diſciplinis magis incumbere, ijſque oblectari. Quod tamen apud æquos divinarum, humanarumque Scientiarum æſtimatores laudem potiùs quàm vituperationem meretur. Contra verò Decanus ita à Natura comparatus erat, ut ſe totum Humanitatis Studijs deſtinaret, malletque in ijs primas tenere, quam in Theologicis ſecundas, aut tertias. Et niſi opinio fallit, demum obtinuit. Ferunt enim, multique hodie in ea ſunt ſententia; jam inde à M. Tullio, aureoque Latinæ Eloquentiæ ſæculo, in eo ſcripturæ genere prodijſſe nihil pictius,

Vide Martinum lib. 7. Epiſt. 11. & lib. 8. Epiſt. 12. & 13.

nihil illuminatius; nihil Græcis, Latinis ve salibus extare conditius. *I.* Atqui non neminem egomet audivi, qui redundare ibi dicat Græca Diverbia, & quæ Græci vocant Schemmata. Quæ ostentatio Græci sermonis, vitanda erat Latinè scribenti. Et dubitare aliquis posset, Græcasnè, an Latinas dicat eas Epistolas. *B.* Video quò spectes, Itale, ac ne (quod soles) acutior, ac subtilior sis in Decanum, voca, si placet Græcolatinas, & verum illis nomen indideris. Quod enim ego injeci de Alonensis, ac Ciceronis Epistolis, habet quidem speciem comparationis; in qua tamen Decano Tullius incredibili intervallo præcellit

Lenta salix quantum pallenti cedit olivæ,
Eclog, 5. ℣. 16. *Puniceis quantum cedit saliunca rosetis*
Judicio nostro, tantum tibi cedit Amintas.

Arrisere omnes dicenti Belgæ. Sed vellemus inquiunt, citra lusum, & jocum, vestram de Epistola, in qua Alonensis, errore licèt, insectatus est Mexicanos, sententiam audire, aut ut scripti aliquid vulgaretis, quod mæstum consolari posset Apollinem; nam fama est, ad eam Epipistolam non illum modò, sed & Parnasiam rupem ingemuisse, turbatosque Aoniæ, & Aganippis fontes ac rivulos. *B.* Ego verò non Jambos, aut Diras, sed ad pulvinaria omnia supplicationes, & Novendialia, à Senatu, Martino Decano procurari, ac decerni cuperem. His auditis, cum silentium majorque admiratio consequeretur, omnia enim alia expectabant à Belga: Italus subiratus: Ain"Tu ista, Belga? Aut Nos ludis, & quasi stollones habes, aut rupices? *B.* Aio, nimirum ex que animi mei præclara sententia. Ac vel ex te ipso vellem audire: habere-

remusnè tam eximium Eguiaræ Doctoris Librum, nisi Decanus Alonensis sua illa Epistola occasionem, causasque scribendi præbuisset? Et Authoris calamum prope obarmasset? *I.* Equodnam, Tu, indicas Eguiaræ Opus? Nam Theologicæ ejus Disputationes jam diu mihi sunt lectæ, & noctuna, ac diurna manu versatæ, idque faciendum ijs consulo, quibus magno in pretio est Theologia, cupiuntque in eâdem multum proficere. Et est quidem, quod Tu affirmabas, iste Liber eximius, dignusque sanctioris Minervæ Sacrario; sed in illo nihil omnino video cui conscribendo materiam Decanus obtulerit, homo nunquam nisi invitus, & cum stomacho in Theologiæ oras delatus. *B.* Non ego tibi Eguiaræ Disputationes; sed Bibliothecam insinuo, *I.* At, at! Et illi conscribendæ causas Decanus attulit? Certe attulit. *I.* Si ita res habet placabor confestim; è vestigio cantabo palinodiam, agamque Martino gratias amplissimas. *B.* Potes, ac debes, & asculta, ac fidem adhibe mihi narranti. Cum Eguiara Doctor, & ego in familiari colloquio sederemus, sermoque de literis incidisset, recitavit Ille mihi, & quidem syllabatim, eam Decani Epistolam; qua audita, enim verò primùm erubui, mox, tam inaudito de Americanis judicio, subito expallui, demum cohorrui. Sed ut me collegi, quin, Tu, ista inquam, vindicas Eguiara, & è tanta Mexicanorum segete, & copia, quorum sane præstantissima fuerunt Ingenia, paria aliquot seligis, ex quibus Alonensis agnoscat, optimarum inter vos literarum studia fervere, esseque Mexicanis suas Athenas? Imò verò subjunxit Ille voce submissa, auspice Deo possem Bibliothecam Martino sistere, nec minoris, quam quæ Romæ à Nicolao Antonio condita (& ab amplis-

ſimo Cardinale Aguirrio mox eſt edita) molis, & magnitudinis. Sed ipſemet noſti occupationes meas: Vides quam longi temporis, & laboris illud ſit opus: intueris, ac doles quam ſim afflictæ, imbecillæque valetudinis. *B*. Sed fac, obſecro, ut te ab alijs explices, & expedias, quæ ſi ad Bibliothecæ utilitatem ſpectas, minoris ſunt pretij. Et, ſi me audis, nullum officij, ac meriti genus eſt, quod Patriæ, quod Reipublicæ Eruditorum, quod tibi ipſi majorem ſplendorem, gloriam, commendationem famæ, ac Nominis ſit allaturum. Quare ommiſſis iſtis, in quibus tua Te moderatio animi hærere facit, ad Scriptorum Americæ Bibliothecam aggredere & huic uni impende vitam iſtam, & lucem ſollicitam. Sic, quod ego, quod omnes cives optimi, quod ſanctiores ipſæ Muſæ multum precantur, quod prudens, ac ſapiens quiſque habet in votis, Deum, Superos, Cœlites adeſſe tibi ſcribenti ſentias, ac labori tuo adſpirare. Igitur ut eſt ille decoris publici, & avitæ laudis ſtudioſiſſimus, acquievit ſuadenti, & Bibliothecæ adornandæ curam in ſe recepit, dummodo tamen, inquit, Tu mihi ſuccedanea ſis victima, ſi (quod valdè timeo) in ipſa ſcribendi contentione defecero. Habetis cauſas tum confecti, tum Libri illius in lucem editi: &, ut in novo Opere, vultis, opinor, quæ ſint de illo, audire judicia, & an magnam, quæ de eodem erat, impleverit expectationem? Quo circa, cum Bibliothecam illam legiſſe vos credam, idque oculis eruditis, non alios, ſed vos ipſos in hac cauſa Judices, ac cenſores appello, qui & ſapientia valetis plurimum, & eſtis ab aſſentatione, odio ve in Hiſpanos remoti, quæ duo depravant plerumque, & corrumpunt Judicia. Opus itaque vobis eſt, ut hac ſaltem nocte in cella Apollinis vigiletis.

Po-

Postera autem ubi dies exorta est, cum à potione Indica convivæ omnes recentes essent, è Villa, rusticationis gratia, in subjectum pratum descendunt, quà tenuis, ac placidus rivulus permeabat. Tunc Italus: Eccur non murmur, & cantum aquulæ discurrentis sectabimur, qui Nos ad fontem suum deducet, in quo forte sub alicujus arboris umbra, ubi Sol cæperit æstuare, inceptum heri sermonem, claudemus. Et quidem divinasse visus est Italus. Modico enim spatio decurso, ventum est ad fontem, ex quo rivulus emanabat; eratque loco facies aspectu mirabilis, varijs peregrinisque Plantis, & stirpibus consita, densis etiam arboribus inumbrata, in quibus plures, & apprimè canoræ aviculæ nidificabant. Ut qui aderant nec Ciceronis Academiam requirerent, aut Tusculanum; nec ipsius Alonensis Decani villam, cui describendæ omnes Ille orationis lepores, & Charites advocavit. Sed agite, inquit Hispanus; nec, in loco per se amœnissimo, ullus amœnitates alias quærat, aut diverticula. Urget enim Apollo magnus; & quia primæ in judicando Italis tribuuntur, ex quo ipsi veterem illam Græciam suis Literis expoliarunt; placet eidem Apollini, ut initium sermonis Italus ducat. *I.* Pareo, ac propitio Deo sermonem instauro. Bibliotheca illa, si studium, si accurationem, si diligentiam æstimes, laboris est improbi; & quam nemo speraret perfici posse, nisi jam absolutam videret; ab homine præsertim Theologicis vigilijs, & lucubrationibus intentissimo, in quibus totam fere ætatem exegit, attrivit, consumpsit. Et quas non Ille perscrutatus est arculas, pluteos? Quæ non obscuræ ac tetricæ Antiquitatis penetralia invisit? Inspexit? Quos non Codices, scrinia, ac mirothecia evolvit, aperuit?

ruit? Quas non adivit, vidit, legitque Bibliothecas, ut suam illam conficeret, in eamque literas omnium aliarum, succos, & flores conferret? Quæ quam sint plena negotij, difficultatis, & molestiæ, quantam postulent ingenij, ac judicij maturitatem & prudentiam vos ipsi perspicitis, &, scribendo, fuistis experti. At ne dissimulare aliquid videar, quod tanti, tamque de Patria benemeriti Viri Sapientiæ, ac Doctrinæ possit officere; occupabo jam illa, quorum si probabiles, & idoneas causas attulero videbitis, æquissimi Judices, Doctorem istum, Bibliothecamque suam, jure, optimaque ratione laudari. Nam quod nonnulli dicunt referri, numerarique non debuisse illos quorum Scripta servantur nondum edita, aut qui vix manum, & plagulam implent; neque minutos alios, ac multum jejunos, nullius frugis, & in quibus nulla salis est mica; id profecto non dicerent, si meminisse vellent morem, usum, & consuetudinem omnium, qui usquam Bibliothecas ediderint, quibus ea lex est proposita, ut quidquid alij scripserint, memoriæ posteritatis ipsi commendent, sive id parvum sit & exiguum, sive insigne, magnum, & grave; sive rude, & incultum; sive ingeniosum & expolitum, sive nullius pretij, leporis, aut venustatis. In quo præter alios Author noster Ducem habuit Hieronymum, qui cum esset in seligendis libris judicio præstantissimo, tamen cum de Scriptoribus Ecclesiæ ageret, non solùm minutos plures non prætermisit, sed etiam illos indicavit, qui latebant, & à suis Authoribus cellabantur. Et quidem Eguiara Doctor produxit, laudavitque multorum folia verius quam libros, ut Bartholomæi Castannij viri Apostolici catechesim brevissimam; sed in hanc, & similes illud Tullij de Duo-

S. Hier. in Scriptor. Eccles. in Gelasio Cæsareæ Palestinæ. Vide ejus Libri Prologum.

Duodecim Tabulis, nùmnè cadit aptiſſimè? *Fremant omnes licet, dicam, quod ſentio, Bibliothecas, me Hercule, omnium Philoſophorum unus mihi videtur Duodecim Tabularum libellus, ſi quis Legum fontes, et capita viderit, et authoritatis pondere, et utilitatis ubertate ſuperare.* Lib. 1. de Oratore Num. 44.

Quibus cum auditores præberent aſſenſum; perge inquiunt, ulterius: & ſi in cæteris refellendis, aut explicandis acutus adeo fueris, ac prudens, ſperare potes Bibliothecæ tuæ palmam cum primis attribuendam. *I.* Siquidem æquos Vos, nobisque faventes aſpicimus, progrediar alacrius. Altera objectio eorum eſt, quibus apparet Bibliothecæ author fuſior, & longior in enarrandis, efferendisque Scriptorum pro Chriſtiana Republica laboribus, & factis egregijs. At illi quidem nec conſilium Scriptoris compertum habent, nec ad frontem ipſam & Bibliothecæ inſcriptionem ſatis animum adiiecere: in qua legere eſt, (1) Authori propoſitum, ac deliberatum, non ſolùm ſcribere de clarorum in America Virorum ſcriptis, ac libris, verum etiam de illorum ſtrenuè & præclare factis, geſtis, dignitate, virtutibus. Ad quod non tam præjudicio ſuo, aut voluntate, inductus eſt, quam ſapientum conſilio, & adhortatione. Magnum enim eſt inter hanc, & Orbis antiqui Scriptores, & Bibliothecas diſcrimen: quod ij, de quibus iſtæ agunt, & quorum Scripta dinumerant, vulgo noti ſint, & illuſtres, quorumque vitæ actiones non in obſcuro, ſed in media Æuropæ luce ſint poſitæ. Notitia verò ingeniorum Americæ multis adhuc tenuis eſt, & incerta: nam qui ad nos ex Æuropa mercium cauſa permutandarum accedunt, quandiu hìc negotiantur, oleum ſuum, operam que inſumunt omnem opibus corrogandis; alteque apud illos

Literæ ſilent,& dormiunt.Si qui autem ad patrios lares, ac Penates ſuos ſerò tandem redierint, multa de Americæ divitijs, Negotiatorum lucro, & immani quæſtu narrare poterunt; pauca, aut nulla de viris in eadem provincia ſanctitate vitæ, religione, pietate, ſcientiarum cultu, ac præſtantia ingenij clariſſimis. A quibus mirum in modum Mercatorum diſidet natio, ſi paucos eximas, quos æquus amat Juppiter, & ex arguilla meliore voluit effingere. Accedebat his cauſis, quod quanvis viri eſſent docti, & inſignes Latina Eruditione; nec medioeriter, ſed valde Hiſtoricis Americanorum imbuti, quique poſſent res geſtas, & illorum acta, qui diverſis hic floruerunt temporibus, mandare literis; alij detrectabant hanc Provinciam ſuſcipere diverſis curis aliò diſtracti; alij refugiebant, non tam magnitudine Operis, ac labore deterriti, quam quod illos præpediret (magnorum Ingeniorum comes) modeſtia, & pudor ingenuus. Ipſe verò Eguiara Doctor cum libris Theologicis componendis multam navaret operam, ſimulque habendis in Templo majori, è ſuperiore loco, Sacris Concionibus occuparetur; non illo abundabat ocio, ut quanvis voluntas, & animus non deeſſet, tamen poſſet divulſas, ac ſeparatas à Bibliotheca ſua elucubrare Hiſtorias, easque contexere: quod quidem erat longioris moræ, vacuumque tempus, & ab alijs negotijs, & ſtudijs magis liberum poſtulabat. Fatigabant etiam Scriptorem quotidianæ multorum preces, vota, fere cum convitio, & amica licet, objurgatione, Editionem efflagitantium. Unde neceſſariò illud conſilij cæpit, ut eidem Bibliothecæ Hiſtorias appingeret, eaque amplificata, in unum corpus Hiſtoriæ, ac Bibliothecæ, partes ac dotes redige-

ge-

geret, & quaſi filo aureo connecteret, & illigaret.

B. Audiebat præterea noſter Scriptor, legebatque in famoſis quibuſdam Libellis exagitari, proſcindi ſæpius, ac lacerari Americanos, imò in ultimam aliquando barbariem relegari, ac ne angulum quidem illis in Republica literarum relinqui. Quare optabat, non ſupremum (quod iſti ſuſpicantur) ſed aliquem, ſi Literatorum Senatui, populoque placeret, Genti ſuæ locum concedi, in quo ſedatè, ac ſine tumultu, ſuas Minervæ oleas, ſuas Lauros Apollini excolleret, & irrigaret. Et erat certè cunctorum, qui hìc habitarunt, ſententiâ, & conſenſu, juſtiſſima viri poſtulatio, & minimè contemnenda petitio. Propterea quòd alendis Ingenijs, inter diverſas Orbis plagas nulla Mexicano cœlo ſit aptior. Ut qui maximè Athenas illas veteres, urbemque Mexicum cognoverunt & contemplantur, pares aut ſimillimas faciant, aëris, ac Cœli benignitate, quibus plerumque ſuum acumen, acies & magnitudo conſtat ingenijs. (2) Ad quam Cœli, & Naturæ indulgentis clementiam accedit Mexicanorum indoles apta, docilis, & ad Scientias omnes & Literas modulata; à teneris unguiculis bonarum Artium, ſublimiorum facultatum, cultus diſciplinâ, & ſub magiſtris in unaquaque ſcientia doctiſſimis, liberalis educatio, ſedulaque inſtitutio. Quare præter Academiam Principem, in qua omnes ſcientiæ traduntur, & ad quam ex univerſa America, aliquando Æuropa, fiunt concurſus; diverſis poſtea temporibus plura ſunt inſtituta Collegia. Atque ex his omnibus vis ingens Literatorum prodijt, qui toga, magiſtratibus, præfectura urbium, & provinciarum, ſacriſque infulis inclaruerunt.

Sunt adhæc cætus (hos etiam Academias vocare placuit) quæ domesticis tantùm parietibus circunscribuntur, & ad quas non est aditus nisi quibus decursa jam sint majorum studiorum spatia: hi statis diebus, & sub emerito præside, limandos se iterum, & recoquendos traddunt, & easdem, quas in scholis Scientias imbiberant, per ocium, & in umbra regustant. Sunt, qui postea quam contentione summa, & labore, ex omni cum Græcæ, tum Eruditionis Latinæ campo flores primos, & succos libaverint, apum instar multo nectare cellas, & alvearia sua distendunt, favosque conficiunt dulcissimos, quos alijs gustandos insumendosque relinquant. Sanè quicumque cum fide, ac pro dignitate res Americas literis commendarunt, ex Historijs, aut Commentarijs jam ante in America elucubratis, abunde profecerunt. Denique cum Hispani sponte, & ingenio in Martis, & Minervæ stipendia ferantur, evenit ut in pacatissima Urbe, Bellis circumquaque longè silentibus, Mexicana juventus omnes illos Naturæ igniculos, animique vires traducat ad Literas; ut quominus armis eò magis Doctrina, & Pacis artibus evadat insignis. Itaque cum Mexicani singulari Dei O. M. munere ad capessendas Scientias omnibus aut Naturæ, aut Gratiæ præsidijs instructi sint, & ornati, nihil video quòd non suum illis inter ingeniosos Literarum cultores locum merito designemus. Et quidem si velimus sedere ad calculos, temporisque rationes subducere, intra duo illa sæcula, in quibus Americani Scientias, artesque liberales excoluerunt, culturæ atque operæ fructus respondit, messisque Eruditis non contemnenda. Quod si Mexicanis typorum copia suppeteret, sine dubio multo plures vulgassent Libros, quorum

cum

cum essent luce dignissimi, alios ætas, & caries absumpsit; alij sine Nomine delitescunt. Quanquam his incommodis Bibliothecæ Author, magnis impendijs, parte quadam remedium attulerit comparatis Latinarum, Græcarum, Hebraicarumque literarum alveolis, nitidissimis formis, apparatuque cætero pro libris edendis.

Perorasse omnibus visus est Italus; adjecit nihilo minus Belga; Quod in me est non modò locum aliquem, sed perhonorificum Prytaneum in ipsis Athenis concederem Americanis; nisi iniquorum quorundam depravata judicia pertimerem. *I.* Quæ tandem sunt illa & enuntia, precor? *B.* Vigere quidem; sed solito citius desinere Mexicana Ingenia Rosarum more de quibus Hispanus Poeta:

Venerunt aliquando Rosæ. Proh veris amœni
Ingenium! Una dies ostendit spicula florum,
Altera piramidas nodo majore tumentes,
Tertia jam calathos. Totum lux quarta peregit
Floris opus. Pereunt hodie nisi mane legantur.

Florus ap. Nicol. Ant. tom. 1. Biblioth. veteris.

Quin te nunc tuus Cicero premit. *Non enim potest in eo esse succus diuturnus, quod nimis celeriter est maturitatem assecutum.* *I.* Si de ijs tantùm Ingenijs dicunt quæ præcocia sunt, & ante diem emicant, & erumpunt, nihil adverser; & statim concedam Americana, non minus quàm cœterarum Nationum Ingenia, quæ nimium festinant, brevì amisso flore languere; id autem omnibus Americanis accidere, inficior, & nego planissimè. Novimus enim hìc, & videmus plures qui post sexagesimum, non paucos qui post septuagesimum, aliquos, qui post octogesimum (quod in Æuropæis admirandum sit) memoria adhuc, & ingenij vi præstent, scribant, concionentur, Rempublicam

De Oratore n. 21.

Persius Satir. 5. ℣. 61.

Cicer. in Bruto n. 64.

Quint. lib. 4. Instit. ad medium Prœemij de morte filij.

administrent, limatissimas è Cathedris prælectiones habeant ad Academicos, ac servata quadam, in media senectute, viriditate, pergant, quod ille ait, *doctis impallescere Chartis*, & amore literarum flagrantes nollint suam junioribus Vigiliam traddere. Et an non in alijs Provincijs fuère quædam ingenia ante tempus matura, ac brevissimè decidencia? An non longè ante natos Americanos verum erat quod ex Cicerone protulisti Diverbium? An non ipsi à festinatione suspicitur & commendatur Hortensius Orator? *Quinti Hortensij admodum adolescentis ingenium, ut Phidiæ Signum, simul aspectum, et probatum est.* Aut expectavit Americanos Quintilianus, ut diceret: *Observatum fere est, celerius occidere festinatam maturitatem: et esse nescio quam, quæ spes tantas decerpat, invidiam, ne videlicet, ultra quam homini datum est, nostra provehantur?* Quam obrem, si vitio vertis aut properatam illam ingeniorum maturitatem, aut florendi tempus brevissimum, vide ne omnes, quibus est hoc vicium commune, Nationes incuses: (3) Vide ne dicaris emendare velle Naturam, cui libuit alia minus, alia magis esse diuturna. Nisi, pro tua sapientia, mallis agnoscere, neque brevitatem neque longitudinem illam in nobis esse positam, adeòque nec laudi, nec vituperationi imputandam: cum Naturæ conditor Deus certis temporibus, & intervallis (quæ nemo contrahere, nemo possit laxare) parva, mediocria, & sublimia ingenia consilio sapientissimo, definierit, & circunscripserit.

Ergo in ijs vera nobis laus, & gloria sunt collocandæ, ut quandiu vixerimus, rectè, & egregiè factis, optimisque studijs, & artibus invigilando vitæ brevitatem, & angustias tempo-

poris dilatemus. Fertur enim, & quodammodo verum eſt, ab aliquot ſæculis languere in dies, ut corporum, ita Ingeniorum robur, & vires, & cum ſeneſcente mundo ſeneſcere. Nam quotusquiſque nunc eſt, qui Antiquorum pondus, gravitatem, lacertos, ac nervos cogitando, aut ſcribendo poſſit exerere? Aut quid nos ſumus ſi cum veteribus illis Scriptoribus conferamur, niſi tenues derivationes è magnis fluminibus? Et pauci ſunt quidem (præter illos quibus eſt à Deo lumen infuſum) qui non quærant potius venuſtatem, & Scriptorum ſplendorem, magisque ament ſolius oris, & cutis pulcritudinem, quam ſuccum, & ſanguinem, qui in venis eſt, & quibus conſtat valetudo, & ſanitas corporis univerſi. Unde fit etiam, ut nec diu illi vigeant, ac deficiente irrigatione marceſcant. In Americanis verò obſervarunt Sapientes, idem quod in plantis Agricolæ. Et mihi crede. Cum Hiſpani iſti ex aurea illa ſint orti veteris Hiſpaniæ radice; ijs accidit, quod earum arborum ſtirpibus, quæ cum ſint bonæ, & fertiles, tamen ſive ſoli commutatione, aut quod Virgilius ait, *Indulgentia Cœli* meliores fiant, & lætiores fructus emittant. Sic, quæ ab Hiſpania in Americam migrant Ingenia, ſuavitatem, & nitorem quendam Mexicani beneficio Cœli ſibi conciliant, quem fortaſſe nunquam ſtudio, ac labore multo, patrio in agro contraherent: Sicut ea quæ hinc ad Hiſpanos literarum gratiâ proficiſcuntur augent vigorem ſuum & robur, cumulantque nativâ illa pulcritudine, elegantiâ, & amœnitate. Clariſſimo, nimirum, Authoris Naturæ documento, nollentis (dum mortales ſumus) aliquid Nos omni ex parte beatum habere; atque ita dum alij alijs indigemus

Georg. 2. ℣. 345.

¶ 5 alen-

alentis conservantisque gentium, & omnium Nationum voluntatum, & animorum societatem, atque concordiam, qua nihil est homini utilius, nihil charius, dulcius, & optabilius.

Et hîc Orationis vela contraherem, nisi acuti nimium, & controversi homines Hispanis molesti essent, & importuni illo cantico & acroamate è trivijs, aut circulis Rabularum emendicato. (4) Hispanos scilicet literas Humaniores negligere, despectui habere, immersos Philosophicis, ac Theologicis Quæstionibus agitandis, in quibus cùm sit nihil viroris, aut concinnitatis, evadunt ipsi horridi in scribendo, & inculti, nec Lectoris aures admodum scalpunt. Quæ tamen omnia à vero longissimè aberrant. Aliud enim omnino est non tanti facere, nec tanto in pretio habere eas literas quantò alias Scientias nobiliores; aliud easdem fastidio respuere. Quod discrimen cautè, ac religiosè servant Hispani: colunt namque ejusmodi Literas, sed suo loco, ordine, & quod satis est tempore; nec ita ut velint in illis habitare semper & incanescere. Hoc enim tribuendum duntaxat existimant altioribus Scientijs, ex quibus cæteræ, quasi minores rivuli, ducunt originem. Illud autem de inculta, atque horrida Hispanorum Latinitate, illi fortasse dicunt, qui ignorant fuisse esseque in quavis gente Scriptores plures hiulca, inquinata, ac nihil illustri oratione; aut qui invidiosè, ac simulatè oculos avertunt à Seneca, Lucano, Martiale, Higino Augusti liberto, Mella, Festo Avieno, Floro, Quintiliano. Et ut illos nimis antiquos prætercam, unde sunt illi aurea omnes Latinitate? Petrus Fontidonnius, Arias Montanus, Sepulveda, Pincianus, Joannes Mariana, Acosta, Pineda, Alvarus Gometius, Canus, Ribera, Gaspar San-

De quibus tom. I. Bibliothec. veteris Hispaniæ.

Biblioth. Soc. & Bibliot. nova Hispaniæ.

Sanctius, & quo nemo propius ad Tullium accesserit, Perpinianus alendus ambrosiâ. Superiores illos, ex America secuti sunt Cervantes, Villerias, Ferdinandus Lupius, Ruitius, Zamora, pluresque alij, aut Poetica nobiles, aut Oratoria, & quem in studijs Theologiæ Collegam habui, & contubernalem Lucas Alvarus Veræcruzanus Josephina sua, & Angelomachia vehementer Nasonis Ingenium, & carmina redolens. Deinde, si quia Hispani multi sunt in gravioribus scientijs, ac minus impense alias addiscunt; illos vocant rudes, & impollitos; qui toti sunt in levioribus illis, & summis tantum labris Aristotelis Philosophiam, divinamque Theologiam gustaverint (in quibus Sapientiæ sunt fontes uberrimi) quo loco ab Hispanis haberi debent, aut quo nominari præconio? Et, si Rhetorica, Oratoria, Poetica, quia os homini, & linguam ad rectè loquendum effingunt, redduntque disertum, & eloquentem, humaniores literæ proprio quodam jure vocantur, Philosophia, ac Theologia illa qua mentes, moresque hominum, & ingenia maximè expolliuntur, ad unguemque emendantur, & perficiuntur; non jam humaniores, sed erunt profectò humanissimæ, nominandæ.

Sixtus V. in Triũphantis, &c. Theologiam, qua nihil Ecclesiæ Dei fructuosius omni studio retineamus, illustremus, propagemus. Divino enim munere inventa est á majoribus nostris, sapientissimis viris, Theologia scholastica.

Ac ne me quasi Theologum aliquem explodatis, aut quia in Philosophia humaniorum Artium fontes constitui exsibiletis, Tullium ipsum profero in medium testem omnium locupletissimum. *Ego autem et me sæpe nova videri dicere intelligo; cum pervetera dicam, sed inaudita plerisque. Et fateor me Oratorem, si modo sim, aut etiam quicumq̃ sim, non ex Rhetorum officinis, sed ex Academiæ spatijs extitisse. Illa enim sunt curricula multiplicium, variorumque sermonum, in quibus Platonis primum impressa sunt vestigia. Sed*

Cicer. in Oratore Num. 3.

et hujus, et aliorum Philosophorum disputationibus et exagitatus maximè Orator est, et adiutus. Omnis enim ubertas, et quasi silva dicendi, ab illis est, non satis tamen instructa ad forenses causas, quas ut illi ipsi dicere solebant, agrestioribus Musis reliquerunt. Audin" à Philosophis, Platone ipso, ac Tullio Græcæ ac Romanæ facundiæ luminibus, amandari ad agrestiores Musas Eloquentiam forensem, ut quæ non sit ab ubertate Philosophiæ profecta? Etiam illud audi, paullo brevius, sed explicatius. *Positum sit igitur imprimis (quod post magis intelligetur) sine Philosophia non posse effici, quem quærimus eloquentem. Non ut in ea tamen omnia sint, sed ut sic adiuvet, ut palæstra histrionem. Nam nec latius, nec copiosius de magnis varijsque rebus sine Philosophia potest quisquam dicere.* Prudentissimè igitur faciunt Hispani, si diutissimè, ac diligentissimè ijs se exercent studijs, & in illis Scientijs nidificant, ubi cæterarum Artium, & Humanitatis ipsius sunt semina. Quin propterea sperare non possint, ut in alijs minoris momenti aliquando proficiant; quod si evenerit; nonnè utilius & splendidius est veræ etiam jucunditatis, Humanitatisque plenissimum ijs Scientiis esse præstantem quibus scias, & possis laboranti Christianæ Reipublicæ subvenire, & opitulari? Civibus esse in Animæ periculis salutarem? Nam sine validissimo aliarum præsidio, & copia, Humaniores literæ quid sunt aliud quam Apollinis nuces, & poma? Aurium lenocinia, ludrica oblectamenta? Musarum cupedia, bellaria, & ubi mæstæ fuerint, modò crepitacula, modò crepundia? Et hæc illi, qui sunt divinarum scientiarum expertes audent pro Libris, aut Sybillarum folio, & Oraculis Delphicis populo venditare; quod ægrè qui-

dem

dem ferunt Hispani, cum videant id non posse committi, nisi dignioribus alijs neglectis, ac propè abdicatis, in quibus suas, qui verè sapiunt, fortunas collocant.

Cum perorasset Italus, coorta est omnium admurmuratio, quæ postquam conquievit, Auditores contuens Hispanus, tempus adest, inquit ut cum Italus, quæ contra Hispanorum Ingenia temerè jacta, ac vulgata fuerant, rationibus, & exemplis luculentissimis inania esse, & falsa demostraverit, velitis jubeatis illius judicium, atque sententiam Senatus consulto, ac Decreto publico confirmare. Itum igitur in sufragia, ac nemine refragante, decretum: Vel si omnia alia deessent, ex sola Bibliotheca Doctoris Eguiaræ constare, ac perspicuum esse Senatui *Hispanos sive qui in Nova sive qui in veteri nascuntur Hispania gentem esse de omnibus scientijs, et artibus optimè meritam; qui contra senseris dixeris, mussitaveris, scripseris, violatæ Reipublicæ Literariæ, et falsi criminis reus esto, pœnas luito; huncque ipsum, Tu Censor Urbis, omni eruditorum tribu moneto.* Quo decreto exclamavit Hispanus. O diem! O Literas istas Senatus plusquam Imperatorum, Victrices, & Laureatas! Sed quia video vos propè diem vela in Patriam facturos, oportet ut aliquam descriptionem Mexicanorum Urbis, unà cum Senatus Literis ad vestros perferatis. Atque hìc ab omnibus exclamatum. Spectare hoc ad Belgam, tum quod is diutissimè fuerit Mexici commoratus: tum quod Urbs eadem Carolum Quintum Belgam conditorem, ac parentem agnosceret. Faciam, adjunxit Ille minimè invitus. Sed quoniam omnes in procinctu sumus, brevissimè, nec pro officij mei ratione, aut ipsius Urbis magnitudine, & dignitate.

Mexicanæ Caroli Quinti Coloniæ ea est amplitudo, & majestas, ut inter Urbes nobilissimas terrarum Orbis sit memorabilis. (5) Et, si Cœli clementiam solique ubertatem consideres, nullam fortasse invenies, quæ palmam præripiat; quantumvis Siracussæ certent, laudatæ à Tullio, aut Venetiæ Maphæi calamo, & San-Nazarij versibus illuminatæ. In ea enim visuntur, numero ingenti aurati currus, quadrigæ, gestatoriæ sellæ, nec non curules, exquisito opere, & in quo multum superbiant Artifices. Adde opulentorum Civium, advenarum ex Africa, Europa, & Asia frequentiam, Mercatorum opes, divitias (quodque caput est) in tanta diversarum Nationum & gentium multitudine, ac varietate solius Catholicæ Religionis, & pietatis cultum, & studium; perurbanos mores, & emendatos, unde illa sunt etiam Templorum, Ædium Sacrarum Deo, aut Cœlitibus nitor, elegantia, magnificentia; earumdem immensi pretij vasa; gravia gemmis, & unionibus ornamenta, supellexque cætera peragendis divinis officijs sumptu mirifico: quibus affabre elaborandis Mexicani ditissimas illas auri, & argenti venas libenter exhauriunt.

Cic. lib. 4. in Verrem n. 52. & 53. & lib. 5. n. 10.

Maphæ. lib. 1. Vitæ S. Ignatij cap. 12.

San-Nazar. Epigrammate de Venetijs. Viderat Hadriacis Venetam Neptunus in undis, &c.

Canales Urbem intersecantes complures lintres enavigant rebus non solùm quotidiano victui opportunis, sed ad lautiorum delitias onusti. Viis publicis, & regionibus flexus nulli sunt, aut mæandri; sed omnes aut ab Ortu in Occasum, aut à Meridie in Septentrionem descriptæ, ac longè, & latè protensæ, quas, cum tenuis Zephirus perflet, idem avertit nebulas, & fumos noxios eventilat: hinc ea Urbi salubritas, & spirantis auræ temperies, & lenitas, ut nullus hìc, in qua natus est, Patriam desideret. Mexicani etiam agri, qui latissimè patet, mag-

magnæ utilitates ſunt, & mira fertilitas, ex ijs, quos vicini colles emittunt rivis, ac fontibus ſaporis gratiſſimi. Intra lacum, qui Urbem circumluit, interdum videas (Indi Cinampas vocant) parvas Inſulas fluitare, & in medijs aquis radices agere, è quibus olera, ac varij generis naſcuntur legumina: ex ijs aliquæ ſuas arbores ferunt, quas non ſemel mirati ſumus pomis refertas: ſunt & aliæ grandioris ceſpitis magnitudine, toto anno fronde viridi, odoratisque floribus lætæ, quas pubes ludibunda remo, aut pede migrare facit, majoribusque alijs adjungi, aut in propinquum littus appellere. Inter omnia verò Mexicani ſuburbij ſpectabilis eſt Imago Deiparæ Guadalupiæ picta divinitus. Stat enim Virgo ore placidiſſimo, Regio diademate inſignis, infra talos promiſſa tunica, colore vario, partim nives, partim violas imitante, aureisque floſculis intermicantibus. Adhæc exigua Cruce ad collum appenſa, junctis ad pectus manibus, ac demiſſis leniter oculis, ſupplicantis vultum præſefert. Et hic etiam videre eſt Solem centum ac duodecim radiis Picturam ponè ambientem, Stellas ſex & quadraginta cœruleum colluſtrantes Reginæ pallium, Lunamque ad pedes Virginis excubantem. Extremæ verò Tabulæ Dei manu ſubjectus eſt Angelus, Indi pueri habitu, ſuis humeris Imaginem ſuſtinentis. Jam, ut eſt largior Hiſpanorum amor in Dei matrem, Templum illi quàm magnificè poſitum, quarto ab urbe principe, milliario, ſitu quondam Marianis veſtigijs nobili. Inſtitutus poſtea Canonicorum cætus lectiſſimus, Ferdinandi Sexti Regis Catholici munificentiâ, pro Indorum Catecheſi, Eccleſiæ Pſalmodia, ac Divinis officijs. Pictura demum ipſa nullam adeò ætatis injuriam ſentit, ut ab anno Chriſti ſexquimilleſimo triceſimo

Plin. lib. 8. Ep. 19. In lacu Vadimonis, in tractu Amerino. Innatant Inſulæ herbidæ omnes arundine, & junco tectæ, &c.

primo vivat idem color, & ſpiret adhuc Virgineâ in facie decor ille, & majeſtas quibus cùm olim è divini Artificis prodiit ingenio. Quare hoc Virginis ſimulacro fortunatos ſe Mexicani ducunt, & inclytos;cum præſertim eorum votis Regina Clementiæ adſpiret mirificè.

Poſt quæ Belga converſus ad Italum. Quin, Tu etiam, ut alij alias, verſiculis aliquot Urbem tibi charam, & amicam exornas? Opportunè quidem me admones, nec extra oleas; nam ſi quidquam in me eſt gratiæ, & amœnitatis poeticæ, è pratis hiſce, ac viridarijs Mexicanis habere me intelligo.

Ergo alias Urbes pulcras clarasque Poetæ
Fecère ingeniis, carminibusque ſuis;
At, Tu, cui Cœlum ridet, formoſior omni
Ingenio, et quovis Carmine major eris.

H. Et hæc (quamvis pauca) memoriæ florentiſſimæ Urbis conſecrare fuit viſum, in qua, ſcilicet, ultra Quadraginta jam annos divinis, humaniſque literis inſtitutus ſum â Majoribus. Quod autem parum in his profecerim, cauſæ, aut in Diſcipuli tarditatem, ſunt rejiciendæ, aut in Ægrimoniam, illam diù philoſophantium decimam Muſam.

(1) Vides quot Verſibus Homerus, quot Virgilius arma hic Æneæ, Achillis ille deſcribat? Brevis tamen uterque eſt, quia facit, quod inſtituit. Vides ut Aratus minutiſſima etiam ſidera conſectetur, & colligat? Modum tamen ſervat, non enim excurſus, hic ejus, ſed Opus ipſum eſt. Similiter nos (ut parva magnis conferamus) cum totam Villam oculis tuis ſubjicere conamur; ſi nihil inductum, & quaſi devium, loquimur non Epiſtola, quæ deſcribit; ſed Villa, quæ deſcribitur, magna eſt. *Plin. lib. 5. Epiſt. 6.*

(2) Sic enim corpus, quod aeris puritate perfruitur, ſanius ſit...Si verò potiatur aere purgato, & florentibus pratis, & hortis virentibus, & fontibus inter amæna fluentibus, ſaniores, multoque majori aciei fulgore rutilare. *S. Chriſoſt. tom. 2. poſt med. Hom. 2. in Matt.*

Magnam eſſe locorum ad ferendos meliores, peioresque homines...Quippe alij varietate ventorum, & turbine, difficiles, & protervi ſunt: alij propter cibos, qui ex terra, non ſolùm corporibus commodi, oriuntur, verùm animis quoque non minus. *Plato in fine 5. Dialogi de Legibus.*

Optima enim temperies non corpori ſolùm, verùm etiam intelligentiæ hominis prodeſt. *Ariſt. in Problematis ſect. 14. Quæſt. 1.*

Athenis tenue cœlum, ex quo acutiores etiam putantur Attici; craſum Thebis: itaque pingues Thebani, & valentes. Idem Agraria 2. Num. 39. Non ingenerantur hominibus mores tam à ſtirpe generis, ac ſeminis, quam ex ijs rebus, quæ ab ipſa Natura loci, & à vitæ conſuetudine ſuppeditantur, quibus alimur, & vivimus. *Cicero lib. unico de Fato, Num. 4.*

Plutarch. ad med. libri de exilio verſus Euripidis Athenienſis.

Quis vero perinde patriam prædicavit ſuam ut Euripides?
Eſt temperatum noſtris cœlum finibus
Ubi nec gelu nimium, nec ardor cruciat.

Ingenia hominum ſicut ubique, apud illos, locorum quoque ſitus formar. *Q. Curt. lib. 8. Num. 9.*

Nihil hac plaga infeſtius: atrox cœlum, perinde ingenia Silvarum, & montium ſitus cum ingenio conveniebant. *Florus lib. 3. cap. 2. & lib. 8. cap. 4.*

(3) Nec unquam magnis ingeniis chara in corpore mora eſt; exire, atque erumpere geſtiunt ægre has anguſtias ferunt, &c. Quidquid ad ſummum venit ad exitum prope eſt. Eripit ſe, auferteque ex oculis perfecta virtus. Nec ultimum tempus expectant, quæ in primo maturuerunt. *Senec. Conſolat. ad Maxtiam cap. 2.*

(4) In Hiſpania ſtudia literarum eo cultu non vigent, quem hæc ætas nudis, & ſqualentibus Muſis repoſuit. Non enim Latinæ eloquentiæ ſtudium ibi viget, non venuſtas Poetices, non Hiſtoriæ, priſcorumque rituum utilis, & robuſta lepiditas; veterem, ac pene barbaram in quærendis Scientijs rationem obtinent. Philoſophiæ incumbunt, Theologiam amant, non ſpernunt Legum, & Canonum peritiam. *Barclaius in Icone Animorum, poſt medium cap. 7.*

(5) Mexicanæ Regionis ſummam amænitatem, omnium rerum in ea ubertatem, aeris ſuaviſſimam temperiem, ingenium incolarum ad omnes artes aptum prædicat. *Dreſleus in Relatione Itinerum Edit. Pariſ. ann. 1718. apud Eruditos Lipſiæ Tom. 19. in menſe Octobris pag. 463.*

ANTELOQUIA
OCCASIONEM OPERIS, ARGUMENTUM, METHODUM, Cætera ijs affinia opportunè aperientia.

ANTELOQUIUM I.

Occaſio ſcriptionis propalàm ut detur, Emmanuelis Martini Eccleſiæ Alonenſis Decani Epiſtola XVI Libri VII, quæ habetur tom. ejus II, excribitur.

ALia quidem omnia à Bibliotheca Mexicana cogitabamus, Academicis intenti negotijs, & Theologicis elucubrationibus cùm è ſuggeſtu quotidie dictandis, tum etiam committendis typis operam dantes, Concionibus ſacris idque genus alijs Theologicæ profeſſionis pro uſu noſtro inſiſtentes: Quòd verò amænioribus delectati libris & elegantiori comptis latinitate, ſucciſ-

ſiva in eis tempora otiaque ponere ſoleremus, in Emmanuelis Martini Eccleſiæ Alonenſis Decani Epiſtolarum libros duodecim Mantuæ Carpentanorum apud Joannem Stunicam anno 1735 procuſos incidimus, quos non abſque egregiâ animi voluptate combibere incepimus, & gravatè licèt ea tulerimus, quæ in Scholarum Profeſſores nonnunquam ſcribit, & in Hiſpanorum dedecus, quòd ad rem litterariam ſpectat, haud ſemel jacit; pergebamus tamen, & inchoatam lectionem perſequebamur; hærère verò coacti ſumus, & moroſius circunſpicere chartam, ubi ad Epiſtolam 16 lib. 7 offendimus, quam tamen iterum & iterum non ſine bili & ſtomacho deglutivimus, lectam recogitare placuit, & memoria tenère, atque in ipſam ſeriò pacatèque inquirere. Ejus ita habet inſcriptio: *Emmanuel Martinus Antonio Carrillo, egregiæ indolis adoleſcenti S. & amorem.* Totus in ea Epiſtola Martinus eſt, ut adoleſcentem illum in novum Orbem trajecturum, ab hocce conſilio removeat, & aptum natum capeſſendis litterarum ſtudijs, Romæ conſtituat, & à Mexiceis oris quam longiſſimè abducat. *Sedeamus igitur ad calculos,* inquit. *Quò te vertes apud Indos in tam vaſta litterarum ſolitudine? Quem adibis, non dicam Magiſtrum, cujus præceptis inſtituaris, ſed auditorem? non dicam aliquid ſcientem, ſed ſcire cupientem. Dicam enucleatius: A litteris non abhorentem? Ecquoſnam evolves Codices? Ecquas luſtrabis Bibliothecas? Hæc enim omnia tam fruſtra quæres, quam qui tondet aſinum vel mulget hircum. Eugepæ! Abjice has nugas, atque eò iter converte, ubi & animum excolere queas, & honeſtum vitæ ſubſidium tibi parare, & novos honores capeſſere. Adhæc tu: Ubinam gentium*

tium contingere nobis hæc possunt? Romæ subjunxi. Post alia verò quæ Antonio suo Romæ versaturo documenta præscribit; *Ea tu,*inquit, *cum pro mitissimo tuo ingenio atque egregia indole, singularique in nos studio ac benivolentia, patraveris; ita tamen cum animo tuo reputa, non te iccirco urbem petijsse, ut vias & compita tereres, ut inertem vitam ageres, ut in salutationibus cæterisque candidatorum officijs contabesceres. His enim artibus quid refert Romæne sis an Mexici?* Scilicet, cùm latissimè Indiæ Occidentis extendantur & pateant, nec dum Martinus in Epistola sua Insulam, Urbem, Pagum, aut Oppidulum stylo signasset, quò se Antonius apud Indos conferre vellet, Mexicum tandem indigitavit, postremam, si Superis placet, totius Orbis barbariem, cimmerijs inscitiæ tenebris involutam, rudissimæ, si quæ aliquando fuit aut olim est futura, gentis domicilium & sedem, quæ inauditis retro præstigijs, veluti objecto Medusæo capite capiti cuique Hispano, Gallo, Belgico, Germano, Italo, & cujusvis Europeæ gentis eruditissimo etiam & excultissimo, ad unum omnia dementet, belluisque insipientissimis quam similima reddat lacrymabili prorsus metamorphosi. Hæc postquam animo versabamus, Epistolâ Martini perlectâ, statim cogitatio nos subijt Bibliothecæ Mexicanæ adoriendæ, qua una Patriam gentemque nostram ab immani atrocique injuria vindicaremus, turpissimamque notam per summam imprudentiam, ut modestissimè loquamur & pacatissimè, nobis inustam esse commostraremus. Quòd verò multi moliminis Opus cogitatam Bibliothecam non nesciremus, homini præsertim alijs, quæ nuper insinuavimus curis, distri-

cto, & infirmâ valetudine conflictato, nec Horatianum negligendum monitum duceremus: *Sumite materiam vestris qui scribitis æquam viribus, & tentate diu quid ferre valeant, quid ferre recusent humeri*; ad amicos, eruditione unà & judicio pollentes, delatâ re, audendum nobis esse, & totis viribus connitendum, est constitutum, jactâque in Deum fiduciâ, pro ejusdem honore ac gloria meditatam Bibliothecam excolere palamque dare, quæ Nationi machinatam nostræ calumniam ab Decano Alonensi contundat, coerceat, obterat, & in auras & fumum abjiciat. Etsi enim ipsam Eruditi quique & prudentes viri cujusvis Nationis & gentis litteris expolitæ, despicatui habituri sint, explosuri, nec sine cachinis audituri aut lecturi; verendum est tamen, ne similes aliqui Emmanueli Martino inveniantur, omnem qui eruditionem suam & doctrinam ponentes in Latinæ & Græcæ Linguarum cultura, Poeseos amænitate, & Romanarum inscriptionum veterum eruderatione, cætera negligant omnia, & nescientes prorsus notissimas doctis viris Historias & res, unâ cum Alonensi Decano gradiantur sententiâ, præjudicijsque ducti & fuco ab ejus Epistola facto, eosdem errores imbibant & evulgent. Sed antequam Operi accingamur, quod & imprudentiam Martini, & ignorantiam de rebus nostris, & temeritatem etiam ejus scribentis meridianâ luce clariora reddat; opportunum existimavimus nonnulla præfari, quæ statim legentibus cuncta brevì subjiciant, insimulque consilium & argumentum nostrum aperiant.

An-

ANTELOQUIUM II.

Quanta Decanus Alonensis Mexicanarum ignoratione antiquitatum laboraverit commostratur, priscorumque eruditio Indorum nostratum ostẽditur Codicibus ipsorum & Bibliothecis in theatrum productis.

TOtus ferme ut erat Emmanuel Martinus in eruderandis veteribus Orbis veteris monumentis ac Romanis inscriptionibus & antiquitatibus, Orbem novum fastidire visus est, & quæ in ipso scitu sunt dignissimæ antiquitates, penitus ignorâsse, quas si unquam rescivisset, mitiori credimus calamo usus fuisset & atramento, non jam de Hispanis hominibus in America Mexicana natis aut degentibus, sed veró etiam de Indis ipsis aliquando scripturus. *Quò te vertes*, inquit, *apud Indos in tam vasta litterarum solitudine?* Persuaserat scilicet sibi Mexicanenses etiam post geminum seculum & amplius, operâ Hispanorum excoli nondum ac dædolari valuisse, quòd stipitibus similes dedoceri barbariem obfirmatè renuerint, atque ab insita sibi ignorantiâ desciscere possint nunquam, perinde quasi è ligno confiċti, è quo nullus Artifex Mercurium efformet, ut subinde tondeat asinum vel mulgeat hircum is qui eorum unum quærat aliquid scientem, aut scire cupientem, aut à litteris non abhorrentem, Ætiopemque lavet quicumque Indos inter nostros Codices investiget,

 aut

aut Bibliothecas ſuſpicetur & cogiret. Quam veró deluſus fuerit homo eruditus, & Mexicanenſium priſcas res ignoraverit, calamiſtro ipſe ſuo ſatis oſtendit & oratione. Si enim vetera aliquando monumenta noſtratum ſcrutatus eſſet, & conditas tùm ab Hiſpanis, tum ab exteris Hiſtorias evolviſſet, ineruditos neutiquam Indos Mexicanos cognominaſſet. Latuit quidem ipſos litterarum uſus & elementorũ, queis Europeæ Nationes & excultæ quæque ſcribunt, ac memoriæ commendant res, Facultateſque & Scientias tradũt; non iccirco tamen rudes & impoliti fuere atque omnium expertes ſcientiarum, Codicibus deſtituti, & Bibliothecarum ignari. Hanc ob rem vir in paucis Clariſſimus, Tlaſcalenſium Epiſcopus primus, Illmûs. D. M. D. F. Julianus Garces Ord. Præd. in Epiſtola ad Paulum III Summum Pontificem data anno 1533, quæ extat apud Illmûm. D. F. Auguſtinum Davila Padilla in Hiſtoria Provinciæ Mexicanæ Dominicanorum lib. 1. cap. 42, & apud alios, in hunc modum ſcripſit: *Et quoniam eos* (Indos Mexicanos) *penitus litteras non didiciſſe prædixerim, palinodiam cano, pingebant enim, non ſcribebant, id eſt, non litteris ſed imaginibus utebantur, ſi quid abſentibus ſeu tempore ſeu loco memorabile vellent ſignificare. Quod & Lucanus inſinuat in hac verba.*

Phœnices primi, famæ ſi creditur, auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.
Nondum flumineas Memphis contexere Biblos
Noverat, & ſaxis tantùm, volucreſque feræque,
Sculptaque ſervabant magicas animalia linguas.

Hiſtoriam porro Mexicani coluerunt & Poeſim,
Rhe-

Rhetoricam item & Oratoriam, Arithmeticam, Aſtronomiam, & id alia, quarum extant monumenta clariſſima, & teſtes omni demum exceptione majores, Anteloquiio IV adducendi. Quo enim pollebant ingenio haudquaquam obtuſo eorum primates viri Sacerdotio inſignes atque muneribus, litterarum vice figuras & imagines admovebant rebus ſignandis aptiſſimas, easque lapidibus quandoque inſculpebant aut lignis, ſæpius pinguiori chartæ, emporeticæ noſtræ ſimili, aut pellibus alutis, ceu membranis mollibus commendabant coloratas atque diſtinctas, & his quidem notis uſus illis erat nihil non memoriæ commendare ſcitu dignum, unàque diem, menſem & annum, Hiſtorias texentes ab uſque majorum ſuorum origine & in Americam noſtram commigratione. Solenniores inter 5 Libros Nationis cenſebantur dædaleo planè opere Circuli picturati, ſinguli ſecula ſingula complectentes, annos diſtinctim, menſes, hebdomadas, diesque pro ipſorum methodo, vix non in omnibus Kalendarijs noſtris conformi, quòd ad nucleum & ſubſtantiam temporum attinet, ut legere eſt apud ſubjiciendos Authores. Hos inter nulli ſecundus D. Carolus de Siguenza & Gongora Mexicanus ſtudioſiſſimè Circulis annalibus ad lydium Matheſeos lapidem revocatis, collatisque cum antiquiſſimis Europæis Kalendarijs, ab Solis Lunæque defectionibus, & alijs rarioribus phenomenis operâ Mexicanenſium ad chartas jam pridem reductis, & nihilo à veritate rei diſcrepantibus, Mexicanorum rimatus originem, quam longiſſimè retro habitam, & Imperij

Me-

Mexicei eventus omnes & Hiſtoriam aperuit, de qua in loco dicemus. Adhæc Prædictionibus Chaldaicis ſimiles Codices efformarunt *Tonalamatl* dictos, pro futuris tempeſtatibus enunciandis, præſagiendisque rebus Aſtrologorum genio, quarum exemplar tabularum Siguenza ipſe poſſedit, ad literamque excripſit in Cyclographia ſua, ut habetur in ejuſdem *Aſtronomicæ Libræ* procemio. Erant præterea genti Volumina alia haud minus inſignia, quorum aliqua, ceu quæ dicimus Martyrologia & Kalendaria ſacra, habebantur pro ſignandis diebus feſtivis & religioſis: alia, ceu Genethliaca, puerorum natales dies & nomina exhibentia: alia demum Nuptialia ſeu de ritibus & ceremonijs pro ineundis connubijs, ut memoriæ prodidit, alios inter, admodum eruditus P. Hieronymus Roman Auguſtinianus 2 part. Rerum publicarum Orbis lib. 2 de Indorum Occidentalium Republica cap. 16. fol. 402.

Id porro generis Volumina habuerant innumera, quæ cùm depictis animantibus, volucribus, herbis, floribus, hominibus, plurimisque alijs tetrâ ſæpe numero ac truci figurâ & aſpectu feroci conſtarent, circulisque & notis Hebraicis & exoticis characteribus quam ſimillimis, Apoſtolici viri Catholicæ Fidei propagatores, primarijque Mexicanæ Eccleſiæ ſatores, rerum ignari ſub involucris illis latentium, ſuperſtitioſa planè cenſuère, & pro gentis uſu idolis referta ac dæmonis ſimulachris, proptereaque diligenter ubique quæſita, flammis concredita fuère lacrymabili Antiquitatum Americanorum & Hiſtoriæ jacturâ, quæ certè fuiſſet irre-

irreparabilis, ni Indorũ aliqui ſacris noſtris addicti, nec Scriptorum ſuorum neſcij, clam illa habuiſſent, in lucemque non diu poſt adducta religioſis aliquibus Patribus commoſtraſſent & aperuiſſent, quibus uſui fuere pro Hiſtorijs adornandis pleniſſimis, Indis ipſis & Mexici & alibi Americæ noſtræ Œdipos agentibus, & Sphinges majorum ſuorum ac Hieroglyphica declarantibus. Hinc nata fuère duodecim Volumina grandia in charta Regia à P. Bernardino Sahum Franciſcano elucubrata, quæ ſunt Dictionarium Hiſtoricum Mexicano Hiſpanum copioſiſſimum, de quo in loco dicemus; P. Torquemadæ Monarchia Indica, & quam plurimi Libri admodum eruditi, quos in ſuis aptè ſedibus in Bibliotheca noſtra locabimus. Indorum quòd attinet Bibliothecas mirum non eſt habuiſſe multas illos, tot à ſe picturatis Voluminibus & Libris inſtructas. Quarum argumenta & indices ſunt quæ ſuperſtites erant diu poſt Mexicanam expugnationem flammis ſubductæ Eruditorum induſtriâ Dominorum, qui eas unàque Hiſtorias & Kalendaria ſua apud Mexicana præſertim, Tezcucana, & Tullana domicilia aſſeruerant, & inſtructiſſimo in hiſce rebus viro Societatis JESU P. Joanni de Tobar (ni nos conjectura fallit) commoſtrarant & aperuerant, ut ſcribit P. Acoſta in Hiſtoria Naturali & Morali Indiarum hiſpano ſermone conſcripta lib. 6 cap. 7. pag. 407 in fine, & 408 in principio. Harum reliquias Bibliothecarum plures conquiſivit & tenuit inſignis in paucis Siguenza, de quibus ſæpe in Operibus ſuis memoriam habet. Noſtra

etiam ætate multa extant Volumina id generis undique collecta, egregiâ quidem defatigatione & pari conatu, ab erudito viro equite Laurentio Boturini, qui Mexici degens, ea nobis multisque monstravit, & in Catalogo Musæi sui Indici singillatim recensuit. Adhæc: Erant apud Indos nostros Archivia, ut de Jucatanensibus signatim scribit Cogolludo in eorum Historia lib. 4. cap. 5. pag. 186. Oppidum Tixualahitun seu Hispaniarum Septimancæ Tabularium appellans.

Mexicanæ specimen scriptionis per figuras & Hieroglyphica extat typis editus & laminis adornatus Liber, quem à Mexiceo Pro-Rege ad Carolum V Cæsarem missum, Mexicano & Hispano Idiomatibus explicatum, interceperunt Galli; Anglicusque factus à Lock, editus fuit à Samuele Purchas in Collectione itinerum relationumque, & Gallicè versus à Melchisedec Tevenoth prodijt anno 1696 in fol. habeturque in hujus relationum tom. 2. part. 4. cui libro titulum dederunt: *Historia Imperij Mexicani figuris repræsentata.* Parisijs apud Sebastianum Mabrec-Tramoysy. Continentur in eo Libro LXIII Volumina Mexicana, quorum prima duodecim de Imperiali Urbe nostra Mexico agunt ac ejusdem Imperatoribus, & qua eorum quisque epocha rerum potitus est, de subjugatis sibi Provincijs, & rebus id temporis scitu dignioribus. Cætera ad numerum usque 49 vectigalia, idque genus alia tributa Regibus pendi solita coloratis imaginibus exhibent. Quæ sunt reliqua ad finem usque varijs argumentis coram dandis fuere conscripta. Eorum aliqua præclarus

rus eruditionis famâ P. Athanasius Kircherius inseruit Œdipo suo Ægyptiaco tom. 3. c. 4 quode seorsim agamus haud ingratum erit aut injucundum.

ANTELOQUIUM III.

Num litteratura Mexicanorum propriè Hieroglyphica dici possit?

HUnc ferè invariatum titulum doctissimus Kircherius dedit capiti 4 Œdipi Ægiptiaci sive Theatri Hieroglyphici tom. 3 cujus post exordium capitis inquit: *Porrò licét Mexicani characteribus litterisque ut pote Scriptoriæ artis ignari destituantur; quibusdam tamen picturis mentem suam exprimere conati sunt.* Relatisque à se visis Voluminibus, quorum in decursu capitis figuras exprimit laminis & enucleat, subdit: *Cum itaque dicti Characteres ex varijs animantium, hervarum, instrumentorum, similiumque figuris constructi sint, plerique hanc litteraturam prorsus Hieroglyphicam esse sibi persuaserunt. Verúm hanc opinionem falsam esse, ex his quæ paulo post adducemus sat superque patebit. Siquidem certum est nihil sub ijs latere arcanis rationibus involutum; sed figuræ ipsæ positæ ipsas quasi actiones seu seriem rerum gestarum exprimunt, & non secus ac picturam quandam rei gestæ exhibent. Verùm ut & hoc loco ad oculum rem demonstremus, nonnullas figuras ex varijs Mexicanæ Historiæ Scriptoribus extractas explicandas duxi, ut instituti nostri ratio luculentius patefiat.* Tum supputandorum rationem annorum repræsentat, multaque de seculis à Mexicanis computatis apponit,

deque menſibus & ijs affinibus. Mox typum exponit Scripturæ Mexicanæ, qua primordia fundationis Mexiceæ Civitatis indicantur. Succedit quorundam Mexicanorum Regum Hiſtoriæ explicatio. Poſtremò adjicitur Pictura quæ leges pro educandis filijs præſcriptas, eorumque educationem ob oculos ponit. Atque ijs demum concludit Mexicanam litteraturam nihilo à rudi pictura diſcriminari. Graviſſimi Kircherij veſtigia ſectatus eſt Brianus Uvalthonus Natione Anglus (de quo videſis Bibliographiam Criticam Hiſpani eruditiſſimi P. F. Michaelis à S. Joseph Volumine 4. pag. 488) Prolegomeno 2. Bibliæ Poliglotæ à ſe editæ anno 1660. Cæteri verò quos viderimus ea de re Scriptores, litteraturam Mexicanenſium tam eſſe Hieroglyphicam cenſent quam Ægyptiaca Symbola & Schemata fuere. *Hujus etiam rei* (inquit P. Didacus Valadeſius Franciſcanus longa eruditus 40 annorum conſuetudine cum Indis noſtratibus, ijsque proximè conſequutis primos Chriſtianis adjunctos, in Rhetorica chriſtiana part 2. cap. 27) *admirabile extat in commercijs Indorum & contractibus exemplum, qui etiam ſi ſine litteris (cujus ſupra mentionem habuimus) formis tamen quibuſdam & imaginibus voluntatem ſuam viciſſim denotabant, quas geſtare ſolent in panniculis bombycinis, papyro bibula ex folijs arborum. Ea conſuetudo in hodiernum uſque diem in rationum ſuarum tabulis remanſit, non modó ab ignorantibus, verùm etiam rectè legendi ſcribendique (quorum plurimos ad miraculum uſque exercitatiſſimos videas) peritis. Id illis commnne fuit cum Ægyptijs qui per ejuſmodi quoque figuras ſenſus mentis effingebant, celeritatem deſignantes per Accipitrem, vigilantiam per Cocodri-*

drilum, per Leonem imperium: de quibus vide Orium Apollinem de litteris Hieroglyphicis. Plinium lib. 36 cap 8. item cap. 11. Meminerunt præterea ejusmodi litterarum Strabo lib. 17. Cornelius Tacitus lib. 13. Cœlius Rodiginius Antiquarum lectionum lib. 29. cap. 26. Volaterranus lib. 33. Inter alias etiam effigies scarabæos, apes, fluvios, boves, vultures aliaque id genus notare consueverunt. Hæc ille. In eundem sensum communiter alij loquuntur. Rem verò nobis acu tetigisse videtur Franciscus Lopez de Gomara in Hist. Mexicanensi hispanicè scripta fol. 293 edit. Antuerpiensis anni 1554 qui admodum similia Ægyptiacis Hieroglyphicis Mexicana symbola nominat, quæ tamen non adeò ut illa sensum & rem obtegant, tegereque aut possint aut debeant, ea nimirum quæ pro familiari & vulgari commercio sunt instituta. Solennius verò & omnium doctissimè rem enuclearunt præstantes eruditione viri Hispani, qui aureo libro de *Origine Indorum* à P. Gregorio Garcia Dominicano jam diu elucubrato pretium addidere selectissimis accessionibus, queis in fol. prodijt anno 1729 typis Madritanis Francisci Martinez Abbad, à quibus aliqua libare non piget tradita pagg. 249. 250. 251. additis opportunè nonnullis. Exploratum quidem est & compertum *Hieroglyphica esse signa arcana non cuivis obvia*, pro ut Joannes Henricus Alstedius in Encyclopediæ omnium scientiarum tom. 4. lib. 35. sect. 14. regulæ instar scribit, atque ad unum omnes ejus rei tractatores habent. Jam verò & si Mexicanensium Symbola pro familiari consuetudine data, & vulgaribus & plebeis etiam nota, Hieroglyphica propriè non fue-

rint, restant sanè innumera penè vulgarium, etiam gentilium, captum exsuperantia, arcanis gravida & ocultis mysterijs. Nec enim picturas inter omnibus notas & characteres nullum erat apud Indos discrimen, sive efformandi Imagines modum spectes, sive Artifices, sive usum & finem. Coloratæ siquidem tabulæ pro Ædium ornatu, quas Principes viri incolebant, tam erant omnibus numeris absolutæ, graphicèque expolitæ, ut desiderari nil posset ulterius, quà erant in arte pingendi elegantiâ, cujus etiamnum extant documenta imagines ex versicoloribus plumis distinctæ, multo in pretio apud Europam habitæ & coemptæ. Secus ij agebant qui characteribus scribendis operam dabant, trucia valdè & ferocia exhibentes idola, monstra & id genus alia in propositum sibi scopum collimantia, & pro varijs Provinciarum usibus diversa itidem simulacra. Adhæc, cùm pictoriæ arti excolendæ multi ex officio incumberent pro cujusque indole & genio; Characteres tamen scribere, Annales condere, sacraque & publica memoriæ commendare sapientiorum duntaxat erat & Sacerdotio insignium. Tandem, cùm luxui & ornatui tabulæ picturatæ inservirent; colorata tamen & Imaginibus distincta Volumina Historias concernebant, Leges, Sacra, & quæ memorabimus alia, à vulgi captu, nisi Præceptorum vox accederet, longè remota. Hoc etiam ijs Mexicanorum Libris pretium addiderat, quod Chronologiam pictis Imaginibus traderent, & exactam seculorum seriem unà cum Historia ob oculos ponerent, in quo visi sunt sapientissimos Ægyptio-

rum

rum facilè superasse. Sanè, abstrusa, quibus utebantur, ænigmata conspicientes, nisi Œdipus accedat, res penitus latebunt, hærentesque in cortice, nil præterea mysterij & arcani suspicabuntur. Ecquis enim contemplatus spelæa septem virumque è singulis egredientem, animo concipiat septem Urbes ad Boream positas, è quibus totidem Nationes exierint, latèque per Mexiceas effusæ Provincias, Mexicanum tandem Imperium condiderint? Et hoc quidem sibi Indi voluere pictura ista repræsentare. Idolum pinxere Indos arcu obarmans atque sagittis, unàque rete. Hac significantes Sphinge, portendentesque, fore ut pharetris & jaculis Reges subigerent, cum piscatoriam agere viderentur atque in Lacu consederent Mexicano. Cui non absimiles frequentissimè in eorundem Voluminibus habebantur. Reliquas ut missas faciamus, illam placet indigitare, quæ extat apud Kircherium in Typo fundationis Mexicanæ Urbis. An is qui depictam obtuetur Aquilam expansis alijs insistentem lapideæ arbori spinis obsitæ (indigenis dictæ *Tunal*) quæ in medio Lacu visitur, divinare citra docentem poterit, id emblema esse Oraculi dati venientibus olim Indis è septem Urbibus, extruendæ Civitatis *Tenoxtitlam*, eò paludis, ubi insidentem arbusculo Aquilam aliquando tandem offenderent? Mirum proinde non est, si versatissimus in extricandis Hieroglyphicis vir, sagacissimusque Kircherius, nostris destitutus Historijs, & in eis exercitatorum voce & auxilio, nil præterea sub eo symbolo subodoratus fuerit, quam quæ ijs ipse verbis expressit. *L Tenoxtitlam, repræsentat arma*

* *qui-*

quibus utebantur in acquisitione loci Tunal. N Aquilam significat, quæ ibidem nidulabatur. O Habitationem sive mansionem eorum. Quæ sanè omnia nil acuminis & arcani continere nemini dubium est. At enim secus existimasset vir ad stuporem usque eruditus, si aut Codices eas figuras interpretantes à nostris conscriptos ad manus habuisset, aut vivum Interpretem nactus esset, quo de ijs & cæteris doceretur, in queis facile, citra piaculum quidem, errasse notavit D. Carolus de Siguenza & Gongora, addictissimus si quis ullus P. Kircherio, obiter hæc attingens in Politicarum Theatro virtutum præludio 3. pag. 17. Quod ne pro arbitrio nostro dictum videatur, non abs re erit paucula indigitare ex ijs quæ Kircherius ipse habet tom. 1. Œdipi item Ægyptiaci syntagmate 5. pag. 817. & seq. cap. 5 cujus titulus est: *De Religione Americanorum Ægyptiacæ Parallela.* Multa postquam fusè describit pristinæ Americanorum idololatriæ, Templaque Ægyptiorum exemplo mystica quædam in modum Pyramidum ædificata refert, ac depromptam à Ferdinandi Cortezij scriptâ narratione ob oculos ponit Figuram Fani Horcolivos (lege *Huitzilopochtli*) Numinis Americani; ad extremum subjungit: *Multa mihi hoc loco de mysticis hujus Idoli imaginibus, quarum interpretationem ex PP. nostris Mexicanis percepi, dicenda forent; verùm quando quidem ea alteri loco reservavimus, supervacaneum esse ratus sum, ijs hîc diutius inhærere. Sufficiat interim hoc loco Americanæ ad Ægyptiacam idololatriam affinitatem, quo unicé collimabamus, demostrasse.* Hæc Kircherius, è quibus conficimus duo instituto nostro quam opportuna.

Pri-

Primum, myſticas in Mexiceis Idolis agnoviſſe ſignificationes, ubi Patres Societatis JESU Mexicanos ea de re loquentes audivit vir doctiſſimus. Secũdum, Mexicanam idololatriam Ægyptiacæ parallelam non dubitaſſe; quarum cùm affinitatem & alij noſtrates agnoverint, & præ cœteris compertam habuerit citatus ſupra, nec ſine laude memorandus Siguenza, erutam ſtudio ejus è Mexicanis antiquiſſimis monumentis authographis, unàque convenientiam & in putandis annis & in habitu & ceterâ conſuetudine politicâ & religioſâ, nullus ipſe anceps fuit in eorum ſententia tutanda, quam multi tenent à ſe allegati in dicto Præludio, pluribus edocens Mexicanos ab Egyptijs progenitos, à queis unà cum ſanguine cœtera hauſerint, & quod propius argumento noſtro eſt, Characteribus Hieroglyphicis litterarum inſtar fuiſſe uſos. Sed de ijs hactenus. Modò ad alia antiquorum eruditionis Mexicanenſium documenta ſtylum convertamus oportet.

ANTELOQUIUM IV.

Illuſtria aliquot monumenta traduntur, queis proximé dicta illuſtrantur atque firmantur, ulteriusque priſcorum eruditio Mexicanenſium validé aſſeritur.

JAm verò locupletes dictorum teſtes afferamus par eſt. Ii porro tot ſunt, ut multi eſſemus,

nec ſine lectorum faſtidio, ſi cunctorum ſillabum texeremus. Ea propter notiores famoſioresque dabimus, qui aut Mexicanorum Volumina, ut diximus, Characteribus & Imaginibus exarata commendant, aut Kalendaria ingenioſè conſtructa exhibent, aut Poematia indigitant, aut cætera ingenij & doctrinæ argumenta pandunt & laudant. F. Joannes de Torquemada in Monarchia Indica tom. 1. lib. 1. cap. 11. pag. 30. Editionis Madritanæ anni 1723, & in Proœmio lib. 2. pag. 75. & lib. 4. cap. 19. pag. 395. & alibi. Cogolludo in Hiſt. Jucatanenſi lib. 4. cap. 6. pag. 189, & lib. 6. cap. 1. pag. 309. Betancurtius in Theatro Mexicano ſecunda part. capp. 5. 6. 7. à pag. 61. & alibi. Henricus Martinez in Repertorio temporum & Hiſtoria naturali Novæ Hiſpaniæ tract. 2. cap. 9. pag. 105. Illmûs. D. D. F. Franciſcus Nuñez de la Vega, in Conſtituit. Diœceſanis Epiſcopatus Chiapenſis in Præambulo §§. 28. 29. 30. 31. & tit. 30. §. 2. Ludovicus Becerra Tanco, in Felicitate Mexicea, ſeu de Apparitione Imaginis Guadalupiæ Virgineæ pag. 42. Editionis Madritanæ anni 1745. & alibi ejuſdem Opuſculi. P. Florencia in Hiſtoria ejuſdem Guadalupanæ Imaginis cap. 15. fol. 29. col. 2. Rea in Hiſtoria Provinciæ Michoacanenſis Franciſcanorum lib. 1. cap. 5. fol. 8. col. 1. & alibi ejuſdem Operis. P. Acoſta in Hiſtoria naturali & morali Indiarum lib. 6. cap. 7. D. D. Joannes de Solorzano de Jure Indiarum tom. 1. lib. 2. cap. 8. n. 96. F. Antonius à Matre Dei, Pintianus, Carmelita Excalceatus in Præludijs Iſagogicis prælud.

2.

2. dub. 2. & § 2. n. 22. pag. 163. Boturini in Idæa novæ Hist. generalis Americæ nostræ, & in Catalogo Musæi Hist. Indici tertio quoque verbo. Illmûs. D. D. D. Josephus Adame & Arriaga in Imperiali Mexicana Universitate illustrata pag. 567. n. 2241 & 2242. Gomara in Historia Mexicea tom. 2. fol. 213. D. Antonius de Solis, in Hist. Expugnationis Mexiceæ lib. 2. cap. 1. Garcia in Origine Indorum Novi Orbis lib. 4. cap. 22. pag. 238. Edit. novissimæ, cap. 23. pag. 246, & cap. 24. §. 1. pag. 251. & §. 7. pagg. 232. & 233. Ut verò multa paucis complectamur & demus Emmanueli Martino, viro Eruditis exteris addictissimo, placet hîc Eruditorum Lipsiensium fragmentum transcribere, quod extat tom. 8. supplem. pag. 301. ubi: *Periegesis* vel *Iter per universum Orbem Authore D. Joanne Francisco Gemello Carrero* (quem Lipsienses ipsi *Doctissimum virum Neapolitanum & JCtum* apellant) exhibetur. *Lectu digna est descriptio hujus Urbis* (Mexici) *Regionisque ab Authore facta; Ædium pulchritudine Italiæ urbibus parem, fœminarum Italis superiorem esse prædicat; incolarum centum millia, &c ::: Curiosissima sunt in primis duo monumenta ab Authore tom. 6. pagg. 28 & 45. exhibita, quorum altero tota gentis Mexicanæ Chronologia inde ab ortu ejus, unà cum notabilioribus eventibus & fatis; altero Cyclus secularis Mexicanus, utrumque per Symbola & Characteres hieroglyphicos repræsentatur. Tacemus Pyramides duas Soli & Lunæ dicatas, eorumque Imaginibus ornatas, ex saxo prægrandi, quæ tamen ab Hispanis confractæ eversæque jacent. Vindicavit hæc omnia ab interitu quem Hispanorum ruditas minabatur* (hæc scilicet est

* repe-

repetita ab exteris in nos cantinela, & ab Alonensi Decano plenis buccis iterum atque iterum decantata) *Juan de Alva Dominus de Cetzieazgo, &c. qui ex Regibus Tezcuci descendebat; explicavit verò eadem D. Carolus de Siguenza & Gongora Cathedraticus & Professor Matheseos Universitatis Mexicanæ in sua Cyclographia, qui & idem edidit alium Tract. sub titulo Libra Astronomica::: Quantum ad reliqua Author exercitationibus & examinibus Academicis quarumlibet Facultatum in Universitate Mexicana crebro se interfuisse testatur.* Hactenus Eruditi Lipsienses forsitan Emmanueli Martino non arrisuri, à queis in Novis Supplem. tom. 1. pag. 403. ejusdem styli ethnicismus carpitur non injuriâ.

ANTELOQUIUM V.

Antiquorum Collegia & Gymnasia Mexicanensium Indorum á gravissimis Scriptoribus bono in lumine collocantur.

QUò longius ac longius barbariem propulsemus ab Indis Mexiceis, atque ab inscitiâ de qua incusari solent injustè, etiamnum & iterum eos vindicemus, operæ pretium existimamus, si eorundem Scholas & pro instituendis pueris & juvenibus Collegia & Gymnasia in medium & publicum adducamus, excriptis non domesticorum modò testimonijs, sed exterorum eruditionis nomine insignium. Agmen ducat laudatissimus Belga Justus Lipsius in Lovanio

nio lib. 3. cap. 6. cui titulus: *Vetus Academiarum ſpecimen in Oriente, itemque Ætiopia, Africa, & Novo Orbe.* Ibi: *Apud Mexicanos lego Scholas in Templis fuiſſe, & ad eas divites præſertim nobileſque filios ſuos miſſitare ſolitos ab anno ætatis 5, ubi à Præceptoribus ſuis docebantur, coercebantur, nec egredi fas erat. Et ad uſum juventutis hujus, terræ & agri erant, é quibus fructus & annonam colligebant.* Hæc Lipſius, cujus veſtigia ſequitur eruditus admodum Conſiliarius Hiſpanus D. Laurentius Ramirez de Prado in Notis ad Luitprandum pag. 424. Succedit Joannes Henricus Alſtedius in Encyclopædia Scientiarum omnium tom. 2. lib. 18. part. 3. Geographiæ cap. 4. §. 5. pag. 566. *Hiſpania nova, quæ aliàs dicitur Hiſpania magna, & Regnum Mexicanum, cultiſſima eſt omnium Regionum totius Americæ. Hîc eſt Urbs Mexico duodecim Italicis milliaribus in circuitu patens, & Venetæ Urbis in morem undique navigabilis. Habet quingenta incolarum millia. Eſt Urbs totius Orbis maxima. Eſt ibi Schola celebris.* Laurentius etiam Beierlinc in Theatro vitæ humanæ, titul. *Academia,* verſu *Americæ,* ejuſdem Gymnaſij memor eſt. Gerardus Mercator in Atlante minore à I Hondio aucto & illuſtrato Amſterodami ex Officina Joannis Janſſonij 1634. pag. 63. inquit: *Fuerunt in hiſce Indiæ partibus plurima & quidem ſuperba & magnifica Templa Idolis conſecrata, & cetera....Fuit in Urbe Mexico celeberrimum Templum Vitzilipuztli, ambitum ampliſſimum habens atque aream intus pulcherrimam. In primis verò res admiratione digna cura quam Mexicani gerebant in educandis liberis, certo ſcientes nihil eſſe in tota rerum univerſitate, quod plus adjumenti ad rectam rerum tum privatarum tum publicarum conſtitutionem adfert, quam pueritiæ diſciplina.* Quòd

verò exteri Authores à nostratibus isthæc mutuati sint, libet indicatos supra consulere, præsertim Hieronymum Roman lib. 3. citati Operis cap. 5. & Betancurtium p. 80. Queis addimus P. Joannem Eusebium Nierembergium in Historia Naturæ maximè peregrinæ lib. 8. cap. 22. ex Doctore Francisco Hernandez septuaginta octo partes maximi Delubri Mexicani politissimè describentem, c. verò 26. Ministros deorum enumerantem, ubi *Mexicon tehuoatzin* dictum gentis idiomate, Patriarchæ similem indicans, atque ejusdem cœtera munia, inquit: *Ad eum spectabat curare ut quæ ad cultum deorum pertinerent, in quibusque Oppidis atque Provincijs Mexicano parentibus Imperio diligenter atque exquisité peragerentur secundum leges ac ritus antiquorum Pontificum & Sacerdotum, ac præcipue quæ ad educationem juvenum instituendorum in Cœnobijs Collegijs vé, vocatis Calmecac....In munere eum juvabat quidam alius vocatus Vitznahoac tehuoatzin, nec non alius Tepantehuoatzin cui præcipua cura erat, ut qui in cunctis Calmecac Provinciarum, quæ subjecta erant Mexico, educabantur, apté commodéque gubernarentur atque instituerentur.* A Torquemada & Betancurtio etiam habemus, præter Gymnasia Mexicanensia in ipsa Urbe Imperij capite condita & frequentata, alia quoque floruisse apud Tezcucanos, potissimum regnante Nezahualcoiotl, qui Imperatori Mexiceo suberat. Nam ut erat insigni prudentiâ, hujus operâ Academiæ instar constitutus fuit cætus Poetarum & Musicorum, magno apud Tezcucanos numero, eorumque etiam qui Astronomiam colebant, & Historias ornabant, artibusque alijs se se exercebant, ut collatis rebus atque discussis, in dies

exer-

exercitatiores evaderent & doctiores, dato ipsis Præside filio suo Xochiquetzaltzin nomine. Ita Torquemada habet tom. 1. lib. 2. cap. 41. pag. 147, qui ad calcem cap. 45 ejusdem libri pag. 156 memoratum Regem poetica laude exceluisse tradit, & ejusdem canticum ad mores formandos compositum laudat, exordiumque transcribit: *Xochitl, Mamami in Huehuetitlam &c.* Alium itidem inter Tezcucanos Reges insignẽ commemorat Nezahualpilli dictum eodem libro c. 64. p. 188 scrutandis sideribus deditum, tantoque Astronomiæ studio & amore flagrantem, ut quotquot ea scientiâ tinctos ubique sui Regni novisset, in Aulam acciret secum eis de rebus communicaturos, & nocturno tempore stellis & cœlo invigilaturos, cui negotio destinaverat atque ex arte composuerat Ambulacrum palatij superius, quod proprijs lustravit oculis Torquemada.

ANTELOQUIUM VI.

Mexicanorum in Poetica studium & Oratoria traditur: peritia in rebus physicis exhibetur, &, quibus utebantur, Leges innuuntur; tum alia ingenij signa paucis notantur.

NOn is solùm, quem mox diximus, Rex Tezcucanus Musis litare, excipereque festivè canentes usu tenuerat, sed & alij Reges & Imperatores politissimique Mystæ & Sapien-

* pien-

pientes. Poeticis enim numeris delectati, epica carmina concinebant prælonga, pueris que addiscenda tradebant, ut prçteritarum rerum memoriam dulcedine metri condìtam in ipsos facili negotio instillarent, & ad posteros etiam transmitterent, deque præsentibus, qua ætate carmina fundebantur, illos docerent. Atque his artibus Historiam Americæ omnem, & characteribus picturatam in Voluminibus, & repetitam Canticis, sartam tectam ad adventum usque Hispanorum servarunt, qui demum Indorum consuetudine & usu, vivâ que doctiorum voce eruditi, Libros Europæorum more confecerunt quam plurimos & Historias absolutissimas. Alia præterea concinnabant Poematia, & mores concernentia & Herorum præclara gesta, & genialibus diebus, lusibus, choræis, & similibus agendis metro aptissima. Egregiam itidem operam exhibuere in ornato dicendi genere, quod & Magistri multo usu exercitationeque sibi fecerant familiare, & ijs tradebant juvenibus quos Rhetoricis efformabant præceptis, Oratores que olim initiandos, divite supellectile loquendi copiosissimo & elegantissimo Idiomate accuratè instituebant. Hinc natæ fuere Orationes minimè incultæ, quæ in Historijs Mexicanis Hispanorum calamo scriptis leguntur ab Indis profectæ, nec ab hispanicè narrantibus scribentibusque confictæ, ut opportunè animadversum voluit P. Acosta indicando postmodum loco. Physicam excoluisse, cùm apud Scriptores alios habeamus, tum præsertim apud politissimum Historiographum D. Antonium de Solis, cujus in Expugnationis Mexiceæ lib. 3.

cap.

cap. 14. legimus, amænissima Imperatoris Moctezumæ urbana viridaria floribus & herbis salutaribus undique regni conquisitis afluentia, proque tuendâ valetudine destinata, à Physicis ejus diligenter excoli solita, stûdentibus florum atque herbarum nominibus, vi & indoli, ut appositissima pharmaca præpararent, libenterque omnibus impertirent optantibus, pro Imperatoris genio, sæpe de exitu interrogantis, felicemque cùm esset, sibi gratulantis atque plaudentis. Quid verò Leges pro Republica moderanda ab Imperatoribus constitutæ Mexiceis Sapientum consilio & Prudentium, ni gentis culturam & ingenium præseferunt? Porro tam sunt illæ quæ ad politicam œconomicamque societatem attinent rationi consentaneæ, ut si veræ Religioni conjunctæ fuissent, optari nil præterea valuisset ad solidam integramque vastissimi Imperij felicitatem. Eas enim verò animo reputans F. Hieronymus Roman, vir, si quis ullus, in totius Orbis Rerum publicarum, quas descripsit omnes, usibus eruditus, nullaque Indis consuetudinè junctus, apud quos nunquam fuit diversatus, ut cap. 4. lib 2. indicati supra Operis, palam scripserit, impatienter gravatèque eos audire, qui Indos belluis similes, & abjectis esse ac sordidis mentibus inquiunt, hac, alias inter, ductus ratione, quòd prudentissimas Leges cōdiderint, utque vigerent ac servarentur strenuè accuraverint, de quibus multa sunt lectu digna in recensitis mox Historiographis. Jam verò (ne hoc prætermittamus) quanto Indi nostrates ingenio fuerint etiam in mechanicis rebus, libet paucis innuere verbis allati supra Ge-

rardi Mercatoris pag. 637 ſic ſcribentis: *Sunt Indi rerum Mechanicarum egregij Artifices, præſertim in contexendis varijs avium plumis & ferarum pellibus admirandâ varietate: Qui & laborum tam ſunt patientes, ut ſæpiſſimé integro die cibum non ſumant, ut ſpecioſius concinnent & aptent vel unicam plumam, eandem omni ex parte contemplantes, tum ad Solem, tum in umbra, ut percipiant, magis ne recta an inverſa conveniat, erectis an deflexis crinibus. Itaque ex plumis animal quodcumque, aut florem, aut herbam tanta dexteritate mentiuntur, ut videantur ad vivum expreſiſſe. Aurifabrorum prima & præcipua eſt conditio & præ ceteris artificioſá: adeo quidem ut res quasvis ad vivum exprimant: Valentque plurimum fuſionis artificio, adeo ut vel herbas quasvis, tum res minutiſſimas fuſione fingant tam exquiſité, ut á naturalibus differre non dicas. Sola Mexicana Civitas omnem politicam & vivendi rationem totius Novæ Hiſpaniæ patefacit &c.* Sunt in hanc rem confertiſſima teſtimonia, quibus & Lectores forſitan gravaremus, & extra oleas ferri videremur ea ſi explicatius tradere animus eſſet, quæ mutuari à ſignatis ſupra Hiſtoriographis earum avidus poterit. Ne verò moroſiores ſimus, alijs prætermiſſis de antiquorum Mexicanenſium eruditione teſtimonijs & documentis, ad Emmanuelem Martinum revertamur, atque unà cum eo *ſedeamus ad calculos.*

ANTELOQUIUM VII.

Priscos Mexicanos non injuriâ sapientes inter censendos esse, rectâ demum consecutione ex hactenus datis infertur, injuriusque eorundem Nationi Alonensis Decanus probatur, si eos in Epistola sua indigitavit & stylo confodit.

COlophonem ut argumento, cui hactenus institimus, & auream coronidem imponamus, Proto-Martyris Stephani verbis, quæ habentur in Actis Apostolorum cap. 7 ℣ 22. opportunè ad rem nostram utemur: *Et eruditus est Moyses omni sapientia Egyptiorum.* Ecquæ verò Égyptiorum sapientia fuerit sciscitanti reponit Cornelius Alapide præclarus Sacrarum litterarum Interpres, & ipse omnibus litteris eruditus, in ad Exodi Commentarijs cap. 2. ℣. 10: *Porro sapientia Egyptiorum erat duplex, ait Philo, & Justinus quæst. 25. ad Ortodoxos. Prima aperta ac omnibus exposita; nimirum Geometria, Arithmetica, Astrologia & Musica. Secunda Hieroglyphica, quæ per Symbola gravissima Physices, Theologiæ, & Politicæ Facultatis mysteria edocet; hæc ergo omnia quin & Medicinam, inquit Clemens, didicit Moses.* Hæc sapientientissimus vir. Jam verò quòd ad primam spectat sapientiam, Mexicanos Indos ea floruisse dubitaverit nullus, qui fidem ijs dederit quæ præscripsimus monumentis gravissimis, eorundem non in

* me-

memoratis ſolùm Facultatibus peritiem & uſum docentibus, ſed verò etiam in Oratorijs & Rhetoricis exercitationibus. Quì ergo è Sapientum albo expungantur, & verſati in vaſtiſſima litterarum ſolitudine exſibilentur, atque ita barbari & incultiſſimi traducantur, eorum ut nemo ſit ullus qui aut docere poſſit, aut ſciat aliquid, vel ſcire cupiat, & à litteris non abhorreat? Ad ſecundam ſapientiam Egyptiorum ſi animum advertamus, à Phyſicis tractationibus & doctrinis Indos haud quaquam alienos credemus, ubi ſcripta Anteloquio præcedenti meminerimus;ſi verò perſcrutemur monumenta Hieroglyphicis litteris tradita ab ipſis, multa nobis Volumina ſuppetent Theologica nuncupanda, eo ipſo jure quo profecta ab Ægyptijs ſuperſtitioni deditis Theologica audiunt, hoc eſt, de Idolis ſuis & divis figuræ & ſymbola, & eorum etiam quæ ad id genus religionis & cultus ſpectant. Nec Politicæ rei Hieroglyphica deſunt Mexicanenſia abundè conſcriptis Annalibus ab uſque Imperio condito ad Moctezumæ poſtremi Imperatoris ætatem, bellis, expugnationibus, molitionibus, & actibus cùm amplificandi Imperij, tum etiã moderandi ac regendi gratiâ, opportunè ſignatis. Quæ cum ita habeant, deeſt profecto nil quo minus Egyptijs eruditos dicamus Mexiceos Indos in abſtruſiori, & quam ſecundam diximus, Ægyptiorum ſapientia; palamque fit, injuriâ ipſos prægrandi ab ijs affici, qui belluis eos ſuppares & ſimiles credunt, ignoraſſeque pænitus Mexiceas omnes antiquitates, famoſiſſimosque etiam Europæos Authores Hiſtoricos cum primis & eruditos,

erudi-

eruditum Alonenſem Decanum acerbè Indos & indigenas omnes exagitantem. Jam verò ubi veteribus deditum ſcrutandis Romanarum inſcriptionum exuvijs virum, alta, qua tenebatur Mexicanenſium ignoratione rerum, liberare conati ſumus; non abs re erit, credimus, ſi veteris etiam Mexici ſpeciem ei ſubjiciamus exteri coloratam Authoris calamo, politiſſimi P. Joannis Biſſelij è Societate JESU *Argonautici Americanorum lib. 13.* n. 4. pag. 343 & ſeq. Editionis Gedani apud Ægidium Janſſonij à Vvaeſberge. 1698. ita ſcribentis. *Mexicanæ tamen regionis potiſſima, præque cæteris Hiſpaniæ Novæ terris gloriâ: non modò, quod Regnum antehac late reliquis eminuit, ac jura dedit quacumque patet in Septentrionem America: ſed etiam ob Mexici Principis urbium majeſtatem: quæ ſedes quondam imperij fuit. Sed tunc etiam Temiſtitanum, diverſiſſimo nomine, dicebatur: quæ nunc paſſim á Fontibus & copia ſcatebrarum, quibus circumluitur, Mexicum nuncupatur, id exprimente gentis linguâ. Sita quondam urbs hæc fuit, Venetiarum exemplo, ſuper ingentis lacus medium. Is, gemino ſinuatus ſtagno, paſſuum quinquaginta millibus ambitur: totidem circumquaque ſuper ripam extructis urbibus. Nam quinquaginta fuiſſe, conſtans eſt eorum narratio, qui vetus Mexicum oculis ſubjecerunt. Addunt; earum ſingulas decem millibus plus minus domuum ſuperbiſſe. Sed longiſſimé ſuper has omnes caput erigens Mexicum, tanquam ex annulo gradi gemma pulcrior & extantior; in medio cunctarum poſita, cunctas facilé deſpiciebat. Etenim Orbis totius urbium (ſi modò famæ credimus) ſpatioſiſſima; tectorum turriumque pluſquam ſeptuaginta quinque millia ſurrigebat. Præterea lemborum, quos Canòas ipſi vocant, quinquaginta millibus aſſiduè circumnavigabatur. Quem*

¶ 14 *nume-*

numerum nec hodierni quidem Mexici populositas succidit: quippe non rarioribus, atque quondam, per stagnum excursibus recursibusque distenta. Post multa verò quæ tædij vitandi causâ mittimus, pag. 346. ita concludit: *Porro planitiem, in qua surgit, vallant circumfusi quaqua versum colles, humili, sed tamen vernante semper, clivorum amœnitate. Remotiora verò, quæque duriorem nacta sunt auram, in montes eriguntur: & tanquam amphiteatro gradatim eminent, jugis super juga scandentibus, quæ cuncta nivibus annosis, æternaque glacie rigent.* Hactenus Bisselius Amphitheatrum describens Mexiceum, quod tamen, credimus, flocci ducet Martinus, Theatrum recogitans Saguntinum, de quo à se primùm detecto sibimet gratulatur, contranitente viro erudito D. Joanne Martinez de Salafranca in Diario Litteratorum Hispaniæ tom. 3. à pag. 189. sensumque suum Mari Arecij Syracusani testimonio probante, jam inde ab anno 1554. edito Dialogo Theatrum illud commemorantis.

ANTELOQUIUM VIII.

Emmanuelis Martini ignorantia de Mexicana eruditione ab eo tempore quo excoli ab Hispanis America cæpit ad usque ætatem nostram, aperitur, & in scribendo temeritas confutatur.

HActenus, neutiquam spernendam Indorum Mexicanensium eruditionem, qua retro claruerunt, in Theatrum deduximus

mus, ostendendi ergo quam sint vel ipsis injuriosa, & à vero aliena quæ Decanus Alonensis scripsit. Quoniam verò non Indos ille veteres cogitavit, sed novos indigenas, in ijsque, & Hispanos in America natos, & alibi genitos viros in ipsam ascitos, quos ad unum omnes quam longissimè dissitos credidit à Minervæ sedibus & pomærijs; ejusdem ut in hisce rebus ignorãtia scribendique temeritas aperiatur & propulsetur, è re nostra est. *Quò te conferes apud Indos*, inquit, *in tam vasta litterarũ solitudine?* Ita ne, bone? Hanc ut dedoceare non opinionem dicimus, sed temeritatem: vel ut enucleatius dicamus, amentiam, quanta in vastissima litterarum solitudine litterarum Domicilia duobus ab hinc seculis condi cæperint, in diesque ad delicias usque sapientissimorum hominum effloruerint, paucis audito. Sunt apud Americam Mexicanam Universitates seu Academiæ Pontificia Regiaque authoritate conditæ Mexicana, quæ Princeps est, & ante duo secula, Carolo V Cæsare, constituta: Hispaniolensis, Goatemalensis, Habanensis, Garaquensis, Jucatanensis, in quibus Europæorum more Scientiæ omnes traduntur & Facultates, Gradusque Academici ad Doctoratum usque pro scholarium & candidatorum meritis, singulis destinantur. Sunt Collegia, Seminaria, & id genus Athenæa pro instituendis adolescentibus & omnigenâ formandis eruditione. Quot verò si quæras isthæc Domicilia sapientiæ sint, haud facili, forsanque incredibili Tibi supputatione dabimus. Id exploratum certumque habemus, quòd ad Mexicanam Academiam spectat, sexaginta non minus Lycea esse,

ſi Collegijs & Cœnobijs urbanis noſtris cætera adjiciantur Angelopolitana, Michoacanenſia, Goadalaxarenſia, Goaxacenſia, & Durangenſia, è quibus initiandi Minervalibus apicibus examenque ſubituri Seculares & Regulares ſcholarum profeſſores conveniunt. Nec porro pauca numero ſunt quæ apud Hiſpaniolenſes, Goatemalenſes, Habanenſes, Caraquenſes, & Jucatanenſes vigent, & Academijs illis decori ſunt, atque Americæ ornatui. Quæ cur Tibi incredibilia videantur non erit, ſi modò Archiepiſcopatus tres, & Epiſcopatus 12 ſingulos vaſtiſſimâ Diœceſi, & plerosque frequentiſſimo Clero Seculari conſtantes ſciveris; Religioſorumque Ordinum Provincias ampliſſimas 18. litteris operam dantes (ut tres prætereamus Hoſpitalitati inſiſtentes, quæ tamen litteratis viris non carent) à publicis monumentis & Hiſtorijs acceperis. Videsne quam vaſta ſit litterarum ſolitudo in America Mexicana, apud quam frequentiſſimi litteratorum cætus abundant? Sed adjectis à Te quæſitis reſpondeamus oportet: *Quem adibis non dicam Magiſtrum, cujus præceptis inſtituaris, ſed auditorem?* Sic Tu adoleſcentem chariſſimum Tibi moniturus alloqueris, quem ita nos è regione alloquemur. Adibis ſanè, quem malueris è ſexcentis Magiſtris, à quo efformeris. Nam intra Mexicana pomæria ſemper offendes Doctores centum plus minus ve, quo autem tempore ſcribimus hæc, centenario majorem eorundem Conſeſſum invenies, qui infulis redimiti, è voto Tibi & ſententia litteras inſtillabunt. Adibis (abſit jactantia verbis) totidem Profeſſores

Scien-

Scientiarum quotidianam in eis tradendis operam in Gymnaſijs ponentes, in Academia quidem viginti tres, Regijs ſtipendijs, Idiomata, Rhetoricam, Philoſophiam, Mathematicas, Medicinam, Romanorum Jura, Canonicas ſanctiones, Theologiam univerſam è ſuo quiſque ſuggeſtu docentes; in Collegio Maximo Societatis Jesu duodecim, Grammaticis, Rhetoricis, Philoſophicis & univerſis Theologicis inſtitutionibus Juvenes efformantes; novē ſimili inſiſtentes muneri & profeſſioni in Metropolitanæ Eccleſiæ Collegio Seminario; reliquos cùm in Cœnobijs tum etiam in Collegijs Dominicanis, Auguſtinianis, Franciſcanis, & Mercedenſibus, quibus adduntur Carmelitani non longè ab Urbe noſtra Athenæa ſua excolentes, ac Præceptores urbani multi & in alijs ſecularibus Collegijs & in ſuis quiſque Ædibus Grammaticam & humaniores litteras expendentes. Ecce quot quantosque adire Magiſtros liberum Tibi erit Mexicum ingredienti; alibi autem Americæ noſtræ commoranti plures etiam & plures ocurrent Magiſtri apud Angelopolitanos, Michoacanenſes, Goadalaxarenſes, Goaxacenſes, Durangenſes, Goatemalenſes, Jucatanenſes, cœterosque ſuperius memoratos, qui litteras tradant imbuantque Te eruditione multa. Nec enim inibi degens, Collegia in optatis Tibi erunt atque Cœnobia, plura pauciora ve pro uniuſcujuſque Diœceſis menſurâ & indole. Cœtera ut prætereamus hujus rei monumenta, placet unum tibi digito ſignare, quod ut eſt typis editum jam inde ante centum & amplius annos integro volumine in fol. cui titulus *Allegationes*

in favorem Cleri, Status Ecclesiastici & Secularis, Hispanorum & Indorum Episcopatus Angelopolitani, legere integrum erit tibi, & ab eo memorata authentica instrumenta haurire. Statim enim fol. 2. col. 1. Regi Catholico, cui Liber nuncupatur, Præsbyteri Seculares Diœcesis Angelopolitanæ sistuntur septingenti, Curiones, Beneficiarij, Vicarij, Capellani, quorum plures, id est, supra quadringenti, ut habetur fol. 195. col. 2. n. 384. insignes erant gradibus, alij Doctoratus, alij Licentiæ, alij Bachalaureatus in varijs Facultatibus, & insuper diversis Americanis idiomatibus eminenter exculti. Adhæc, septingentis, quæ diximus, Mystis accedebant amplius ducenti minoribus Ordinibus initiati, litteris operam dantes, & strenuè Minervam colentes, nongentique omnes in Diœcesi eâdem nati, quatuor vel quinque demptis, ut videre est fol. 88. n. 16. & fol. 4. col. 2. Quam verò alacriter ipsi Scientias coluerint, palam coram frequentissimâ doctissimorum hominum populique coronâ dedere anno 1646. concursu, ut dicitur, facto pro petitione Ecclesiæ Parochialis Villæ de Carrion nuncupatæ. Alij enim horarijs Prælectionibus, aut Theologicis, aut Juridicis, 24. horarum spatio elucubratis, eruditionis specimen exhibuère, additis ex præsortito cuique Evangelio horarijs Concionibus Hispanicis, præfinitis ad ipsarum formationem horis 48. Alij & Sermones similiter habuère Hispanos & Mexicanos, & Theosophicas Prælectiones, ut nuper diximus concinnatas. Alij trilingues Orationes sacras, alij quadrilingues dixère è superiori loco simili angustiâ tem-

temporis conditas. Alij Relectionibus & Concionibus à se habitis, addiderunt Theses publicè defensandas ritu scholastico, tum ex Sacris Biblijs, tum ex Theologia Speculativa petitas, tum ex Morali, ex Philosophia itidem, ex Idiomate Mexicano, & ex Ritibus Ecclesiasticis. Fuit eos inter Bachalaureus Antonius Adar de Mosquera, qui extemporaneè concionatus est idiomate usus quadruplici, Hispano, Mexicano, Chochoneco, & Angolano. Atque omnium, quæ diximus, specimina ingenij ad crisim traducta, probata fuère & pro uniuscujusque merito laude mactata à gravissimis Judicibus & Examinatoribus Synodalibus D. D. Joanne de Merlo, Canonico Doctorali, Officiali Diœcesis generali, electoque Episcopo Hondurensi; Alphonso de Cuevas Davalos Archidiacono, postmodum Episcopo Goaxacensi & Archiepiscopo Mexicano, Michaele de Poblete Scholastico, dein Archiepiscopo Manilensi, Alphonso de Herrera Canonico Pœnitentiario, Antonio Peralta Castañeda, Doctore Complutensi, Canonico Magistrali, Laurentio de Orta Præbendato, & Nicolao Gomezio Briceño Judice Testamentorum & piarum Causarum. Atque his jam cernes quantum à verosimili exorbitaverit Martinus tuus, qui nullum apud nostrates Magistrum Tibi pollicebatur, cujus præceptis instituerere. Quid porro ad subjunctas positiones ejus reponamus oportet? Libet ipsas repetere, quo hominis, audaciam ne dicemus, an dementiam? coram ponamus. *Quem adibis, non dicam Magistrum cujus præceptis instituaris, sed auditorem? Non dicam aliquid scientem, sed scire cupientem. Dicam enucleatius*

tius: *A litteris non abhorrentem?* Certe ubi tot Antecessores & Magistros ex officio tradendis litteris incumbentes signavimus, oleum & operam perderemus, si auditores numeris putare vellemus, qui quantos in Scientijs progressus fecerint faciantque in dies, Bibliotheca nostra docebit. Id unum solennius refutandum videtur, quod omnes ad unum nostros à litteris abhorrentes pronuntiaverit Alonensis, quapropter eam in aliud Anteloquium provinciam mittimus commodius instituendum de Mexicanorum ingenio & in litteras amore & studio, postquam ineptissima, quæ subjungit, alia repulerimus.

ANTELOQUIUM IX.

De Codicibus & Bibliothecis Mexicanis Emmanuelem Martinum latentibus, quem notissima eruditis, imò etiam indoctis multis monumenta effugisse monstratur.

POstquam narrata in superioribus effutiverat Decanus Alonensis, colophonis loco nostram edocturus barbariem inquit: *Ecquosnam evolves Codices?* (Mexici) *Ecquas lustrabis Bibliothecas? Hæc enim omnia tam frustra quæres, quam qui tondet assinum, vel mulget hircum.* Hirsutum dixeris hominis supercilium, & hirto corde genitum virum, qui veritus non fuerit universam nec malè de se meritam Nationem lacessere, atque omnes cujus-

vis

vis gentis eruditos, Americanorum non nescios, insimul provocare, qui stylo ipsum conficiant, & temeritatis ac falsitatis notam Epistolæ inurant tot tantisque erroribus & probris consarcinatæ. Nec injuria, asinum, quod est in proverbio, inter apes reponeres, viro, qui Litteratos & Codicibus utentes ac Bibliothecis Mexici, detonsis asinis comparaverit. Nam & si mellei suapte indole sint Mexicani, & in nullos austeri, fieri non potest, quin lacessiti, & immerito provocati, favos inter orationum, carminũ,& similium, cum moderamine, ut dicitur, inculpatæ tutelæ, spicula Emmanueli Martino figant, deque ejusdem Epistola conquerantur. Ad Rhombum modò. Mirum forsan multis videbitur, Codices omnes Mexicanos prorsus latuisse virum tanto inter eruditos nomine, qui & Bibliothecæ instructissimæ doctissimi Cardinalis Hispani D. Josephi Saens de Aguirre Custos & Præfectus fuerat, quique eodem functus munere Mantuæ Carpentanorum Bibliothecæ Excmi. D. Ludovici Cerda Ecelestæ Principis curam substinuit, qui præterea Romę agens Vaticanam toto Orbe celebrem, & alias insignes Bibliothecas frequentare consuevit, in quibus peregrini Codices, & in remotissimis etiam plagis editi, extare solent, ipsaque Mexicanorum Volumina characteribus inscripta non omnino desiderantur, à memorato supra Kircherio visa & relata. Hanc ob rem multi forsitan mirabuntur, nullum ab Emmanuele Martino unquam visum Codicem Mexicanum. Nobis ita mirantibus, alia suppetunt longè mirabiliora. Quamvis enim in Libros non offenderit

alios aut Mexici excuſos, aut à Mexicanis conſcriptos Authoribus, mirari ſubit, nec vidiſſe tantùm in cute, nec audiviſſe quidem notiſſimam ſcholaſticis viris *Logicam Mexicanam* à P. Antonio Rubio Societatis Jesu jam pridem editam, & Compluti famoſam: *Curſum Medicum Mexicanum* à D. Marco Salgado publici juris factum, nec Europæis ignotum. *Magnalia Mexicanenſia* Illmi. D. D. Bernardi de Balbuena, Poetæ non injuria à D. Nicolao Antonio multis elati; & Volumina alia Mexicanum nomen præſeferentia. Quid verò de Moniali Mexicea Joanna Agnete à Cruce dicemus, cujus editi Libri Mantuæ Carpentanorum, & alibi Hiſpaniæ ſepties recuſi ſeculo proximè lapſo, & deinceps iteratis typis donati, notiſſimam & Hiſpanis & Exteris fœminam reddidere, quæ Muſarum decima audit, & inſignibus mactatur elogijs ab eruditiſſimis viris? Trita ſunt adeò Volumina iſthæc, ea ut non modò apud litterarum Profeſſores frequenter invenias, ſed etiam penes diſſertos quosque & nobiles aliqua tinctos eruditione. Quì verò P. Joannis Martinez de la Parra Societatis Jesu *Veritatum lucem Catholicarum* Libri prætervolaſſe Decanum Alonenſem potuerint, adhuc mirabilius habemus, quòd tanto illi in pretio apud Europam ſint, ut & Itali facti à P. Antonio Ardia ejuſdem Societatis prodierint, & in Latinum idioma converſi à quodam Monacho Cirtercienſi, rurſus typis excuſi fuerint, poſt Hiſpanas editiones iteratas in dies: tamque frequentes in univerſa Hiſpania, ut multi Parochi eis pro munere ſuo ad Fideles chriſtianè inſti-

inſtituendos utantur. Adhæc animadverſione dignum exiſtimamus, doctum virum Emmanuelem Martinum tritas ab eruditis frequentiſſimè viris Bibliothecas editas pænitus neglexiſſe, Dominicanam & Franciſcanam, Societatis JESU & Carmelitarum, Alphabetum Auguſtinianum & Epitomem Pinelianam, aliasque Collectiones jam pridem vulgatas, quæ cum Codices Mexicanos multos objiciant legentibus, nunquam ab eo libatas fuiſſe, ſunt argumento. Quis verò crederet, virum elegantiſſimum & rarioribus inhiantem Codicibus, ne ſalutaſſe quidem *Orbem terrarum Scriptorum calamo delineatum* (quo de infra) Mexicanos, ut omnium Nationum, Libros non invidentem? Reliqua ſunt duo notatu digniſſima. Alterum, Bibliothecam Hiſpaniæ novam à D. Nicolao Antonio editam prius quam Bibliotheca vetus in lucem prodijſſet, Martinum vel oculis nunquam luſtraſſe, vel pænitus quæ in ea legerant omnia oblivioni dediſſe, quæ Mexicanos Codices paſſim ſuppeditat, & Mexici excuſos, & à Mexicanis profectos; cùm tamen Martinus ipſe juſſu Cardinalis de Aguirre Bibliothecæ Hiſpanæ veteris editionem accuraverit adornaveritque. Alterum, quod ejuſdem Purpurati imperio Principis editioni Collectionis Conciliorum Hiſpaniæ & novi Orbis ab eodem Cardinali elaboratæ præfuerit; quin tamen Concilium Mexicanum, quod *doctiſſimum ſane eſſe* Eminentiſſimus ipſe Aguirrius præmonuit, aut legerit, aut in pretio habuerit, aut inter Codices putandum cenſuerit; niſi dixeris, quæ ſunt cumque novi Orbis etiam mirabilia dedidiciſſe, & æternæ oblivioni

 man-

mandasse. At ne multi simus, & præproperè Bibliothecam absorvendam uno haustu Mexiceam hîc exhibeamus, in ipsam recensendos Codices à nostris editos reservemus & manu exaratos; intereaTypographicas Officinas,queis Lucinam agentibus,& ingenij fœtus nutricantibus,Codices eruuntur in lucem, jam pridem in America nostra constitutas atque florentes, ab exteris viris commemoratas, Martinum doceamus, ipsas unà cum Codicibus & Bibliothecis nostris ad regionem amandantem detonsis asinis frequentissimam. Scilicet, vir ad miraculum usque eruditus, nunquam Authores vidit Europæ vulgares, qui ut Mexicum ab auro & argento insignem habuère, sic etiam ab opere typographico, Gerardum Mercatorem in Atlante minore superius à nobis indicato pag. 636 scribentem: *Resident in hac Urbe Archiepiscopus & Pro-Rex, ac Tribunal Supremum Novæ Hispaniæ. Est etiam in ea imprimendi ars, & cudendi pecuniam.* Marcum Serran in Thesauro Synonimorum verbo *Indiæ*, Mexicum paucis cõmemorantem,*Ubi*,inquit, *æs cuditur,& imprimuntur libri.*Bissellium in Argonautici Americanorum lib. 13. pag. 346. similiter enarrantem; ut Historiographos prætereamus Hispanos & nostros, typographias ante duo secula Mexiceas laudantes, queis incrementa capientibus multa, Angelopolitanæ accesserunt, Goatemalenses, Goaxacenses & Habanenses. Sed de his hactenus.

AN-

ANTELOQUIUM X.

Bibliothecæ Mexicanæ aperiuntur, in quas Alonensis Decanus urbanissimè excipiendus invitatur atque tractandus.

A Codicibus ad Bibliothecas rectà trajicimus, quas ingētibus comparatas sumptibus possident Mexicani, nec gravatè exhibent studiosis, ultroque aperiunt exteris viris, à quibus nonnulla deinceps data testimonia promemus. Non sunt equidem nobis Bibliothecæ quæ Vaticanam exsæquent, aut Regijs Matritensi, Parisinæ, & similibus comparentur, vel Manuscriptorum antiquà & prædivite abditâ eruditione, vel Editorum numero & copiâ. Nec tamen desunt permultæ insignes, nihilo ijs minores quæ apud Europæos celebres jure habentur. Libet Petrum Blanchot *in Idæa Bibliothecæ universalis* transcribere. *Et quidem in Urbe* (Parisiensi) *celebres atque magnificas Bibliothecas habemus, Regiam, Richelianam, Sorbonicam, Victorinam, Navarræam, Claromontanam S. J. Thuanam, Memmæam, Allæam, Lozonæam, Riberianam, Cordesianam, Moreanam, in quas nobis aditum per curatores suos datum iri planè confidimus.* Hæc ille. Ex ijs porro Bibliothecis Cordesiana nobis perspecta est in ejusdem Catalogo Parisijs edito apud Antonium Vitray anno 1643. in 4. rectâque factâ supputatione, constat Voluminibus in fol. in quarto, & in octavo. 8291. cui

cùm habeamus multas ſuppares, multas pares, multasque longè majores, celebres haud immerito Bibliothecas noſtras cognominabimus. Jam hæc quæ notiſſima ſunt exteris viris aliquandiu apud nos diverſatis, ut ipſorum teſtimonio firmemus, ad Doctorem Franciſcum Gemellium Carreri provocamus in Periegeſi ſeu Orbis giro commemorantem Bibliothecam PP. Carmelitarum Cujoacanenſis Collegij propè Mexicea pomæria ſiti, duodecim mille voluminibus divitem (in quibus tamen computandis exceſiſſe nobis videtur) atque eorundem in Deſerto, ut vocant, Mexicanæ Provinciæ alteram Bibliothecam, Codicum numero prætermiſſo, laudantem. Accedit D. Petri Cuberi Sebaſtiani, Clerici Aragonenſis, Prædicatoris Apoſtolici in Aſia, ſuffragium, qui in edita à ſe Orbis Peragratione cap. 41. effert & laudat Illmi. Angelopolitani Epiſcopi V. D. D. Joannis de Palafox Bibliothecam, inſignibus, curioſis, & extrarijs etiam Libris conſpicuam. Ut verò rem ab ovo, quod ajunt, dicamus, libenter fragmentum adducimus Dialogi D. D. Franciſci Cervantes Salazarij *de Academia Mexicana*, colloquētibus Meſſa & Guterrio inſtituti, editique alios inter, Mexici anno 1554. à Joanne Paulo Briſſenſi typographo. Guterrio enim poſt luſtratam undique Academiam Mexiceam anno proximè tunc elapſo conditam, hoc eſt anno 1553, ita ſocium interrogante: *Bibliothecam non habet Schola?* ille reponit: *Erit magna ubi coaluerit, interea tamen quæ ſunt in Monaſterijs non parvæ, haud leviter juvabunt eos qui ipſas adire voluerint.* Scilicet, jam inde ab erectis Mexici religioſis Cœnobijs, expug-

pugnatâque Mexico, Bibliothecæ constitui cœperunt & instrui à Patribus Franciscanis, quibus brevì adjuncti fuere Dominicani, nec diu post Augustiniani: dein accessère Jesuitæ, Carmelitani nudipedes, & Mercedenses Sodales, atque in eorum omnium Cœnobijs, Collegijs, Domibus Mexicanis, Tlascalensibus, Angelopolitanis, Goatemalensibus, Goaxacensibus, Durangensibus, Jucatanensibus, Habanensibus, & alijs Bibliothecas invenies, majores minores ve pro Regionum, Urbium, & Pagorum diversitate, ut vix Oppida nimis dissita ab Urbibus & remota, sua suppellectili careant librariâ. Porrò Mexici Bibliothecæ sunt multæ, Cordesianæ, quam laudavimus, instructiores, Dominicana, Franciscana, Pauliana Augustinianorum (de cujus conditione unàque alijs ejusdem Ordinis memor est M. Grijalva in Chronicis Provinciæ S. Augustini Novæ Hispaniæ fol. 153. col. 2 & 188. col. 1.) Collegij Maximi Societatis Jesu, & Collegij majoris Divæ Mariæ & omnium Sanctorum: cui jam pridem nobilis accessio facta est nobilissimi alumni sui liberalitate Illmî. D. D. D. Joannis Gomezij de Parada, pro ut in *Monumentis Ecclesiæ Goatemalensis* editis à P. F. Raymundo Leal Dominicano, habetur p. 54 & 55. his verbis. *Librorum mirifice appetens,* (D. Parada) *locupletissimam Bibliothecam collegit, multa pecuniâ ex amplissimo patrimonio in id collatâ, quæsitis undequaque libris splendidioris notæ, nitidioris chartæ, rariorum, optimarumque editionum, non neglectis etiam vetustis cujuslibet argumenti codicibus. Quam nuper Mexicano Collegio Majori S. Mariæ omnium Sanctorum dono dedit, ea lege, ut ad instar Regiæ Bibliothecæ Matritensis pu-*

* *blicæ*

blicæ utilitati pateret; atque ita commercio inter Veteris, ac Novi Orbis ingenia instituto, novos thesauros indicis gentibus aperuit. Ita ille. Nos alias oratione Bibliothecas nostras brevi insinuantes, præter jam memoratas, Cordesianæ multæ sunt pares, aut suppares, & non paucis Librorum millibus adornatæ, Collegij Seminarij Metropolitanæ Ecclesiæ, quæ locupletior & insignior evasit, additâ veteri suæ haud modicæ, selectissimâ & copiosâ, quam ei dono dedit Excmûs. & Illmûs. D. D. Joannes Antonius de Vizarron Archiepiscopus Pro-Rexque Mexicanus: Tlatelolcana seu Collegij Franciscanorum in Tlatelolco dicti: Imperialis Conventus S. Augustini: Domus Professæ Societatis JESU, & ejusdem Ordinis Collegij Regalis & Antiquioris S. Ildefonsi: Mercedensium Cœnobij Maximi: Carmelitarum, & Oratoriensium S. Philippi Nerij, quæ intia cœpit ijs Libris quos in Hispaniam redux eis tradidit, charissimum sibi caput, Excmûs. & Illmûs. D. D. M. F. Payus Henriquez de Ribera Archiepiscopus atque Pro-Rex (ut Author est P. Julianus Cutierrez Davila in Monument. Historicis Congreg. Orator. Mexicanensi. p. 1. n. marginali 60) deinque multis ditior accessionibus facta est PP. operâ & ære. Præter has communes & Ordini cuique & exteris eas adire cupientibus, aliasque minoris momenti in singulis Cœnobijs & Collegijs pro Magistris, Lectoribus, Concionatoribus & similibus, sunt privatorum virorum permultæ non ignobiles Voluminum copiâ & pretio, quas & Auditores Regij possident, & Canonici, Academici Professores atque Doctores,

Cau-

Caufidici, Medici, & alij, præfertim Ordinis Ecclefiaftici. Et ut cœteras prætereamus, memoria quidem & elogio digna eft Bibliotheca infignis Monialis Mexicanæ Joannæ Agnetis à Cruce, quatuor mille Voluminibus, utique felectiffimis, instructa & ornata, ut habet P. Didacus Calleja Hifpanus Societatis JESU in Approbatione Tomi tertij ejufdem Monialis, quæ itidem eleganti fuerat Mufæo donata Mathematicis inftrumentis & id genus cimelijs divite. Angelopoli, & Cœtus Religioforum & Secularium hominum, & privatè degentes, præfertim Capituli Cathedralis alumni, Bibliothecis abundant, quas inter clariffima habetur Collegiorum SS. Joannis & Pauli ab Illmô. D. D. Palafox condita, multisque aucta ab Illmô. D. D. Emmanuele Fernandez à. S. Cruce. Apud Antequeram Goaxacenfium multo eft nomine Bibliotheca Collegij à S. Cruce, ea infigniti Illmi. D. D. Nicolai del Puerto, gentilis fui & Epifcopi dono, aliæque adfunt minime obfcuræ, & multo pretio habitæ. Ne tamen morofi fimus, tacitas facimus, ceterà elogio dignas, Bibliothecas Goatemalenfium, & Goadalaxarenfium, in quorum Primarijs Urbibus refident Conventus juridici, & fapientum virorum ex omnibus Ordinibus frequentiffimi cœtus; aliasque in memoratis fupra Diœcefibus fitas. Id tamen neutiquam prætermittendum ducimus, quod & Bibliothecis pretium adauget, & noftrorum in colendis litteris amorem & ftudium palam exponit: caritas fcilicet Librorum, tanta certè, ut triplo, quadruplo, & majoris conftent nobis quam Europæis, à quibus fuperbif-

 fimæ

ſimæ facilè Bibliothecæ inſtruerentur eo ære, quò non adeò magnificas & ſplendidas nobis comparamus, hac tamen via quotquot avemus Libros nanciſcimur, Bibliopolis Europæis & negotiatoribus quæſtu incitatis, ut plurimas ad nos ſelectorum capſas Voluminum afferant, queis ab eruditis Europæ florentibus inſignes & prædivites doctrinæ gazas quotidie mutuemur, rarioresque Codices poſſideamus, ut ſubinde mirum non ſit, exempli gratia, *Orbem terrarum Scriptorum calamo delineatum* operâ Alphonſi Laſoris à Varea, ſeu perſonati hoc nomine P. Raphaelis Savonarola Clerici Regularis de Providentia, quem non à ſe viſum teſtatur eruditiſſimus Bibliothecæ Criticæ Author Illmûs D. F. Michael à S. Joſeph Volumine 1. pag. 532. art *Bibliotheca univerſalis*, qui rariora ſcrutatus eſt & eviſceravit Volumina; nos ante annos triginta viderimus (qui etiam pro Bibliotheca noſtra uſui eſt) quo tempore quidam Italus Mexici Bibliothecam adeo inſtructam, copioſam & elegantem diſtrahendam expoſuit, ut centum mille argenteis uncialibus æſtimata fuerit, cujus majorem partem in taberna paulatim venum dedit D. Joſephus de la Barreda inter Aſtures natus, quicum nobis fuit conſuetudo, pulchrâ dives eruditione, præ qua argentum & id genus cœtera negligebat. Quo autem tempore hæc ſcribimus proſtat item Mexici Bibliopola exterus Auguſtinus Dherbe, qui dudum ab Europa ſecum detulit Librorum opulentam ſupellectilem, cùm ab Hiſpanis editorum, tum à cœteris Europæ florentibus eruditis. Adhæc: Sunt in Urbe noſtra per-

pe-

petuò tabernæ Librariæ multæ, nec nullius pretij; è queis una adeſt non longe ab Ædibus noſtris, quæ haſtæ ſubjecta, non minoris coempta eſt quam triginta mille argenteis uncialibus. At enim fruſtra in hiſce moramur, cùm non Mexici modò Urbe primaria & apud Orbem univerſum inclyta & celeberrima, ſed apud Inſulas etiam Mexiceas minori frequentiâ ſapientum excultas, Bibliothecæ jam pridem extiterint, è quibus ante centum annos Portudivitenſem Illmî. Bernardi de Balbuena Epiſcopi ſuffuratus eſt Batavus prædo, quod in Bibliotheca noſtra ab eximio Poeta Lupeſio de Vega Carpio paucis audiemus.

ANTELOQUIUM XI.

De Americanorum ingenio, & in litteras amore ac ſtudio.

REſervatam ſuperius theſim iſtam Emmanueli Martino dicamus, diſcat ut ipſe quantum in rebus noſtris nobisque ipſis judicandis abjiciendisque deſipuerit. A litteris nos ad unum omnes abhorrentes ſcripſit, perinde quaſi ſtipitibus quam ſimillimos in America natos ac degentes crediderit, aut orbatos mente, aut ingenio ad litteras prorſus nullo, quibus ſubinde illæ faſtidio ſint & horrori. Quam verò Americani ſint ingenio præclari, ſtatim docendum eſt, mox eorundem in litteras innuendum ſtudiũ, amor ſignandus. Et quòd ad ingenium attinet, ne ſuſpectis & repelendis jure te-

ſtibus

ſtibus rem agamus, natos in America viros hac in cauſa tacitos præteribimus; credimusque à ſapientibus viris auditum non iri eos qui, Andabatorum more, clauſis oculis, quos in Americam minimè conjecère, nec probatis inſtructi monumentis, aut Authoribus eruditi, jaculis nos impetere, & de nobis judicare tentaverint. Reliquum eſt ergo, ut idoneis uſuri teſtibus, viros doctos & graves audiamus, qui apud Europam nati, in conſuetudinem noſtram venerint, & longo Americanarum rerum uſu & experimentis res ipſas imbiberint, mox alios optimis uſos teſtimonijs, & fide dignis inſtrumentis, parcè exhibeamus. Age verò, & agmen ducant doctiſſimi Phyſici diu apud nos commorati, D. Didacus de Ciſneros Medicinæ Doctor clariſſimus, Aſtronomiæ Scientia & litteris alijs conſpicuus, in Libro de ſitu, natura & proprietatibus Urbis Mexiceæ fol. 113. col. 2. & D. Joannes de Barrios, Medicus Complutenſis apprimè doctus, in Libro de *Vera Medicina, Aſtrologia, & Chirurgia* tractat. 1. cap. 4. fol. 49 multis noſtratum ingenia laudibus efferentes: D. Joannes de Cardenas ijſdem infulis & doribus clarus in 1. part. Problematum Indiarum lib. 3. cap. 2. fol. 176. & ſequent. exploratum habens, citraque dubitationis aleam ſupponens, Hiſpanos in America natos acuto delicatoque & vivido ingenio pollere, reique hujuſce cauſas phyſicas & principia lato calamo expendens. Henricus Martinus in Repertorio temporum tract. 3. cap. 13. ſimiliter agit, atque uterque, quod alij etiam notarunt, in Cœli, Solis,

Soli

Solique Americani indolem referunt, non modò apud nos genitos vividiori donatos ingenio esse, sed alibi quoque gentium natos expeditiores fieri & ingeniosiores ubi Mexiceas incoluerint plagas, aut Peruanas adierint. Ludovicus Cabrera Historiographus Philippi II Hispaniarum Regis Catholici lib. 2. cap. 9: maximi Americanorum ingenia pendet, temporis ratione habitâ, quod in adbibendis Scientijs insumunt, in quibus omnibus eminere testatur; atque id apud Regia Hispaniæ Consilia non absque admiratione, notum esse subjungit. Illmûs. Portudivitensis Antistes D. Bernardus de Balbuena, in *Magnalibus Mexicanis*, ingenia & litteras cœteraque nostratum, & soluta & ligata oratione extollit & effert, præsertim fol. 31. col. 2. & fol. 84 col. 1. & 2. M. F. Andreas Ferrer de Valdecebro, Dominicanus, in *Regimine generali, Morali & Politico* lib. 4. cap. 34. multis Americana ingenia & res gestas commendat. D. Antonius de Peralta Castañeda Doctor Theologus Complutensis, in Monito ad Lectorem præfixo Historiæ Tobiæ à se elucubratę, cujus postmodum testimonio commodius & latius utemur, similiter agit, ut & D. Salvator Joseph Manier in Objectione Satisfactoria illustrationi Apologeticæ celeberrimi Benedictini P. Feijoo 2. p. tom. 2. discurs. 15. à n. 28. Nec dissentit memoratus ipse M. Feijoo, loco mox indicando, Americanorum ingenia despicatui non habens, quamvis à communi sensu de præmaturitate ipsorum discedat. D. Ludovicus Antonius de Oviedo, Comes de la Granja, in Heroyco admirandoque Poe-

 mate

mate de S. Rosa Limensi, cancione 1. numeris 31. & 32, ut eximia Americanorum ingenia commendat, sic etiam præmatura, & in Aurora ceu in Meridie fulgentissima laudat. P. Bernardinus Llanos Societatis JESU Ocaniensis, qui totos annos 40 Mexici posuit in juventutis eruditione, Christianæ Poeseos initio, pag. 374 Poeticarum institutionum sic habet: *Quoniam autem Institutionum hic Poeticarum Liber Mexicanis conscribitur adolescentibus, præclara virtutis indole, atque ingenij laude præstantibus, quorum est, ut ad cæteras artes, & illustria sapientiæ studia, ita etiam ad hæc mira propensio, & cum facilitate fælicitas; quique, suam hujusmodi facultatem in Dei præsertim Optimi Maximi ac Deiparæ Virginis, & Sanctorum laudibus exercere gaudent: placuit non nulla Christianorum Poetarum illustrium exempla proponere.* D. D. Franciscus de Samaniego natus in Diœcesi Calagurritana, Doctor Osuniensis, apud nos diu agens, in Panegyri Illmî. D. D. Francisci Manso Archiepiscopi Mexicani fol. 12. col. 1. n. 53. Mexicum nobilitate & ingenijs quam argento & auro ditiorem apellat. Et ne multi simus, agmen claudat eorum qui apud nos commorati pro nobis stant, P. Hieronymus Perez de Nueros è Societate JESU Cæsaraugustanus, quondam Theologiæ Professor, & Sacrarum litterarum Interpres, in Præfatione ad suam Lapidicinam sacram pro Americanorum ingenio decertans, & ejusdem fontes & radices indigitans. Ita habet: *Hilari grataque facie, ore subridenti, lætisque luminibus à cœlo Americam conspectam, ut cumulatissimo rerum omnium fætu, quæ naturæ in delicijs sunt, inter reliquas Orbis plagas locuples emineret;*

ret, Solemque & Solum veluti æmulâ cum Cœlo contentione in ipsa exornanda, perpolienda, & ditescenda conspirasse, cæcior erit talpâ, qui non videat; ut à Cœlo, Sole & Solo amænissimum hunc telluris tractum uberrimâ Dei benedictione cumulatum, jucundissimâ fere semper lenocinante temperie, à prædivite omnipotentiæ penu præcipuos thesauros exhausisse nullus sit qui inficietur. Totum hoc in speciosissima sua Athenarum Urbe condenda, quæ nobile quondam fuit sapientiæ Emporium, omniumque artium illustre Gynecæum, præ oculis Minervam habuisse, Cœli, Solis, Solique naturam, priusquam tantæ Urbis jaceret fundamenta, curâ solerti pervestigasse narrat Plato, ex quo sic Septimius. „ Unde Plato af- „ firmat, cum Urbem illam Minerva moliretur, nihil aliud „ quam regionis naturam prospexisse. Natura enim Regionis nescio quid ad assimilandum sibi hominum mores virtutis habet & influentiæ; unde Plutarchus dicebat. „ Planta- „ rum semina & hominum, Soli, Cœlique mores imitari. Quod quanto sit acumine & lepore complexus Tertullianus dum variarum gentium varias etiam proprietates describit, perspicies, ait enim. „ Thebis hebetes, & brutos nasci de- „ latum est: Athenis sapiendi, dicendique acutissimos: Co- „ mici Phrigas timidos illudunt: Sallustius varios Mauros, & „ Feroces Dalmatas pulsat: Mendaces Cretas Apostolus inu- „ rit: fortasse an & de corpore & de valetudine aliquid accedat. Hinc Hesperiæ gentis sub natali Americæ Solo, auspicata Cœli irroratione, irradiationeque Solis feliciter fecundata, genia, & ingenia perpendenti, acrique, & vivido, florido pariter, compto & amæno mentis acumine ad omnigenæ litteraturæ studium, ipsa favente & fovente naturâ, illam conspexeris exornatam, idem quod de Athenis debuccinavit fama, æquiori forsam judicio constitutus arbiter de America testaretur. Quod si Mexicanum regnum cum Europæis conferas, simulque Cœ-

lum

lum intuearis, & duo illa magna, lucidaque luminaria contempleris, de illis locutum fuisse Ambrosium dices, dum ait:
„ *Non hæc magna comparatione, sed munere: quia in quacumque parte fuerint cœli, illuminantur omnia, & æqué spectantur à cunctis, utea suis tantùm regionibus immorari, & sibi tantùm adesse, & lucere singuli populi credant. Solis radius nulli propinquior est, Lunæ globus æqualis est omnibus. Similis Sol est Indis & Britanis: Eodem modo videtur, cum oritur: nec cum vergit in ocasum minor apparet Orientalibus & Occidentalibus.* Hactenus P. Nueros, cujus quæ restant verba in opportuniorē locum servamus. His pronum esset & facile multa sapientissimorum judicia Europæorum annectere, qui degustatis Americanorum Libris, eorundem ingenia egregijs mactarunt elogijs, quę tamen, ne multi simus, præterire decrevimus legenda in Censuris, quæ præfixæ sunt Libris ipsis, contenti in præsentia duorum antiquioris Observantiæ Carmelitarum doctissimorum sensibus, quorum alter est M. F. Isidorus Gama, Primarius Antecessor Theologiæ in Regia Universitate Neapolitana, alter M. F. Hyacinthus de Aranaz, insignis Scriptor, Episcopalibus insulis decoratus. Ille in Epistola data ad M. F. Leonardum de Avalos editorem Orationum quas apud Peruanos habuit M. F. Ferdinandus de Herrera ejusdem Ord. Primarius Theologus Academiæ Limensis, prodierunt autem Neapoli ex Officina Ludovici Cavalo anno 1674; Americam non minus ingeniorum feracem esse inquit, quam metallorum, ut argumento sunt edita & inedita plura ab Americanis Scripta, quæ longe plurima forent mandata typis, ni istorum caritas obstiti-

ſtitiſſet. Hic verò, Aranazium loquimur, in Approbatione data Panegyricis Marianis Sermonibus à P. Joſepho de Hoyos Franciſcano nudipede Mexici dictis, editisque Matriti apud Emmanuelem Ruiz de Murga anno 1705, Problematis inſtar retro ſe habuiſſe dicit, num Indiæ metallis opulentiores ſint, num ingenijs? Ubi verò aureum Authoris Mexicani ingenium in Orationibus illis contrectaſſet, propendere ſe magis in ſecundam partem fatetur, atque, ut Lipſius ſcripſerat lib. 4 Epiſt. 8. ſe apud illud Volumen inveniſſe *Portenta, non verba.* Jam verò duo in præſentiarum hujuſce rei capita occurrunt luce, ut cumque, ſequentibus Anteloquijs donanda, alterum de præpropero noſtratum ingenio, alterum de præmatura itidem ejuſdem ingenij defectione.

ANTELOQUIUM XII.

Ingeniorum maturatio Americanorum expenditur: eruditiſſimi ac graviſſimi Critici M. F. Benedicti Feijoo ſententia ea de re propulſatur.

QUòd ſpectat primum, communi licèt exiſtimatione firmatum ſit, natis in America Hiſpanis citius quam Europæis ingenij lumina illuceſcere, ſuapteque præmicare; hanc tamen opinionem ceu errorem vulgarem habendam contendit eruditus admodum & inſignis Criticus M. P. Benedictus Feijoo in Thea-

 tro

tro Critico universali tom. 4. disc. 6. § 5. à n. 21. Nec enim antelucanum, ut sic dicamus, nostratum ingenium causam esse sibi persuadet eorundem in re litteraria festinationis, sed alios ejus fontes apertissimos, ut credit, satisque sibi exploratos indicat. Sanctum id habet, nosque cum ipso, nostrates pueros duodennes, imò etiam minoris ætatis, absolutâ Grammaticâ atque Rhetoricâ, Philosophiæ operam dare, moxque Facultates majores excolere, ac subinde admodum juvenilibus annis laureatos Academicis insignibus gradibusque prodire, cujus rei monumenta leguntur etiam ab AuthoribusEuropæis recepta celebrataque, quos inter eruditus D. Salafranca in Monumentis eruditis pag. 18. At enim non puerorum ingenijs isthæc tribuenda sunt, sed uni accuratiori eorundem institutioni,& præproperæ genitorum ac Magistrorũ diligentiæ ac industriæ, si doctissimo standum est viro Feijoo. Ut verum tamen fateamur ingenuè, difficilè nobis est creditu, Europæos Parentes & Præceptores minus Americanis accuratos esse in formandis litteris pueris, minusque eis dedolandis invigilare. Hercle verosimilius existimabitur à prudentibus, id circo Europæos, tardius nostris, pueros in ludum litterarium à parentibus duci, quòd vereantur operam perdere in excolendâ ætatula illa, quam immaturam esse hauriendis rudimentis primis compertum habent. Quod verò addit Feijoo, Americanos discipulos nullum Philosophiæ Cursum excipere calamo, sed typis excusum aliquem studere, ejus Collegæ laureati arbitrio, cui certus discentium numerus traditur exco-

colendus, & quotidianis penſis exercitandus; forſan alicubi Americæ Peruanæ in uſu erit; in America autem, qua late patet omni, Mexiceâ, ſecus eſſe nemo non ſcit qui Scholarum noſtrarum mores agnoverit. Nam ſi PP. Carmelitas nudipedes excipias, Philoſophiæ Curſum ab editis Complutenſibus ſuis, præſcripto Familiæ, haurientes; reliqui ad unum omnes cujuſcumque Scholæ ſint & Ordinis, Academici Seculares, & omnium Collegiorum alumni, non Mexici tantùm, ſed ubique Gymnaſiorum Borealis Americæ, dictantem è ſuggeſtu Magiſtrum audiunt, atque in Codices referunt Curſum ab unoquoque elucubratum Magiſtro pro auditoribus ſuis, cujus rei argumenta permulta trademus in Bibliotheca noſtra Curſus Mss, prætermiſis innumeris, quorum Authores quærere & nominare res eſſet operoſa nimis atque moleſta. E Mss iſtis publici juris factus fuit ſtatim ab Academia condita, quem nuper dictaverat M. F. Alphonſus à Vera-Cruce, deinque traditus à P. Antonio Rubio, uterque magni æſtimatus à Mexiceis Profeſſoribus, non propterea elucubrationes ſuas è Cathedra tradendas prætermittentibus. Hac etiam methodo & Theologia & Jura & cœteræ Facultates doceri mos eſt noſtratum ab uſque fere Studiorum Mexicanenſium origine, adeo ut Carmelitani ipſi nudipedes, aliter, ut diximus, in Philoſophiæ Curſu ſe habentes, in Theologia tamen patrium morem obſervent, modeſtèque reluctati fuerint Generali Præfecto R. P. M. Paulo à Conceptione, in votis habenti, ſuam ut apprimè excultam Theologiam typis editam, è Ca-

thedra Lectores exponerent, & proprias uniuscujusque elucubrationes dimitterent, quibus in præsentiarum etiam dictandis insistunt. Jam verò minores in Scholis nostris ferias esse, nec longas singulis annis intercapedines, fatemur quidem sine fidibus & tortore; hanc tamen discendi assiduitatem, nisi ingenium comitetur, incrementis capiendis haud multum prodesse res ipsa docet & experientia: Quid enim profit invitâ Minervâ & aversis Musis? Certè, quantumvis surdo canas, & dulcia quæque insusurres, occinet ille nihil. Accedit admiranda nostratum facilitas in Scientijs quibusque callendis, & in acutiora & subtiliora pronitas, qua ducti Poesim omnem excolunt, Inscriptionibus seu Elogijs gaudent, & Epigrammatis ad ludendum aptissimis, ac in Scholastica re cujusvis Facultatis, ardua licèt & spinosa, versari gaudent, seseque à nodis argumentantium expediunt, atque intricata facilè extricant & enodant, mirantibus veteranis Gymnasij Professoribus facilitatem & promptitudinem copiamque doctrinæ, qua imberbes utuntur. Porro laudatus supra Doctor Theologus Complutensis D. Antonius Peralta Castañeda, Canonicus Magistralis Angelopolitanus, Antecessorque Theologiæ ibidem Primarius, loco dato testatur, minorem quidem scholarium numerum esse in Gymnasijs Angelopolitanis, quibus ipse præerat, quam esse soleat in Complutensibus, apud quos imbiberat litteras; provectorum tamen in Scientijs copiâ istis illos anteire: Seque assuetum Magistris gravissimis Compluti respondere in palæstra certantibus, non se-

mel

mel Angelopoli, ut propositas à Discipulis suis objectiones dissolveret, impeditiorē factum, nec absque negotio nodis se eis expedijsse. Nec fateri veretur, prodigia se in adolescentibus nostris miratum esse. Sanè, ut is Doctor, nominati superius testes, experientiâ rerum & usu, ingenio isthæc attribunt, non conatui tantùm atque labori, suntque & ex ipsis aliqui, & alij præterea Scriptores egregij, quos recenset ipse Feijoo § 7. n. 25. non modò Europæis æqualia nostratum ingenia laudantes, sed præstantiora. Sunt illi, magnum nomen purpuratus P. Alvarus Cienfuegos, in Vita Sancti Francisci de Borgia, Leonardus de Arenzola, in Historia Expugnationis Molucarum, P. Emmanuel Rodriguez, in Historia Maranonis, D. Josephus de Oviedo & Baños, in Historia Venetiolæ. P. Alphonsus de Ovalle, in Hist. Chilensi, D. Lucas Fernandez de Piedrahita Episcopus Panamensis, in Hist. Novi Regni Granatensis, Garcilasus de la Vega, in Commentarijs Regijs Incarum, & F. Joannes de Torquemada, in Monarchia Indica, queis adjungit P. Jacobum Vaniere Gallum Societatis Jesu, in egregio Poemate dicto *Prædium rusticum* Limenses sic efferens:

Fertilibus gens dives agris, aurique metallo,
Ditior ingenijs hominum est, animique benignâ Indole.

Nos P. Mathæum de Castroverde Societatis etiam Jesu adducentes in Panegyrico Immmaculatæ Virginis Conceptionis Mexici celebratæ, sic modulantem:

Mexicus interea toto celeberrima Mundo
Ingenijs, opibusque vigens &c;

Memoratum Feijoo ſecuti, rem hanc in ancipiti, ut videtur, habentem, licèt multis ſuis illuſtratam de præſtantiâ Americæ ingeniorum obſervationibus; malumus in medio relinquere, qui primatum ingenia inter arrogare noſtratibus, alijsque invidere gloriam Nationibus, nulli tentamus, non neſcientes quam ſit verum illud,

Qui velit ingenio cedere rarus erit;

Satisque nobis exiſtimantes conſultum iri, modò ſubſellia inter eruditos noſtra, non ſanè poſtrema, occupemus, qui primaria haud ambimus quidem, aut ſapientiſſimis Orbis veteris & celebratiſſimis Doctoribus ſuffurari poſſe citra arrogantiæ piaculum, & deſipientiæ notam, optimè ſcimus, præ oculisque habemus Epiſtolam XIII tomi IV ab laudatiſſimo Feijoo de exceſſu ingeniorum, comparatione inter Nationes factâ, apprimè conſcriptam.

ANTELOQUIUM XIII.

Præpropera Americanorum Ingeniorum defectio conficta oſtenditur, & ad fabulas amandatur.

REſtat, à noſtratibus præmaturo donatis ingenio, præproperam, quæ à multis reponitur, deſipientiam abigere, cui & ſi reſfra-

fragetur laudatus M. Feijoo, ipſum impugnandi ergo, inſiſtit eruditus Manier, nihili argumenta ducens ab exemplis petita eorum, quos in devexâ ætate Feijoo retulerat judicio pollentes & litteris, quòd è quatuordecim viris laudatis, unus in America vitam egerit, reliqui omnes ætatem duxerint in Europa, à qua vires & ingenij conſtantiam mutuati fuerint. At enim, aniles inter fabulas ingenij defectionem Americanorum trigeſimo, quadrageſimo ve, & ulteriori ætatis anno, referendas dicimus plenis, ut ajunt, buccis, & mille teſtibus ampliusque comprobabimus, Viros pro Inſtituto noſtro exhibentes grandævos ætate, & judicio florentes, quorum plerique Europam ne viderunt quidem niſi in tabulis geographicis, pauci, eam ſalutantes, poſt biennium aut triennium noſtris ſe laribus reſtituerunt, quibus non injuria proverbium aptaveris: *Senecta Leonis præſtantior hinnulorum juventâ.* Nam & in Academia Mexicea Anteceſſores frequenter habemus Emeritos, & ſtrenuam litteris operam dantes, qui cum id honoris nanciſci haud poſſint niſi poſt vicenalem profeſſionem Cathedræ perpetuæ, vixque eam auſpicetur ullus, quin temporarijs regendis Cathedris prius incubuerit, nec has niſi 25 ætatis anno, ſi modò feliciſſimus ſit, aſſequatur in tanto candidatorum numero; fit, ut is qui citiſſimè progreſſus fecerit, non ante annum quinquageſimum rude donatus ſit. Accedit, eorum plures non ſtatim requiem captare, aut abGymnaſijs divelli poſſe.Sunt & multi Doctores quadragenarij, quinquagenarij, ſexagenarij, ac ſeptuagenarij, & ſeniores, qui diver-

* ſis

ſis litterarum negotijs incumbunt, Academicis, Forenſibus, Medicis, Parochialibus, & id genus alijs. Sunt in Ordinibus religioſis viri docti quam plurimi litteraria exercitia colentes, & animarum tractantes negotia etiam in ætate grandiori. Ecquis enim ſibi perſuadeat, Lectiones, Conciones, Confeſſiones, cœterasque ſacras functiones & eruditas, tantùm à minoribus triginta aut quadraginta annis haberi, aut deliris & inſenſatis viris committi? Sane in præſentiarum, ut alios mittamus, Academicos Profeſſores Emeritos habemus 5 etiamnum ijs quæ diximus occupationibus deditos, è queis junior annum 58 atingit, nos ſexageſimum, reliqui ſexagenario & ſeptuagenario majores ſunt. Angelopoli floret ac vernat ſeptuagenario longè major M. F. Joannes de Villa Sanchez Dominicanus, Libros ſcribens & typis tradens, ſingulis diebus Dominicis è ſuperiori loco dicens ad Roſarij ſodales, & alijs negotijs inſiſtens. Apud Societatis Jesu Provinciam degunt, Mexici P. Joannes Antonius de Oviedo 85 annum agens, Libris ſcribendis & edendis inſiſtens, Confeſſionibus quotidie excipiendis multis ac Conſultationibus, & ut præeſt Sodalitio, à Puriſſima nuncupato, percelebri, ſemel in hebdomada dicit è ſuperiori loco coram lectiſſimâ multitudine. Angelopoli autem agit 83 annum P. Franciſcus Xaverius Solchaga ijs datus Præfectus qui Exercitia S. Ignatij Loiolenſis peragunt frequentiſſimè, in Domo ad ea deſtinata, piaculares audit Confeſſiones, Conſultationibus reſpondet graviſſimis, & alijs incumbit. Poſſemus & alios ejuſdem Inſti-

tuti

tuti viros præclaros narrare etiamnum viventes, ſuppares proximè memoratis, ſeptuagenarios etiam & ſexagenario majores, ab edito Catalogo ipſorum facilè hauriendos, quibus cenſendis ſuperſedemus, ne moroſi dicamur. Prætermiſisque eâdem cauſâ aliorum Ordinum multis alumnis doctrinâ conſpicuis, & ætate provectis, etiam modò in vivis agentibus, ſuppetunt narrandi grandiores biennio ab hinc retro vita defuncti. P. Jacobus de la Sierra, Congregationis Oratorij non ſemel Præpoſitus, ad mortem uſque, quam opetijt 87 ætatis anno, conſtante capite, atque judicio excipiendis confeſſionibus apto, & negotijs prudentiſſime agendis, quicum nobis fuit conſuetudo: D. Didacus Velazquez de la Cadena Equeſtris Ordinis Divi Jacobi, vir nobiliſſimus, in ſtatu prophano excultiſſimus, atque inſigni præditus dicendi peritiâ haudquaquam fucatâ, 87 itidem annum agens, ad poſtremam diem ſibi conſtans & ſimillimus fuit. D. Philippus Caietanus de Medina & Saravia, nobili admodum natus genere, & in juventute litteras doctus, Urbis noſtræ unus è Decurionibus, ſeptuagenarius obijt repente, nec ab ingenio unquam deſciverat. D. Joſephus Aloyſius de los Rios Emeritus Regiorum Tributorum Quæſtor vitam clauſit anno 70, politiſſimo, quo fuerat ingenio, ad diem ultimam uſus. Vix ante proximè convolutum ſemeſtrem occidit D. Alexius de Mendoza Regius Tabellio, fideliſſimè munus ſuum executus & exactiſſimè ad extrema vitæ uſque, quam clauſit anno ſuo octogeſimo tertio. Non dum bimenſis lapſus eſt, hæc dum ſcribimus, à funere

D. Ignatij Ferrerij Officialis majoris in Tabulario Pro-Regis Mexicei, quod ante annos triginta munus tam ritè gesserat, ut à singulis toto eo tempore sedentibus ad clavum Principibus ultro requisitus, maximi fuerit habitus, adeo firmâ memoriâ, integroque judicio, ut vivum ageret indicem immensi propemodum Tabularij, deque antiquissimis monumentis rogatus, statim quæ ea essent & ubi, reponeret, usque dum octogenario major denatus fuit, pridieque mortis suæ Officinam invisit. Paulo post ad plures abijt 64 annos natus D. Antonius Calderon, de cujus omnigenâ eruditione inferius agemus. Hæc dum scribimus delatum ad nos est, extremam clausisse diem Angelopoli, ejusdem Ecclesiæ Cathedralis Decanum D. Franciscum Xaxerium de Basconcelos egregiæ pietatis virum, Marchionem de Montesserrato, octoginta septem annos natum, qui ad postremos usque menses, nedũ vegetâ mente erat, & ad negotia peragenda capaci, sed mirabili etiam pro sacris precibus in Choro dicendis curâ & assiduitate. Mense vix lapso hæc postquam exarata habueramus, cessit è vita D. Josephus Antonius Davalos & Espinosa, Equestris Ordinis Sancti Jacobi Mexiceus Decanus, unus è Civitatis nostræ Decem viris, annis exactis sexaginta novem, Historiâ delectatus atque Mathesi, Pro-Regis jussu multa & gravia Reipublicæ commodum spectantia gnaviter ad posteros usque menses accurans. Et ne omnes alios involvamus silentio, qui seculo nostro ad plures abierunt annosi & valentes judicio viros notissimos, aliquot insinuemus par erit. Fuerunt ij D. Alphonsus Da-

va-

valos Ord. Equeſtris D. Jacobi, Comes de Miravalle (memorati nuper genitor D. Joſephi Antonij Davalos & Eſpinoſa) non longe à funere Prior datus Tribunali Negotiatorum, quod ille rexit egregio Reipublicæ emolumento, obijtque octogenarius. D. Petrus Ruiz de Caſtañeda ab Magnificentiſſimo SS. Virginis Guadalupiæ Templo percelebris, in quod extruendum magnas opes conjecit, vixit octogenarius etiam, ejuſque filij, Petrus item, Franciſcus, Alphonſus, & Nicolaus Præſbyter, omnes adverſus Guadalupanam Virginem devotiſſimi, ſexagenarijs majores negotiaque multa ſtrenue curantes abierunt. D. Bonaventura de Medina & Picazo, Sacerdos, cùm alijs monumentis inſignis, tum etiam operâ & divitijs in memorata Baſilica Guadalupia poſitis, ultra ſeptuageſimum annum ſui compos egit. P. Franciſcus Camacho, Soc. Jesu, in cujus Provinciæ Mexicanæ Menologio extat Elogium ejus eximiæ virtutis, die 22 Februarij anno 1708, qua hora Gymnaſiũ ibat, in quo 45 annos cõtriverat, exceſſit 70 ætatis anno. P. Petrus de Arellano & Soſſa Congr. Oratorij Præp. vir extaticus, cujus Vitã texuimus & typis dedimus, annos egit 67, menſes 10, & dies 7, nec niſi 11 ante funus dies ab audiendis confeſſionibus multis ceſſavit, aut functiones Inſtituti cœteras intermiſſit. Tandem, ut rem memoratu dignam narremus, die 14 Aprilis anni 1663 in ſolennibus Comitijs Mexici habitis â PP. Auguſtinianis electus Provincialis evaſit Magiſter in Sacrâ Theologiâ P. F. Martinus de Peralta annos natus amplius nonaginta quatuor, quo defunctus munere

fue-

fuerat 29 retro annis: nec verò opinabitur quisque, cordatissimos & sapientissimos viros caput sibi constituisse hominem mentis impotem & delirum. Rem accepimus à Gregorio Martino del Guijo in Diario ab anno 1648 ad usque 1664, quod extat Mss in Oratoriana Mexicea. Ejus autem Continuator Diarij Robles emortualem mensem Martini, tacito die, memorat anni 1665. Nunc verò majores nostros memoriâ refricemus oportet, qui facili negotio nobis occurrerint, in Bibliotheca deinceps commemorandos.

ANTELOQUIUM XIV.

Ex memorandis in Bibliotheca nostra Scriptoribus aliqui enumerantur ætate grandiori juxtáque insigni pollentes ingenio.

QUamvis otium nobis & facultas non fuerit vestigandi natales & emortuales dies Scriptorum nostratum, indicabimus tamen in Bibliothecâ quos citra negotium obvios habuimus, & interea pro argumento quod in Anteloquijs hisce tractamus, aliquorum ætates damus, qui sexagenarij & longe grandiores fato concesserint, ingenio neutiquam marcido, quo usi fuere ad extremum vitæ, aut in re litterariâ, aut in publicis administrationibus, & id genus alijs judicij maturitatem, & caput benè sanum ac integrum exposcentibus, quod nuper di-

xi-

ximus de ijs qui in vivis agunt Scriptoribus & viris clariſſimis, in Bibliotheca itidem recenſendis. Ad vita defunctos quòd attinet, nuncque curamus, agmen ducat Illmûs D. D. Alphonſus de Cuevas Davalos ex Epiſcopo Goaxacenſi Archiepiſcopus Mexicanus creatus anno ætatis ſuæ 74, qui proximè ſequenti in cœlum abijt integerimo prorſus judicio. P. Alphonſus Guerrero, Societatis JESU, præclarus vir, 63 anno ſimiliter obijt in Domino. Illmûs. D. D. Alphonſus Albertus de Velaſco, Parochum agens Mexicanenſem, & Doctorem inſignem, qui Cauſæ inſtiterat, quæ Mexici agebatur, de Beatificatione V. Gregorij Lupeſij, mortus eſt annum agens 69. F. Alphonſus de Zepeda, Franciſcanus, Libris immortus eſt ſexagenario major. F. Alvarus de Paz, item Franciſcanus, ſui compos, & ſacris miniſterijs intentus, ſexagenarius obijt. F. Andreas de Borda Franciſcanus, Doctor Theologus, in Academia noſtra Anteceſſor Emeritus, & in Familia ſua ſemel & iterum rude donatus, longe ſupra ſeptuaginta annos egit, immortusque fuit negotijs à S. Inquiſitionis Officio, pro munere quo defungebatur, criſi ſuæ traditis. M. F. Antonius de Ayala, Auguſtinianus & ipſe percelebris, qui ſeptuagenario major exceſſit, ad poſtremos dies uſque vividis ſenſibus & acuta mente Libris valetudinem fallens. P. Antonius Diaz de Godoy Congreg. Oratorij, ætatis anno 63 deceſſit, quo tempore totus erat in perpurgandis Librorum capſis multis, ſibi ab Inquiſitionis Tribunali commiſſis, & de more habendis concionibus operam dabat. D.

D. Antonius de Gama octogenario major occubuit, etiamnum Primariam, licèt Emeritus, Cathedram Theologiæ pro quotidianis lectionibus frequentans, & examinandis Philosophiæ tyronibus pro munere intentus. Illmûs. D. D. F. Antonius de Guadalupe Lopez Portillo Episcopus Comaiaguensis, Diœcesim lustrans, cœlum petivit annos natus 62. D. Antonius Joseph Maria Guerrero, quinque annis major sexagenario, Grammaticam multis tradit auditoribus suis. F. Antonius Mancilla, Franciscanus insignis, septuagenario major occubuit, cujus extat edita Concio doctissima paucis ante obitum mensibus à se dicta. P. Antonius Nuñez de Miranda S. J. anno 77 mortuus, litterarias & sacras res perinde tractabat ac adolescens. P. Antonius de Peralta, Societatis Jesu Provinciæ Novæ Hispaniæ Præpositus, ut huic muneri satisfaceret, ipsam visitans denatus fuit longe major sexagenario. F. Antonius Sanchez Dominicanus, sexagenarius obijt litteras curans & Parochialia officia. F. Antonius de Torizes & Cano, Franciscanus, anno ætatis 74 excessit luminibus captus, at constante judicio. F. Augustinus Betancurtius, Franciscanus, & Libris & muneribus Parochi insistens ad obitum usque octogenarius denatus fuit. M. F. Balthassar de Alcocer Mercedensis, Primarius Theologus Academicus, longe major sexagenario obijt, quotidianis Prælectionibus & id alijs incumbens. P. Balthassar Cervantes Societatis Jesu, septuagenarius, integro capite & in cœlum arrepto, eò se contulit. D. Bartholomæus Philippus de Ita & Parra, decessor noster

in

in Canonicatu Magiſtrali, ſexagenario major extinctus, nihilo ſibi minor erat poſtremis annis ſive concionaretur, ſive elucubraret. Illmûs. D. D. Carolus Bermudez de Caſtro Archiepiſcopus Manilenſis ſexagenatius item exceſſit ſummâ cum ingenij & pietatis laude. M. F. Didacus de Burgos Mercedenſis ultra nonaginta annos vitam protraxit egregiâ cum vitæ & doctrinæ laude. D. D. Didacus de Malpartida Centeno, Decanus Eccleſiæ Cathedralis Mexiceæ, electusque Epiſcopus Durangenſis, ad obitum uſque negotijs intentus Eccleſiæ, & integro capite, anno 83 ætatis ſuæ à nobis migravit. F. Didacus Muñoz Franciſcanus annos natus 70, ubi proximè Provinciæ Michoacanenſis clavum tenuerat, defunctus eſt. M. F. Didacus Velazquez de la Cadena, Ordinis S. Auguſtini, in Academia Mexicea Primarius & Emeritus Theologiæ Anteceſſor, ſeptuagenerio major ad plures abijt, ad extremumque Provinciæ ſuæ Oraculi inſtar prudentiſſimi fuit. M. F. Didacus de Villarubia ejuſdem Ordinis in Provincia Michoacanenſi anno ætatis 60 integerrimo pollens judicio exceſſit. F. Emmanuel de Arguello, Franciſcanus notiſſimus, nunquam non pulcherrimo ingenio fuit, vixitque ultra annos 70. P. Emmanuel Lobo Societatis Jesu vitam amplius 70 annos traxit, unàque ingenium atque judicium. P. Felicianus Pimentel ejuſdem Ord. ſimiliter habuit ſe ad annum uſque ætatis 72, quo fuit defunctus. P. D. & M. Franciſcus Antonius Ortiz ejuſdem Societatis, Academiæ noſtræ Decanus Doctorum Canoniſtarum & Philoſophorum, ul-

tra annum 80 ingenium vegetum vividumque protraxit. D. Franciſcus de Ayerra S. Maria, delicatiſſimo vir ingenio, eo uſus eſt ad extremum vitæ, quam clauſit annos natus 78. M. F. Franciſcus de Burgoa Dominicanus, poſt annum 70 defunctus, ad obitum uſque Præfecturas ſtrenue geſſit. M. F. Franciſcus Pareja, Ordinis Mercedenſis, Provinciæ Mexicanæ non ſemel Provincialis, Decanus inter Doctores Theologos Academiæ noſtræ, peræque dierum & ingenij plenus exceſſit, ſimiliterque P. Franciſcus Ramirez Societatis JESU 70 ætatis anno denatus fuit. P. Franciſcus Roa, ejuſdem Societatis, tertiùm Provincialis Familiæ ſuæ in Provincia Philippinarum, ipſam ex munere luſtraturus, naufragio perijt ſeptuagenarius. D. Gabriel de Mendieta Rebollo, à Secretis Urbis Mexiceæ, mortem aſpexit octogenario major, & adhuc publico muneri, quod gerebat, ſtrenuè incumbens. M. F. Gabriel Pareja, Ordinis Mercedenſis Theologus, ſeptuagenario major extinctus eſt, ad quam uſque ætatem confeſſiones, Monialium præſertim, excipere ſolenne habuit, multaque floruit eruditione. P. Gaſpar de Carbajal Societatis JESU, poſtquam in ipſa annos circum 60 poſuerat, ingenio præſtans & meritis in cœleſtia tranſivit. P. Hieronymus de Figueroa ejuſdem Ordinis, placidiſſimè obijt ætatis ſuæ anno 79 integro prorſus animo & in Deum intento. P. Jacobus de Zamora, Societatis etiam JESU, longe major ſexagenario ad plures abijt, in paucis habitus florentiſſimo perpetuùm ingenio. P. Joachimus Antonius de Villalobos

fere

fere feptuagenarius eximiâ erat in dicendo è ſuperiori loco facundiâ. P. Joannes Antonius de Mora Jeſuita item præclarus, præclaro etiam ingenio ad mortem uſque fuit,quam aſpexit non longe à ſeptuageſimo ętatis anno. Illmûs. D. D. F. Joannes Baptiſta Alvarez de Toledo, Epiſcopus Goatemalenſis, ſenio licèt confectus & obeſitate corporis iter arripere in Novam Galleciam impos, Goadalaxarenſi Epiſcopatui unàque Goatemalenſi ceſſerit, mentis tamen ſatis ſuperque compos, juſſus eſt à Rege Goatemalenſibus infulis poſtliminio reſtitui, quibus morte pręventus, conveſtiri fuit impeditus. Illmûs. D. D. Joannes Cano Epiſcopus Jucatanenſis annos natus 78 defunctus, munus ſuum exactè & præclare geſſit. P. Joannes Carnero Soc. Jesu, 63 anno ætatis fato conceſſit, ante quod triduo, concionatus fuerat doctiſſimè ac pijſſimè totos dies 7 in honorem S. Franciſci Xaverij. P. Joannes de Eſtrada ejuſdem etiam Ordinis Provincialis in Nova Hiſpania, octogenario major deceſſit, nec ingenioſiſſimo ac prudentiſſimo ſibi diſſimilis. Illmûs. D. D. Joannes Ignatius de Caſtorena, Præſul Jucatanenſis, ingenio conſpicuus ad mortem uſque fuit, quam opetijt ſexagenario major. D. D. Joannes de Salcedo Emeritus Anteceſſor Sacrorum Canonum, Decanusque Eccleſiæ Cathedralis Mexiceæ, qui à Secretis fuerat Concilij Mexicani IV aliàs III octogenarius obijt anno 1626 tam conſtanti ſibi capite, ut quadriennio proximè antecedenti Epiſcopales infulas auſpicatus ei fuerit. Illmûs. D. D. Joannes de la Serna, Archiepiſcopus Mexicanus, in præ-

fixâ Concilio Epistolâ, quas ei decrevit Rex, sero licet, & postquam ille fato concesserat. P. Julianus Gutierrez Davila Cong. Orat. Præpositus obijt quatuor annis sexagenario major, quo tempore & Libros scribebat, & à Confessionibus & Consultationibus Theologicis erat Illmi. Archiepiscopi Mexicani. D. Ludovicus de Becerra Tanco ultra septuagesimum annum vitam duxit, & sexennio antea, anno 1666, primùm ediderat, deindè locupletiorem fecerat Historiam Virginis Guadalupiæ Mexiceæ, nuper à Madritanis doctissimis Criticis probatissimam & recusam. D. D. Lucas de Berdiguer Decanus Collegij Theologorum Mexicei ferme septuagenarius tam doctè agebat è sacro suggestu, quam pridem dixerat. D. Marcus Josephus de Salgado, Primarius & Emeritus Medicinæ Antecessor, nec minor septuagenario emigravit, nec imminutus ingenio aut eruditione. In eâdem constitutus ætate mortem lætus aspexit P. Mathias Blanco Societatis Jesu, magnum inter Theologos nomen, nec diu ante funus Sodalitium Purissimæ Virginis accuraverat, & Concionibus semel in hebdomada habitis graviter edocuerat. P. F. Mathias à S. Joanne Baptista, nudipes Carmelita, primo supra septuagesimum anno defunctus est, quo tempore Sacras Litteras è Cathedra docebat, Scholæ restitutus, diu olim à se excultæ, postquam Provinciæ suæ clavum tenuerat. P. Nicolaus de Segura Societatis Jesu, longè major sexagenario occubuit ea ipsa die, qua concionatus fuerat, & multis de more negotijs gravissimis operam suam navarat. P. Nicolaus Zamudio Societatis item

Jesu

Jesu non minoris ætatis, afflictâ licèt valetudine, in sellâ gestatoriâ ad Ecclesiam delatus ad Sodales Bonæ mortis non semel dixit proximus morti. P. Paulus de Salceda, Ordinis ejusdem Professor, ad mortem usque, quam subijt quinto supra sexagesimum anno, mirabili, quo donatus fuerat ingenio, floruit. D. D. Petrus Ramirez del Castillo, Capituli Metropolitani Mesochorus, Decanusque electus, longè supra sexaginta annos natus decessit, etiamnum in alijs & in latina Poesi excultissimus. P. Petrus de Velasco Societatis Jesu anno vitæ suæ 68 semestri ab gesta à se præfectura Provinciæ, gravissimis rebus jussu Generalis Præpositi intentus, cœlum petivit. M. F. Stephanus Navarro Dominicanus, qui ad 87 usque annum Libris majorem diei partem dabat in cellâ suâ abditus, consultusque à Sodalibus propterea tædio erat multis, quòd fusissimè de singulis quæsitis ageret, & redundanti afflueret doctrinâ, biennio ab hinc retrò occubuit. M. F. Sebastianus à Santander, item Dominicanus, ad senium usque & octogesimum primum ætatis annum apud Goaxacenses è Cathedra docuit tyrones. In eâdem ferme ætate decessit F. Sebastianus Castrillon Gallo, nudipes Franciscanus, singulari vir ingenio, & ad obitum usque florenti. Ejusdem Instituti Professor F. Thomas de Velasco sexagenarius obijt Mexicei Cœnobij Præfecturâ clarus & ingenij vigore conspicuus. Possemus longius progredi, non absque Lectorum fastidio, & molestiâ nostrâ, indicantes Scriptores ingenio juxtà præstantes & elucubrationibus ac muneribus ad senium

 nium

nium deductis; cui tamen rei superſedemus, ſatis ſuperque, ni fallimur, commoſtrato, ingeniorum defectionem, quæ nobis appingitur, ad fabulas relegari oportere. Nec ullum nobis faceſſit negotium, quod citatus Manier in Defectionis Americanorum ingenij patrocinium ab confeſſione Mexicani D. Joannis Antonij de Haumada haurit. Multa enim reponimus validiſſima quidem momenta. Nam & ſi verum ſit, nonnullos ſtudijs deditos ad trigeſimum uſque annum, deinceps Parochiali contentos Beneficio, præter quod nullam ſibi pollicentur mercedem laboris, excolendis ulterius litteris, niſi pro adimplendo munere ſuo, deſiſtere; id porro quis dicat ingenij defectionem? Omnes certè cordati dicent inertiam animi atque ſegnitiem, quam ubi exuerint, ut fit non rarò, utuntur ingenio haudquaquam emortuo, ſed ſemiſopito. At & deſſidiam iſtam paucorum eſſe ex his patet, quæ nuper ſcripſimus, luculentiusque ex narrandis in Bibliotheca noſtra patebit, rurales etiam Parochos Libris deditos commonſtrante. Tum, ſi quod eſt, in ea ſtudij remiſione vitium, per omnes latè Nationes ſerpit, apud quas multi Libris ſe abdicant, niſi vel ab officio urgeantur & munere, quod publicè gerunt, vel ab obtinendi præmium ſpe invitentur, quæ ubi nulla ipſis ſubluceat (ut aliquibus noſtris longiſſimè à Curia Regis diſſitis) culturæ litterarum ſubducunt ſe, quin propterea deliri audiant, aut ingenio orbati dici citra injuriam poſſint, aut credi mentis impotes. Quid verò audient noſtratum permulti, quos è Bibliotheca hauriet curioſus Lector, qui vel

vel Inſtituti, quod profitentur, ratione, vel fortunæ, ut dicitur, averſæ ac ſiniſtræ cauſâ, nullum ſibi munus publicum adpromitunt, non divitias aucupantur, non honoribus inhiant, & nihilo tamen minus Libris incaneſcunt, quos diurnâ verſant nocturnâque manu? Hercle, nemo non dicet, iſtos deperire ſapientiam, & eximios litterarum eſſe amatores. Id exploratum habent Europæi viri nobiſcum conſuetudine juncti, è quibus memoratus ſupra Doctor Complutenſis Peralta Caſtañeda, longo & pluſquam vicennali domicilio Angelopolitano doctus, fatetur in citato proemio, impoſturam eſſe, creditam noſtratum defectionem ingenij, eoſque qui ſtudijs valedicunt & ſeveriori litterarum culturæ, egeſtate compulſos iri, ac præmij deſperatione. Nam & ſi Catholicus Rex ejuſque Conſilium Indiarum benemeritos viros honoribus augeat atque muneribus, eos ubi perſpectos habuerit; obſiſtente tamen diſtantiâ, ſero tandem plerumque à noſtratibus geſta in Curiam ſubintrant. Maneat igitur ad fabulas amandata Americanorum ingeniorum defectio eis à multis impacta anno ætatis 30, quam vel ſexageſimo etiam anno vulgi inſtar cantinelæ habet P. Petrus Murillo Velarde, Granatenſis, Societatis JESU in Geographia hiſtorica lib. 9. cap. 16. pag. 271, licèt non admodum in res noſtras pronus, cujus gratiâ ſequens par eſt inſtituamus Anteloquium.

ANTELOQUIUM XV.

P. Petri Murillo Velarde de re Americanorum litteraria judicium veſtigatur & aperitur.

QUòd ad ingeniorum noſtratum attinet defectionem, nuper audivimus Virum hũc admodum eruditum refragantem, & ad vulgi quiſquilias eam remittentem; de præſtantiâ verò eorundem ingeniorum ſcribentem M. Feijoo amplificaſſe ea dicit, & magnificè loqui, ut aliquibus viſum eſt, aſſentatiunculæ gratiâ; & Morillij quidem ſententia, certum & exploratum eſſe, Americanorum ingenia quam credatur apud Europam eſſe majora. Nos qui, ut ſuperius diximus, de primatu non decertamus, ad alia ejuſdem Scriptoris ſenſa progredimur. Memoriâ eos omnes prompta eſſe, inſitæ in loquendo facilitatis & expeditæ linguæ, atque in dicendo ſtrenuos atque elegantes, docet, in publicis litterarijs actionibus ſplendidos, facileque ſubinde plauſibus audientium exceptos. Et ſi quidem conſtanti ſtudijs aſſiduitate inſiſterent, eorum demum aliquos ea prædivites evaſuros omnigenâ eruditione, qua varij apud Europam conſummati Viri inveniuntur; fieri tamen, aut nativâ plagæ ſocordiâ, aut quòd ſtimulus & alacritas deſint, ut hactenus nullibi Americæ partus maturatus fuerit dignus Minervæ fatigationibus poſitis per annos pluſquam ducentos in iſthæc æquoribus irrigandis. Papæ! Hìc

tu

ut hæreamus operæ pretium erit, & quid ſibi velit doctiſſimus M. inveſtigemus: Num de Viris doctis, num de Voluminibus loquatur? Utrum ne doceat hominem nullum hactenus maturitatem attigiſſe doctrinæ, quæ tanti temporis eruditæ culturæ reſpondeat; an Opus non dum uſque adeo eruditum prodijſſe exiſtimet, quod lucernam oleat, & quidem ipſius Minervæ per duo ſecula elucubrantis? Principio quidem compertum ſanctumque habet Morillo, apud Americam Academias ſeu Univerſitates & Studia generalia florere, Collegiaque & Secularia & Regularia pro Scientiarum cultura, in primis autem Limæ & Mexici Urbibus utriuſque Americæ Primarijs ampliſſimisque, apud quas infulati Doctores plurimi, & Magiſtri ſapientes agunt. Mexiceam noſtram Univerſitatem, quam multoties inviſit apud nos diverſatus auſpicandæ Manilenſis cauſâ navigationis, floridiſſimam nuncupat, & primam, opinione ſua, ijs quæ in novo Orbe vigent excellentiorem, multisque Europæis Univerſitatibus ſuperiorem: doceri in ejuſdem Gymnaſijs Theologiam, Canones, Philoſophiam, aliasque Facultates, & in his omnibus Academiam Viros admodum inſignes dediſſe ſubjungit. Nec prætermittit, alumnos ejus monumenta relicturos, quæ perennarent longius, publicæ utilitatis & gloriæ, modò calcar pręmij eos moveret atque incitaret. Ita quidem habet in præcitati Libri cap. 2. pagg. 81 & 82. In Hiſtoriâ verò Provinciæ Philippinarum Societatis JESU à ſe etiam ſcriptâ, & editâ paulo ante Geographiam hiſtoricam, ſcilicet anno 1749. Manilæ typis Societatis ejuſdem lib. 4. cap. 9. n.

734. fol. 321. ad calcem col. 1. & initio 2. testatur; Mexici & Clerum esse selectum & multas gravesque Religiones, in quibus Viri sunt eminentes, & inclytam Universitatem, apud quam impensè & concinnè litteræ omnes coluntur. Tum, à se Mexici agente cognitos fuisse Viros admodum insignes in omnibus Facultatibus, tamque acutâ & præstantia apud juvenes & Magistros ingenia, ut nullus ipse in optatis habuerit egregios Viros, quos Salmanticæ, Compluti, Granatæ retro noverat & tractarat. Hæc cùm ita habeant, alterum fateatur est necesse; vel apud celeberrimas Hispaniæ Academias commemoratas nullum à se cognitum Virum egregiè doctum atque sapientem, qui diuturnas Minervæ defatigationes præseferat; vel apud Mexicanos quoque multos sic institutos esse, ut maturitatem erudititionis illam attigerint, quæ positis à Minerva curis in Studijs nostris respondeat; vel tandem non hanc optare se in hominibus præstantiam eruditionis, sed in Voluminibus ab eis conditis & scriptis. Quod si in datis supra verbis sibi voluisse dicat, tunc enim verò urgentius argumentum premat oportet memorantem atque laudantem lib. 10. Geographiæ Historicæ cap. 11 clarissimos sapientia & scriptis viros Mexicanos atque Peruanos, Ledesmas, Canos, Riberas, Roas, Martinez de la Parra, Oviedos, Seguras, Blancos, Peraltas, Salgados, Joannas Agnetes à Cruce, Ruicios de Montoya, Añascos, Menachios, Felicianos à Vega, Villarroeles, Machados, Peñafieles, Ayosas, Ovalles, Aguilares. An enim istorum Volumina lucernam non

re-

redolent, nec Minervam ſapiunt, aut hujus ſeculares vigilias ſubindicant? Certè, ut ex ungue Leonem, vel ex his tantùm Libris Americanam Minervam dijudicare poſſet vir eruditus. Quid porro ſi cœtera noviſſet Volumina, quæ Bibliotheca noſtra palam exponet? Nulli credimus, viſis à Murillo tot Scriptoribus, eorumque plurimis excultiſſimis, verba ſibi excidiſſe immaturos etiamnum noſtratum fœtus exiſtimanti. Sed ut noſtram de eo ita ſcribente ſententiam promamus, credimus quidem, voluiſſe ſibi hactenus ab America non prodijſſe alicujus Authoris multa grandia Volumina, quæ cum Thomaſianis, Scoticis, Suarezianis, Kircherianis, Caramuelianis, & ſimilibus certent atque contendant. Et hoc quidem ut ſponte fatemur, ſic etiam credimus argumento non eſſe acerbæ adhuc Minervæ noſtræ, quòd maturitas non à pomorum multitudine judicanda ſit, ſed à dulcedine eorundem & ſuavitate; nec profectò plurimis etiam elapſis ſeculis ſperamus fore olim, ut ingentibus & prægrandi numero Voluminibus Minerva Americana tandem aliquando maturitatis indicem & exemplar datura ſit. Cujus rei momenta paucis complexus eſt P. Hieronymus Perez de Nueros ſupra laudatus Cæſarauguſtanus, datis illis S. Ambroſij verbis: *Eodem modo videtur* (Sol) *cum oritur: nec cum vergit in occaſum minor apparet Orientalibus & Occidentalibus*, hæc opportunè ſubjungens: *O ſi cum eâdem Solis propinquitate; Lugdunenſis etiam, Antuerpiana, Lovanienſis, Veneta, & aliæ Typographicæ his plagis proximæ adeſſent Officinæ! Qua librorum copiâ, litteraturâ omni refertâ, & conſpicuâ varietate, quam*

 ad

ad circinum elaborata, quam bene tonsa,& quasi ad radiorum Solis speculum pectinata Europa, frueretur? Dei enim Scientiam non uni orbis parti, sed cunctis munificé, & largé á Spiritusancto dilargitam docuit Hieronymus sic loquens. „ *Quod Petrus in vase lin-* „ *teo, quod é cœlo demissum est, se vidisse testatur, ha-* „ *bente quatuor principia, per quæ quatuor mundi plagas in-* „ *telligimus, ut repletam terram Dei scientia intelligamus. Sic quod de Platani arbore ab India quondam ad Europam delata, & ab una in aliam Provinciam, ob ejus umbræ gratiam, transvectas ne ulla esset, quæ hujus plantæ umbrosa amænitate orba remaneret, dixit Plinius:* „ *Quis* „ *non jure miretur arborem, umbræ gratia tantúm ex alie-* „ *no petitam orbe? Platanus hæc est per mare Jonium in* „ *Diomedis Insulam ejusdem tumuli gratiâ primam inve-* „ *cta, deinde in Siciliam transgressa, atque inter primas do-* „ *nata Italiæ. Idem sane de eruditis plurium lucubrationibus, cedro utique dignis, communique plausu in Europa excipiendis dicendum putares; ni illorum animum, vigiliarum & studiorum pensis addictum, alacrique aviditate ad scribendum paratum, tanta maris terræque intercapedo, loco adeo dissitæ Typographorum thecæ, Authorisque proprio educendo operi operam impensuro absentia retardarent. De quorum libris si facilis esset Oceanum tranandi & in Hesperias oras transeundi facultas, illud diceres, quod de alio Horatius.*

Hic meret æra liber Socijs, hic & mari transit;
Et longum noto Scriptori prorrogat ævum.

Hæc vir doctissimus & in nostris rebus expertus, cui concinit memoratus item Doctor Complutensis Peralta Castañeda, & experientiâ ipse Americanâ doctus. Quamvis enim officinas typogra-

graphicas jam pridem habuerimus, & optimas à P. Murillo apellatas, ſumptus tamen & in ſolvendis operis & in coemendis chartis ab Europa deductis, niſi inter nos verſatis, incredibiles videbuntur. Adeant Lectores Magiſtrum F. Antonium de la Calancha in Chronicis Ordinis S. Auguſtini apud Peruvienſes lib. 4. cap. 12. n. 4. pag. 858. Editionis Barchinonenſis apud Petrum Lacavalleria anni 1639 invenientque, apud Bibliothecam Auguſtinianam Limenſem extare manu exarata à P. F. Joanne Caxica ejuſdem Ordinis triginta duo Volumina, quorum duodecim ſunt in folio, reliqua in 4. magno, Idiomatibus quatuor præcipuis in America Meridionali conſcripta, quæ ſi Limæ procuderentur, opus eſſet amplius centum triginta mille argenteis uncialibus; quinquaginta verò ut minimum, ſi edenda in Hiſpania eſſent; apud quam niſi peſſimè cudi non poſſent, neſcientibus ſcilicet operis & correctoribus Europæis tres illas linguas Americanas, queis & Hiſpanâ Libri illi conſtant. Quibus de cauſis inſignia quidem Opera apud Americam lucubrata, vel in angulis deliteſcunt Bibliothecarum, vel fodicata corroſaque à tinea perierunt. Accedit, Libros editos diſtrahi præter quam inter noſmetipſos non poſſe citra majora impendia, quorum vitandi cauſâ vix à Mexicanis ad Peruanos & viciſim Volumen tranſmeat. Sed de his ſatis. At enim quoniam emunctæ naris Amicus noſter atque gentilis aliò intendiſſe Murillum cogitat; eam paucis indicemus cogitationem è re erit opportuneque referamus. Et quæ illa porrò? Murillo ſcilicet fuiſſe in optatis

tis masculum apud Americanos ingenium aliquod, cui acceptum Minerva referret Systhema apud Litteratos insigne, aut datum publicè eruditionis vastissimæ documentum, vel quod portento simile haberetur aliud specimen & encyclopediam. Audimus & capimus Scriptoris sapientissimi vota, queis facturi satis, reliquum est, ut magnam Eruditorum segetem in Bibliotheca nostra daturi, unum alterumve feracitatis Mexicanæ pomum præmittamus, quod delicatissimis quibusque, & vel ipsi Alonensi Decano sapiat oportet.

ANTELOQUIUM XVI.

Insignes aliquot indicantur Mexicani eruditi, & pridem & ætate nostra conspicui admodum & notissimi.

MEmoriâ refricantibus nobis Emmanuelis Martini de Mexicanis sensum & existimationem, succurrit aliquando Rabbinorum fabella ab egregio Critico P. Calmetio memorata in de Gigantibus Disertatione, quę extat earum Tom. 2. pag. 356. Editionis Lucæ anni 1729. Scilicet, Adamum, generis humani parentem, gigantem alij mille cubitis, alij 900, alij 100 altum existimant: aliter enim, ajunt, fructus arboris scientiæ contingere nunquam potuisset, quæ miræ ipsa erat proceritatis. Nos enim verò Alonensi Decano pygmei visi sumus, qui arborem scientiarum, cœlum ipsum proximè tangen-

gentem, ne suspicere de longe valeamus. Ille, ille, gigantis ad instar, eruditionis poma, licèt altissima, seorsim omnia decerpit. Americanis siliquas relinquit, herbas, id genus alia brutis quam hominibus congruentiora. Gigantem forte quisquam Martinum diceret, qui tamen, ut est in proverbio, in deos bellum moverit, Hispanos ipsos, gentem suam, lacesserit, Oratorienses Valentinos PP. gentiles quidem suos, litteris & virtute clarissimos flocci duxerit, quòd ab Academiæ Valentinæ Gymnasijs Terentium arcuerint: & Americanos unà omnes antipodas litterarum crediderit, & à Minervæ pomærijs longè amandaverit. Si tamen, ut in perscrutandis antiquæ monumentis Romæ institutus & eruditus fuit, in Mexicanis vel mediocriter esset versatus, apud nos quoque & olim, Indis rerum potientibus, valuisse gigantes corpore, de quorũ exuvijs fidem habent oculati testes Acosta, Torquemada, Cogolludo, alijque permulti; & gigantes mente litterisque non deesse ab eo tempore quo Hispanis America obsecundavit adusque præsentem ætatem. Atque, ut gigantem, quod dicitur, ex digito commonstremus, ijs prætermissis, quos Bibliotheca nostra dabit, Naranjos, Molinas, Siguenzas, Nuñez, Blancos, aliosque, Phenice, ut dici solet, rariores; trinum placet hìc exhibere. Primus est Petrus de Paz Basconcelos luminibus captus à puero, qui tamen ingenio donatus eximio & in litteras prono, aurem Magistris præbens, Latinitatem imbibit & Rhetoricam, Philosophiamque ita hausit, ut postquam laureâ redimitus fuerat, candidatum egerit Cathedræ recitatâ ad horariam clep-

ſydram Prælectione à ſe 24. ſpatio horarum in ſortitum ſibi Ariſtotelis textum elucubratâ, parum que abſuerit quin Profeſſor deſtinaretur. Adhæc, Theologiæ operam dedit, & præmiſis Relectionibus 10, alijsque de more ſcholaſticis probationibus, lauream tulit. Tum Juriſprudentiæ addictus Hypodidaſcalum egit apud Doctorem Alphonſum Alaveſium Cauſidicum ea tempeſtate celebrem, tamque evaſit doctus & eruditus, ut non modò res ab auditis Libris hauſtas teneret, ſed etiam loca & paginas, quas occaſione data indicabat, ut, productis teſtibus M. F. Marcelino de Solis & Chriſtophoro de la Plaza itemque F. Balthaſſare de Medina, conſcripſimus in Nuncupatoria præmiſa Selectis Diſſertationibus Mexicanis noſtris. Secundum habeat locum, nulli ſecundus, bimeſtri ab hinc retro denatus ætatis anno 64. D. Antonius Calderon, vir uxoratus, & Apollini, Muſis, & ſacris prophanisque litteris ad ſtuporem uſque excultiſſimus. Natale ei ſolum Angelopolis dedit, ac ubi lumen ipſi rationis affulſit, Grammaticam aggreſſus, brevì Poeticam & Rhetoricam à Jeſuitis accepit, moxque Philoſophiam primus inter auditores Viri Clariſſimi P. Nicolai de Segura. Theologiæ navavit operam cùm ſub alijs egregijs Magiſtris, tum præſertim ſub Mathia Blanco ſummo Theologo Societatis Jesu, quo Præſide theſes propugnavit & numero multas & inſignes dificultate, Catholico Hiſpaniarum & Indiarum Regij Philippo V nuncupatas, ſpecimen ea in concertatione exhibens, nedum Theologicæ & Philoſophicæ eruditionis admodum raræ, ſed etiam La-

tinæ

tinæ præstantiæ, & in Oratoriâ & Poeticâ Facultatibus exercitatione & facilitate: nam quòd obsequij adversus Regem gratiâ, Magistri arguentes variè, pro suo quisque genio, proluderent, singulis ille extempore latinè reposuit, aut soluta aut ligata oratione, quæ concertantis Elogio congrueret & Prolusioni. Hæc Angelopoli alumnus unusque è fundatoribus insignis Collegij, quod S. Ignati nomine pro convictoribus Philosophis & Theologis à PP. Societatis erectum fuit. Mexici laureis contentus alijs, nec censu dives, Doctorales nunquam optavit, quas porrò tulisset dignissimè. Tanta erat memoria, ut semel lectum Librum divenderet, semperque in promptu teneret & argumentum & res &, ubi singulæ erant, folia & pagg. Ingenium sortitus nihilo infelicius memoriâ, nec minorem in litteras propensionem, & assiduitatem studij, admirabiles planè in omnibus Scientijs progressus fecit. Academiam moderatus insignem apud Ædes D. Michaelis Antonij del Castillo tunc juvenis, nunc Ecclesiæ Metropolitanæ Præbendati, in Universitate nostra Doctoris atque Magistri, & Philosophiæ Collegij Decani, multos instituit, cùm in Philosophiâ Theologiâ & Juribus, tum præsertim in litteris amænioribus. Medicinam etiam & Mathematicas, Criticam & Historiam haud perfunctoriè coluit. Facillimo negotio Conciones dictare, Prælectiones & Philosophicas & Theologicas & Scripturarias & Juridicas fundere, Poemata, Prolusiones & id genus alia scribere solebat, quarum merito elucubrationum inter Scriptores nostros recenseretur in Biblio-

theca, nisi votis ipse nostris abnuisset, causatus, quod è vero est, nullas sibi unquam asservasse chartas, Codices quantos scripserat neglexisse, in primis autem, ut notum habemus, quòd latere semper voluerit, captandæ gloriæ nunquam solicitus, quamquam eruditis quibusque notissimus fuerit, à queis maximi fiebat, quærebaturque frequentissimè etiam ab alijs, potissimum in negotijs Forum & Jus concernentibus, cùm pro Consultationibus difficilimis, tum etiam tuendorum gratiâ jurium in perplexis & intricatis rebus, quibus expediendis aderat, citraque lucri ambitum, sponte sibi oblatum æs pro familiæ suæ victu accipiebat. Quæ de tanto Viro insinuasse suffecerit.

ANTELOQUIUM XVII.

Argumento proximé dato insistimus & colophonem addimus.

COronidem dictis apponat D. Antonius Laurentius Lopez Portillo juvenis in paucis præclarus, annos natus 23, non una dignus infulâ, aut duplici, vel triplici, sed quadruplici Doctorali, pro eximia qua est eruditione in utrâque Sophia & in utrôque Jure, cujus specimen palam dedit in Academiâ nostrâ, anno proximè elapso, plane mirabile, & aliquibus forsitan incredibile. Natus is est in Diœcesi Goadalaxarensi Novæ Galleciæ, in cujus Primariæ Urbis Athenæo Societatis Jesu latine institutus, Philoso-

ſophiam accepit atque Theologiam, tanto ſucceſu, ut mox à curriculis abſolutis, theſes per diem integrum publicè ſuſtinuerit de univerſa, quæ Scholaſtica audit Theoſophiâ, non abſque egregio Illmi. Epiſcopi & doctiſſimorum hominum plauſu, mirantium tantam in ætatula illa eruditionem, promptitudinem, & judicij maturitatem. Mexici conſtitutus in Regali Divi Ildefonſi Collegio, ab Academicis Gymnaſijs Jus Canonicum, dein Civile hauſit, laureasque retulit, & Collegij ſui Trabeam, ut dicunt, Oppoſitionis, periculo facto floridiſſimos inter competiores, meruit. Tum Juſtiniani Inſtitutionum libros quatuor & memoriâ recitandos ita propoſuit in Aula maxima Academiæ Mexiceæ, ut interroganti cuique § cujuſvis tituli ad litteram ſtatim refferret, & ſingulas ex omnibus §§ erutas concluſiones traditasque doctrinas duobus in folio Voluminibus ab inſigni Salmanticenſi Doctore Antonio Pichardo defenderet, ac minutatim ſciſcitanti cuique quas vellet Inſtitutionum difficultates ſatisfaceret & reponeret. Hæc datis publicè chartis, typis editis Academico ritu, ſpoponderat, coramque ſapientiſſimorum hominum frequentia graviſſima fidem liberaſſe datam teſtamur, qui id temporis Univerſitatem noſtram, pro eximia ejus in nos cohoneſtando gratia & humanitate, regebamus, demirantes unà cum ceteris adſtantibus Viris eruditiſſimis, juvenis & memoriam & ingenium magis atque judicium, & maturitatem doctrinamque egregiam, queis Objectiones diſſolvit, Quæſitis ſatisfecit, & petitos à ſingulis arguentibus §. §. ſaltuatim, multumque in-

 terſe

terse dissitos, citra minimam prolapsionem omnes dixit & recitavit. Grandia licet fuerint ista studij & ingenij minime vulgaris indicia, leviora tamen habita fuere ijs accedentibus queis per hactenus memorata prolusit. Nam elapso ab ipsis quadriennio chartam edidit, quam invariatam prorsus in adversa pagina damus. ☞

Ubi præfinita dies 28 Maji accesit, frequentissima omnium Ordinum corona Aulam maximam, quæ & ornatu & amplitudine famosissima est, Universitatis implevit, coram qua Prolusionem dixit absolutissimam, & pro instituto suo aptissimam. Mox Academici Professores Theologiæ & Philosophiæ ex omnibus Ordinibus pro suo quisque libito, tum de Cursu Philosophico sapientissimi P. Lossada, tum de Theologico Illmi. P. D. Joannis Marin, tum de Opere Illmi. P. Ravago interrogationibus multis, argumentis, objectionibus, dificultatibus late productis, egerunt tres amplius horas, stupentes interea Portillum ingenio ita comparatum, studio, ac promptitudine singulari, ut intricata facili negotio dissolverit, pugnantia, si quæ videbantur in Authoribus suis, conciliaverit, & abditas quasque doctrinas cum in quatuor Tomis Lossadæ, tum in tribus Voluminibus Marini, tum in Opere Illmi. Ravagi promptissime dederit, explicaverit, propugnaveritque, fluida semper dictione & eleganti latinitate, modestiaque insigni. Non secus vespere egit, convenirente frequentiori forsitan cœtu, dicentibusque in ipsum Doctoribus è Metropolitano nostro Capitulo, quos inter nos quoque symbolum contulimus, fatemur

que

ILLmô. AC Rmô.
PATRI DOCTORI
FRANCISCO DE RAVAGO
E SOCIETATE JESU,
REGIS A CONFESSIONIBUS.

Die 28 Maji vespere & mane.

CURSUM INTEGRUM PHILOSOPHICUM REGALIS COLLEGIJ SALMANTICENCIS SOCIETATIS JESU, AUTHORE REV. PAT. LUDOVICO DE LOSSADA EJUSDEM SOCIETATIS, ET IN EODEM REGALI COLLEGIO THEOLOGIÆ PROFESSORE, ET SACRÆ SCRIPTURÆ INTERPRETE: ILLUSTRISSIMI AC REV. PAT. DOCT. JOANNIS MARIN SOCIETATIS ETIAM JESU, COMPLUTENSIS OLIM PRIMARIJ, IN SUPREMO SANCTÆ INQUISITIONIS TRIBUNALI QUALIFICATORIS PRIMUM, DEIN ETIAM INQUISITORIS, ET LUDOVICI I. HISPANIARUM REGIS A CONFESSIONIBUS, THEOLOGIAM SPECULATIVAM, ET MORALEM, tribus justis voluminibus traditam propugnabo Neque modò Principes theses, verùm & utriusque Systema integrum, doctrinas, solutiones, probationes omnes defendam. Quòd verò ad perpetuam non modò assertionum, verùm & doctrinarum omnium concordiam attinet, tenuit religiosè ubique illam Rev. Pat. Lossada, cujus, quem in præsentiâ defendo, cursus Philosophicus, quippè opus omni ex parte absolutum atque perfectum, literariam Rempub. in plausus rapuit atque præconia. Majus mihi negotium movet Sapientissimus & Gravissimus Pat. Marin; sed tamen cùm in clarissimi & cæteroquin vehementer occupati viri obsequium sedulam in eo sibi conciliando operam adhibuerim, nullas in universâ ejus Theologiâ tã aperto sibi Marte alias alijs oppositas doctrinas inveniri, quin probabili aliqua raône cciliari possint, præstaturũ me spondeo, atque recipio. Satius pfectò duxi laborem hunc cæterà tristem & inutilem adhibere, qm perpetuum argumentaturis scrupulum & offendiculum objectare. Libet addere opus ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI PATRIS DOCTORIS FRANCISCI DE RAVACO SALMANTICÆ PRIMUM, DEINDE IN COLLEGIO ROMANO SOCIETATIS JESU THEOLOGIÆ PROFESSORIS, hâc tempestate meritò ac jure celeberrimum CHRISTUS HOSPES STABILE, BENEFI IO EUCHARISTIÆ, APUD SELECTISSIMAS ANIMAS, PONENS DOMICILIUM: unam quidèm, eamque brevem dissertationem, ità verò gravem, doctam, atque excultam, ut:::Sed cùm sciant, qui librum evolvunt, ad unum omnes, tacere præstat, quàm eloqui, ne Patrono cliens, occasione vel datâ, vel arreptâ, videar lenocinari.

ILLmô. PRINCIPI D.D.D.
EMMANUELI JOSEPH RUBIO SALINAS
REGIS A CONSILIJS,
ARCHIEPISCOPO MEXICANO.

Die 6 Junij pro mane.

EX quolibet Decretalium Gregorij Papæ IX. textu assertionem rogatus deducam, & confirmabo, utar verò pro expositione cùm notis, tum Cõmentarijs ad singula quæque illarum Capita elaboratis á D. D. EMMANUELE TELLEZ GONZALEZ VALLIS-OLETI INQUISITORE APOSTOLICO, egregio juris Interprete, quippè Salmantino Sacr. Canonum Professore, cujus ego quas in toto ad quinque Decret. libros opere jacit theseis, solutiones, doctrinas, tãdem (verbo uno ut cplectar omnia) singulas & universas defendam. Quàm vellem tam in multa hominem occupaões nè districinxissent, ut cùm ultimâ limâ opus ipse suum castigasset, Venerem nobis hanc imperfectam ñ reliquisset. Resecuisset profectò equidem Tenediâ, qd ajunt, aut (qæ mea est de præstantissimâ illâ Academiâ opinio) Salmantinâ securi apertas & implacabiles doctrinarum pugnas, quas in rebus momti raro qidẽ, sed tñ (ne quid dissimulem) aliquando, in minutulis verò quisquilijs frequenter offendimus. Multus sané in re fui Cl. V. excusandi gratiâ, ne prolixiorem orationem faciam, quæ de Anton. Fabro in puncto dixero, illa ad verbum hùc referuntor.

PRO VESPERE.

EXponam memoriter ad literam tot è Justinianeis quatuor Institut. libris, quot arguens rogaverit me paragraphos, quos interpretaturum me, th sim ex illis deducturum, deductãque probaturum spondeo. Porro hanc in rem cũ fuerim olim usus præceptore Salmanticensi D. D. ANT. PICHARDO (cujus ad Institutiones volumina duo publicè defendi) placet, in ejus locum, ne actũ agam, ARNOLDUM VINNIUM substituere: Hujus igitur opera omnia, Commentarium, scilicet, ad Imper. Just. Institutiones, Tractatus quinque de *Pactis, Jurisdictione, Collationibus, Transactionibus, & Quæstionibus Juris selectis*, tandem *Jurisprudentiæ contractæ, sive Partitionum Juris Civilis libros quatuor* eâ planè raône, quâ supra jactos Doctores, propugnabo. Consonus ille sibi fuit in Commentario & Tractatibus omninò, in Partionibus etiã, pauca si exceperis loca, quæ, fatẽte Arnoldo ipso, pugnant cùm alijs, ñ Partitionũ, sed Cõmentarij & Tractatuũ: quæ ego loca, quippè admodũ pauca, in vespertina hujusce diei prolusione designabo, & quã malit arguens à me teneri sẽtentiã, illã ex oppositis ãplectar: cæteroquin Arnoldũ sequẽte sibi fuisse defẽdã. Quas vò Integerrimũ & SS fidei Tribunal Authoris hujus theseis proscripsit, illas ego ñ modò ñ ãplector, verũ & Catholico animo abominor ac detestor: neque modò pro cfixis jam Arnoldi thesibus: verùm & pro universo ejus opere testor atque profiteor, ne latum quidem unguem ab Rom. Eccles. aut S. Inquisit. præscriptis, pietateve Catholico homine digna ullo me tempore deviaturum.

REGIAE AC PONTIFICIAE MEXICANAE ACADEMIAE.

Die 11 Junij pro mane.

QUi morem hucusque gessi omuni versandæ Jurisprudentiæ methodo, ñ nihil etiam náæ indulturus genioque meis, Principem meâ sentẽtiâ facultatis hujus Virum D. ANT. FABRUM IN SUPREMO SABAUDIÆ SENATU PRÆSIDEM novissimæ ɔcertationi subjicio. Ne tñ ex varijs ejus operibus, tumultuario ɔcursu omniũ rem præpediente, intactum fortassè aliquid relinquatur, placet ita Fabriana opera distribuere: Manè, *Conjecturarum Juris Civilis libros viginti, Decadesque de erroribus Pragmaticorum & Interpretum Juris centum:* minorem sane vespertinâ materiẽ, si tantùm numeres paginas; majorem enimverò si & tractatuũ varietatem incredibilem, & rerum obscuritatem attendas.

PRO VESPERE.

R*ationalia* ad novem decem Digest. libros, à titulo scilicet *de Just. & Jure* ad decimineni ultimũ *de Præscriptis verbis*, hisque addita fragmenta posthuma ad titulos *de pign. & hypoth.* — *Qui testam. fac. poss.* — *& de Liber. & postn.* tradita universa voluminibus sex, *Jurisprudentiæ* tandem *Papinianeæ Scientiam*, omninò ad Authoris mentem, quæque in his operibus tradit, universa & singula defendam. Ex omnibus qæ lucem viderunt Clar. V. operibs, certè qæ ad Americã usque pervenerũt, unũ excepi, quẽ ne pro foro quidem Americanus ego amplecti universum poterã, nedũ Academicus ipse pro instituto, *Codicem Fabrianum definitionum forensium & rerum in Sabaudiæ Senatu tractatarum*, opus ab Authore ipso Forensibus hominibus omninò præ Academicis, è Forensibûs etiam, Sabaudis maximè destinatum. Næ tu iniquus fueris quicùmque ab Antonio Fabro (cepit ille calamum ñ dum quatuor & viginti natus annos, posuit autem moriens demum in senectute) constantem exegeris doctrinarum ɔcordiam: ñ puduit V. doctissimum errores, qd ajebat, suos agnoscere & corrigere, sententiãque in melius ɔmutare. Quid igitur ne cavillari videar, neve effugium mihi egomet illud ad eludẽda argumẽta, qæ vocãt ad *hominem*, insincero animo præparasse credar? Primũ (qæ óia & de D. D. Conzalez dicta sunto) eas tantũ doctrinas pugnare dicã, qæ ɔceptis clarisque verbis aliæ alijs opponãtr deinde nè & illud captiosum existimetr, roget me qui velit doctrinâ doctrinæ oferre, sibi ne in puncto totũ per opus ɔstet Antonius, an asserto, qd arguens pponat, doctrinæ ve singulari assertio, dictũ ve ullum aliquod opponatr: hoc si dixero, tenebor enimverò & loca designare, & evincere dissidiũ esse implacabile; tunc autẽ demũ sententiã utrãque problematicè amplectar; sin illud, actum est; perpetuam ɔsequentiam defendo.

JUS fasque erit omnibus, etiam quos ego speciatim de more non invitarim, quot quisque velit, tot mihi dificultates objicere. Neminem igitur excipio? Neminem prorsus. Quod si quis contra Authoris, quem pro tempore defendam, sententiam, mentem, sensum respondisse me aliquid, dixisseve crediderit, oro quæsoque illum, ut eodem aliové è tribus certaminis diebus publicè id exponat, quo rem coram Sapientissimis, qui aderunt, viris planè & aperte discutiamus.

PROTESTATIO CATHOLICA.

QUæcumque porrò asseruero, respondero, dixero, quæque sententiæ, verba, lineæ, puncta in præjactis Doctoribus Catholicis (quoniam de uno OEtherodoxo Vinnio supra dictum est) pijs quidem & sapientissimis viris, sed hominibus demùm, inveniuntur, illa ego universa Sanctæ Romanæ Ecclesię, & Apostolico atque Integerrimo Sanctæ Inquisitionis Tribunali (quibus ipse me totum meaque omnia planè submitto) Catholico sinceroque animo, illorum opera defensurus, omnino subjicio.

DEfendentur, pro Regalis & Antiquioris constitutione adimplendâ, in Regiâ Pontificiâ Mexicanâ Academiâ (D. O. M. Purissimâ Dei-genitricæ Diva Virgine absque peccati labe conceptâ, Castissimo hujus Sponso S. JOSEPH, Divis necnon Studiorum Patronis ALOYSIO GONZAGA, & JOANNE NEPOMUCENO faventibus) â D. ANTONIO LAURENTIO LOPEZ PORTILLO ET GALINDO in utrâque sophiâ & utroque jure Baccalaureo, R. & A. D. Ildefonsi Regiâ Sacræ Theologiæ oppositionis trabeâ nunc insignito, Regiæque ac P. Mexicanæ Academiæ nuper Consiliario. Diebus 28. Maji. 6. & 11. Junij, supra designatis, longiusculo temporis intervallo separatis alijs ab alijs atque distantibus, & quòd Regiæ Academiæ occupationes nunc occurrentes vix ac ne vix quidem commodiorem distributionem paterentur, & quòd vererer, ne dierum series non interrupta Auditoribus, quippe hominibus magna ex parte occupatis, fastidium ingeneraret. Anno Domini MDCCLIV.

(De Licentia Domini Rectoris.) *Mexici: Ex novâ Typographia editioni Bibliotheca Mexicana destinata.*

que ingenuè, meditationes quaſdam ſcholaſticas noſtras olim per otium excogitatas edendi eas gratiâ, nec dum aut à nobis editas, aut in Authoribus alijs, quos ſciamus, viſas, ut propoſueramus ſubolfeciſſe omnes, velutque divinaſſe, & quibus pollet ingenio & doctrinâ ſolviſſe. Sodales etiam noſtros graviſſimis ipſum rationum momentis urgentes, multaque ſciſcitantes & varia, ſic excepit, ut nihilo minores laudes retulerit ab his queis mactatus fuerat in matutina concertatione, ubi poſt tres item horas veſpertina deſivit. Sexta Junij pro mane ſapientiſſimum D. D. Emmanuelem Tellez Gonzalez, ut promiſſerat, tutatus eſt, explicavit, vaſtamque ejus eruditionem ita profudit, ut palam fecerit ſe hauſiſſe omnem quinque Voluminibus comprehenſam & exhauſiſſe, rogantibus, objicientibus, inſtantibusque Doctoribus in re Canonica peritiſſimis. Pro veſpere non abſimiliter egit, Arnoldi Vinnij Opera omnia, innumeris ſalebris & Civilis Juris apicibus plena, tractans & verſans, ad nutumque argumentantium in re Civili doctiſſimorum, modò hàc, modo illàc, quæſitis excurrentium, reponens, argumentisque ſatisfaciens, non minori tempore in diei hujus certaminibus poſito, aut minori aſſiſtentium conventu, amplius ampliusque juvenem extollentium. Tandem undecima Junij mane & veſpere productioribus moris, & confertiori litteratorum hominum multitudine adſtante, Antonij Fabri Opera omnia undecim Voluminibus comprehenſa, uno excepto Codice Fabriano Forenſi, pro ut adpromiſſerat, tuitus eſt, detexuit, compoſuit,

 non

non segnius ac præcedentes egerantMagistri & Doctores, Rectore gravissimo, clarissimisque Antecessoribus Universitatis in omnem partem Antonium moventibus, & quà interrogationibus, quà syllogismis, quà longè datis oratione soluta ratiocinationibus (qua etiam methodo præcedentibus diebus pro suo quisque genio usus fuerat) in examen adducentibus subtilissimas Fabri opiniones, resque intricatissimas & penitissimas, quas Portillus omnes ad unguem se habere monstravit, responsionibus unicuique datis eruditis & plenis, sive formâ, ut dicimus, scholasticâ, sive oratoriâ, ut se ad dicentium modum aptaret, peræquè facilis ac facundus illâ methodo atque ista, ut qui familiarem sibi fecerit Marcum Tullium & amænioris litteraturæ Authores, in quibus otia sua collocavit & quietem. Hæc cùm ita habuerint, Senatus Academicus coacto Doctorum & Magistrorum Consessu plenissimo, è re sua judicavit, juvenem non in paucis tantùm, sed in rarioribus etiam insignem, insignibus pariter cohonestare ornamentis promeritis, decrevitque ipsum utriusque Sophiæ & utriusque Juris Doctoralibus infulis convestiri sumptibus omnibus condonatis. Creatus itaque fuit Doctor primùm in Theologia, mox in Philosophia Magister, tempusque præstolatur à legibus nostris præscriptum, Hypodidasculum agens, ut Canonici & Civilis Jurium apicibus Doctoralibus coronetur. Nosque speramus fore, ut Bibliothecam nostram brevì ditet politissimis elucubrationibus. Quanti verò is sit habendus judicabunt Viri eruditi, collatione ipsum inter

ter

ter factâ & inclytum Hiſpanum D. Didacum Sarmiento & Valladares inſignis Collegij à S. Cruce Valliſoletanæ Univerſitatis Togatum, poſtmodum Quæſitorem generalem Fidei in Regnis Hiſpaniarum: atque ab unoquoque ipſorum theſibus itidem comparatis, ſeu purpurâ, ut dicitur, juxtà purpuram. Theſes porrò Illmi. D. D. Sarmiento & Valladares die 31 Maji anni 1654 apud Pincianos coram floridiſſimâ Doctorum frequentiâ propugnatæ ita habent, & legeſis tom. 4 Theatri Critici M. Feijoo diſc. 14. §. 7. pag. 377.

PRIMA ASSERTIO.

INterroganti de quocumque capite cujuſlibet tituli per Decretalium integros quinque libros, Sexti, Clementinarum, Extravagantium communium, & quatuordecim titulos Extravagantium Joannis Papæ XXII, deſignato tantùm numero capitis, dabimus ejus initium & ſententiam. Idem per integros quatuor Inſtitutionum Juſtiniani libros.

SECUNDA ASSERTIO.

SImiliter ex univerſis ſeptem Partitarum (primâ partitâ exceptâ, cui leviorem curam impendimus, quia omnia fere quæ continet ex prædictis Decretalium libris tranſcripta ſunt) & noviſſimæ Recopilationis librorum novem, omnibusque Tauri legibus, numero dicto ſententiam dabimus.

TERTIA ASSERTIO.

E Contra: Quacumque ſpecie propoſitâ principaliter in prædictis omnibus triplicis juris libris comprehenſa, dabimus textum probantem ſpeciem, & cujuſque deciſionis rationem.

Theſes à Portillo noſtro defenſari cæptas die 28

*

Ma-

Maji anni 1754 dedimus ſupra. Scilicet integrum fluxit ſeculum, & tardante naturâ, paulatimque maturante monſtrum ingenij, tandem aliquando enixa eſt Portillũ, & contra ac opinatus fuerat Clariſſimus Scriptor Feijoo (nunquam ſibi pollicitus hominem Valladario parem) in America ęqualem edidit, niſi majorem dixeris, ſin minus memoriâ, ingenio, & certè copiâ eruditionis & varietate, nam rei criterium ad ſapientes remittimus, qui collatis, ut dicebamus, theſibus, & ipſas propugnantium ætatibus, ſententiam ferant: Valladarius Aſſertiones ſuas annos natus triginta quatuor tutatus eſt; Portillus ſuas propugnavit anno ætatis vigeſſimo tertio: Ille Concluſiones ab univerſo Jure Canonico, Juſtinianeo & Hiſpano petitas luculenter expoſuit; iſte Theoremata quæ retulimus ſupra, non utriuſque tantùm Juris, & utriuſque Theologiæ Scholaſticæ & Moralis, verùm etiam Philoſophiæ, & novi Syſthematis Euchariſtici præclarè expoſuit, addixitque ſe innumeris & implicatiſſimis Quæſtionibus enodandis, & conciliandis doctrinis Authorum ſex, quæ multa magnaque Volumina adimplent. Ecquis iſta ubi legerit autenticis comprobata teſtimonijs miſſis ad Regem, milleque teſtibus, & Americæ toti notiſſima, gigantes in ea etiamnum ingenij & ſapientiæ procreari non videat? *Monſtrum ſine vitio* audit apud Scaligerum Joannes Picus Mirandulæ Princeps, qui 24 ætatis anno, Romæ poſitiones nongentas è Theologia, Philoſophia, Matheſi & Magia coram Viris doctiſſimis propugnavit. Quot verò millia Theſium Portillus in arenam litterariam de-

deduxerit, & ingeniosissimè defensaverit, numeris putare admodum difficile credet, quisquis memorata superius Volumina Philosophica, Theologica, Canonica, Civilia unquam evolverit, nec modò Principes Assertiones, sed Probationes etiam singulas & Doctrinas uniuscujusque Authoris in eis conclusas, quas ipse omnes Portillus tuitus est, atenta mentis acie perspexerit. Sentiat subinde Alonensis Decanus, num Mexicani Magistros habeant, num auditores aliquid scientes, num à litteris abhorrentes; an magis litterarum monstra & portenta. Jam verò de multis, in quibus nostri excelluerunt, Scientijs & Libris agamus par est.

ANTELOQUIUM XVIII.

Materiæ de quibus Mexicani scripserunt paucis innuuntur, & brevissimâ in tabulâ collocantur.

QUam è vero scripserit de Americanis agens præclarus Societatis JESU Author Germanus P. Henricus Scherer in Atlante novo part. 4. cap. 3. propos. 9. pag. 823. in Bibliotheca nostra uberius docturi productis Scriptoribus nostris, hîc paucis agemus eos generatim censentes seu adumbrantes. Ita ille habet, postquam doctissimos Scriptores in Americâ natos enumeraverat, qui Societati JESU se addixerant:

 rant:

rant: *Atque hæc fere Bibliotheca Scriptorum Societatis mihi ſuggeſſit, quibus ſi aliquando accedent ea quæ ab alijs præſertim Sacrorum Ordinum Religioſis Americanis præclaré geſtæ ſunt (& quorum notitia nunc ego deſtituor) ſatis ſuperque patebit, agrum Americanum non tantùm auri & argenti, ſed etiam virtutis eximiæ & ſcientiarum omnium feracem eſſe.* Nulla enim eſt Scientia quam non illi coluerint, & lucubrationibus adornaverint. Scripturæ ſacræ Libros aut Commentarijs, aut Animadverſionibus, aut Opuſculis alijs religioſé ac doctè exceperunt. Concilia Synodosque Provinciales & Diœceſanas ad generalium normam atque præſcripta condiderunt, & Reipublicæ Americanæ obſervanda mandarunt. Natæ è ſacris Biblijs, Concilijs & Patribus Theologiæ, quæ Scholaſtica dicitur ſeu Speculativa, operam admoverunt ſtrenuam, & Magiſtrum Sententiarum Petrum Lombardum, & Angelicum Præceptorem Divum Thomam, & Subtiliſſimum Magiſtrum Scotum, & Doctorum Eximium Suarezium multis Voluminibus, Tractationibus, Prælectionibus, idque alijs elucidantes, & ut ſunt acutiſſimo ingenio, Quæſtiones Tractatusque novos, nec faciles, nec jejunos cudentes multo cum Academicæ rei incremento. De Theologiâ mores dirigente multis egerunt, & pro novi Orbis indole & occurrentibus contractibus, caſibusque alijs nondum in examen adductis, multi quidem momenti, novas Diſputationes condiderunt, Conſultationes & alios Libros. Myſticam quòd attinet & ſacra caligine involutam Theologiam haud ſegniter pertractarunt, ſublimius in Deum tendentibus animis Duces ſe præſtan-

tes

tes minimè ignaros, Aſceticos plures Libros elaborantes, & innumeros propè minutiores libellos pro pietate religioneque colendâ & augendâ. A Polemicis, quamquam cum hæterodoxis nullum habuerimus commercium, nec porro aveamus, non abſtinuerunt, multam ponentes operam cùm in aliquot libris Dogmatum concinnandis, tum præſertim in ijs ad criſim trahendis, qui vulgo circumferebantur, pluraque nigro digna theta claudebant, ut conceptis verbis jam pridem ſcripſit qui de *Origine & progreſſu Officij S. Inquiſitionis* eruditè tractavit Ludovicus à Paramo, Boroxenſis, Archidiaconus & Canonicus Legionenſis, Regnique Siciliæ Inquiſitor, Libro 2. cap. 21. n. 22. *Nec me præterit* (inquiens) *quanto ſtudio & ſolicitudine in hac Inquiſitione* (Mexicea) *Propoſitionum Qualificatio Librorumque examen exerceatur: Uti enim Animadverſionibus & Cenſuris à Mexicana Inquiſitione ad Supremum Generalis Inquiſitionis Tribunal denuo deſtinatis accepimus, adeo ſolicité huic operi incumbunt, ut præter hujus Supremi Tribunalis approbationem, quæ valde perpendenda eſt, extent recentes Notæ quibus Libri quidam in Hiſpania valdé recepti, poſſint ac debeant omnino expurgari.* Hæc ille ante annum 1598. Nec verò ſequentibus annis minus accuratè à Cenſoribus noſtris actum eſt, agiturque in præſentiâ. Cathechiſtica plura & Chriſtianæ doctrinæ explicationis Opuſcula condiderunt & Volumina elaboratiſſima. Concionatoria pulcherrima quidem, & cùm pro formandis moribus, tum pro Deo Cælitibusque colendis & Panegyricis laudationibus efferendis apta & jucunda. Jam ſi Pontificum jura, Romanorum Sanctiones, & Hiſpanas Le-

ges intueamur, plurimis isthæc omnia & Theoricis & Practicis Commentarijs, Dissertationibus, Glossis, Allegationibus, & similibus Scriptionibus Mexicanis sunt adornata. Nec Æsculapij alumnos, & hæredes Apollinis in optatis habemus, nostris Medicinam excolentibus opportunis doctisque Tractationibus, quæ non solùm Galenica & antiquiora systhemata exhibent, sed noviora apud Europæos in pretio habita. Quibus Medicinæ cultoribus id etiam acceptum referimus, quod animalia, herbas, plantas, arbores, & ijs affinia multa, quibus abundant Regiones nostræ, scrutati fuerint industriè, & ad valetudinem ex arte methodoque advocaverint, quibus res Bottanica incrementum multum accepit, Chirurgiam interea Anathomiamque non prætermitentes. Iis jungamus par est eos qui alias professi Scientias operam suam in Historia naturali Indiarum posuerunt, ut subinde è Medicorum cœtu & aliorum Collegijs non unus novi Orbis novus Plinius exierit, non Agriculturæ Scriptores, non rei rusticæ politissimos cultores optemus. Mathematicis disciplinis nostri quoque insudarunt, nec irrito conatu eis se conscribendis dederunt. Jam verò Philosophiam, & si Gasendianam, Carthesianam, & quæ extra Hispaniam ab eruditis pluribus colitur, non modò libaverint multi, sed etiã ebiberint, & opportunè in Scriptis indigaverint, à majoribus tamen nostris & Peripatu haud descivere: Aristotelique insistentes facilè Principi, ejus Systhema juxtà Thomistarum, Scotistarum, & Jesuitarum Scholas plurimis, ut dicimus, Cursibus illustrarunt, in quibus, quod supra de Theologi-

cis

cis annotavimus, multa ingeniosé nova architectati fuere, successitque è voto Sanctissimo Pontifici Thomæ de Villanova, quem adhuc in terris agentem, M. F. Alphonsus à Veracruce in Nuncupatoria Physicæ speculationis suæ ita allocutus est: *Cúm olim, Antistes ornatissime, Provinciæ Castellæ feliciter praeesses, ad hanc novi Orbis Provinciam S. P. N. Augustini, quæ ab illa, quam gubernandam acceperas, velut ex equo Trojano dimanavit, litteras missisti, quibus tuos velut Pater admonebas filios, ut in novo Orbe, novaque Provinciâ, & apud noviter conversos nova fierent omnia: atque tradendarum disciplinarum instruendorumque discipulorum nova esset ratio.* Rhetoricam, Grammaticam, Humaniores litteras excultissimis tradidere Codicibus & præcepta & regulas artemque concernentibus, tum belle tornatis Orationibus, Prolusionibus, Inscriptionibus, Elogijs, & politioris Minervæ Opellis. In Poetica Facultate multi etiam fuere qui Scriptis Apollini litarunt & Musis, tamque præstanti ingenio & ad fundendos numeros prono, ut teste Illmô. D. D. Bernardo de Balbuena, in *Magnalibus Mexiceis* fol. 31. col. 2. fere ab hinc retro sesquiseculo fuerint Mexici in publicâ vatum palæstra tercentum, qui concinnatis carminibus de palmâ certaverint. Unus certe Joannes Ruiz Alarcon primos inter censetur à D. Nicolao Antonio (quem excribit Mirabelius in Magno Historico Dictionario) Comædiarum apud Hispanos instauratarum & jucundè reflorescentium Authores. Cœteri autem Americani nostri vates usque adeò bene audiunt Europæ, ut Censor Hispanus nolissim. Poematis de S. Raphaele editi à P. Bonaventura

 Ter-

Terrin, Ordinis SS. Trinitatis, seu Author ipse Operis alio personatus nomine, ut scimus, Poetas nostros multis efferat laudibus, subjungatque (quod nimis aggeratè credimus dictum) Musas in Hispanos iratas ad Americam transmigrasse, pro ut clarissima edocent Poemata S. Ignatij, Proserpinæ, & alia. Hinc facilè quisque videt delusum fuisse P. Murillo in Geographia Historica lib. 9. Poetas nostros carpentem, quòd projiciant ampullas & sexquipedalia verba, quibus magis delectentur & gaudeant, quam acuminatis cogitationibus. Nempe sinistro quodam fato id genus legit aliquot, fugientibus ipsum interea politissimis multis, Sariñana, Rinconio, Cardenas, Villeria, Zamora, alijsque permultis, omnibus numeris in re poetica absolutissimis. Sed ne moremur, ad Historicos gradum faciamus, quos habemus multos & eruditos cùm in totius novæ Hispaniæ rebus memoriæ mandandis, tumetiam in Urbibus, Religionibus, Sanctuarijs, & Insignibus Sanctitate viris narratione traditis opportunâ, & ad posteros commendatis. A Politicis & politico legalibus, à Criticis, à Fabulis quoque & argumentis alijs scripto dandis non abstinuerunt. Nullibi tamen majorem posuere operam quam in excolendis Idiomatibus, multitudine juxtà & arduitate perquam insignibus. Nam ut habet laudatissimus jure P. Kircherius Œdipi Ægyptiaci tom. 3. cap. 4. pag. 28. *Novæ Hispaniæ indigenæ infinita pene idiomatum varietate inter se discrepant; quæ non tantùm dialectis variant, sed plane inter se diffident. Inter eas veró excellit Mexicana, quæ et vicinis Nationibus, & longinquis, postquàm Mexi-*

ca-

cani Imperij sui fines longè lateque propagarunt, tam communis esse cœpit, quam in Europa Latina, & in Oriente Arabica, ita ut in singulis fere Provincijs Interpretes illius habeantur, quos Nahuatlatos vocant. E tot porro Linguis permultæ sunt à nostris excultæ, in Artem redactæ, scriptis grammaticis pro unaquaque ipsarum Institutionibus, Dictionarijs amplissimis, Cathechismis Doctrinæ Christianæ, Sermonibus, idque genus alijs pro Christianâ Indorum efformatione. Quæ sane Opuscula quanto ingenio constent, studio, atque labore, nemo non viderit, modò sciat, ut Hispanos genitos in Europa, ita etiam in America natos unum cum lacte à matribus trahere Hispanum Idioma, Americana verò tam ipsis peregrina & ignota esse quam Europæis. Enim verò qui animum intenderit ad incondita Idiomata, pronunciatuque difficillima & cognitione, majoris Scripta illa operæ atque negotij dicet, quam essent plura, Hebraicè, Græcè, Chaldaicè, & Orientalibus Linguis jam pridem cultissimis concinnata, Librorum ope, & insignium Magistrorum subsidio. Nec ista propterea Idiomata omnes nostri penitus neglexerunt, quorum non paucos ea etiam calluisse docebimus opportunis in Bibliotheca locis, aliquos aut scripsisse, aut typis edidisse Hebræas & Græcas Artes monstrabimus, quibus forte Alonensis Decanus, qui Græcanica in primis deperit, illectus, palinodiam recantet, nec omnes ad unum Mexicanos à litteris abhorrentes credere pergat.

ANTELOQUIUM XIX.

Quid de Indorum eruditione ex quo ab Hiſpanis excoli litteris cœperunt ſit pronuntiandum.

POſtquam de Hiſpanis in America noſtra natis, & in ipſam adſcitis tractavimus, Indos ſiſtere reliquum nobis eſt, & ipſorum in Minervæ Palatio munera & ſedes utcumque libare. Sacris noſtris ex animo addicti non diu poſt ab expugnatione Mexicea, nec dum Hiſpanis aſſueti litteris, avitis induſtriè Characteribus utebantur, cũ pro tradendis memoriæ rebus ſua ætate patratis, tum pro alijs rem Chriſtianam & politicam concernentibus. *In confitendo,* inquit laudatus ſupra Valadeſius Franciſcanus in Rhetorica Chriſtiana part. 2. cap. 27. pag. nobis 95. *ingenioſiores adhibitâ picturâ demonſtrant in quibus Deum offenderint, et calculos ad ſignificandum ejuſdem peccati iterationem, ad ſignum quo vitia vel virtutes denotantur reponunt, & quemadmodum hîc viri pij et boni, enumeratione peccatorum contra præcepta divina confitentur, ſic illi adjumento & inſpectione picturæ.* Valadeſio concinit Acoſta in Hiſtoria Naturali & Morali Indiarum lib. 6. cap. 7. pag. nobis 409 miratus Indorum ingenia figuris & ſymbolis, quæ ab Hiſpanis non acceperant, Orationes Eccleſiaſticas & Myſteria Fidei, cœteraque Chriſtiana ſic exprimentia, vix ut Hiſpanorum multi imaginibus poſſent eas explicare res, vel ſi annum aut decennium ponerent eo in negotio. Ubi verò formari Hiſpano-

no-

norum more cœperunt, egregiè proficere visi sunt. *Nunc verò*, scribit ad Paulum III Pontificem Maximum laudatus supra Antistes D. F. Julianus Garces, *tanta est ingenij eorum felicitas (de pueris loquor) ut & Latiné & Hispané scribant nostris pueris elegantius. Latiné sciant atque loquantur non minus quam nostri, qui se ejus rei studio dedidere. Nulla sunt obstinatione Orthodoxæ Fidei infensi aut pervicaces (ut Judæi & Mahumetani) Indorum parvuli. Christianorum decreta non audiunt modò, sed exaudiunt, ac veluti ebibunt, citius hi & alacrius articulorum fidei seriem & consuetas orationes, quam Hispanorum infantes ediscunt, & retinent quidquid à nostris traditur. Aluntur intra Monasteriorum ambitum per suas classes & contubernia, per scholas & doctrinia ex ditioribus treceni, quadringenteni, quingenteni, & sic de singulis ordinatim secundùm magnitudinem Civitatum & Oppidorum. Non clamosi, non jurgiosi, non litigiosi, non inquieti, non discoli, non tumidi, non injuriosi; placidi, pavidi, disciplinati, ad Magistros obtemperantissimi, obsequiosi ad Sodales, non querulosi, non mordaces, non contumeliosi, omni prorsus vitio (quo nostrates pueruli scatent) liberi.* Dein. *Rationis optimæ compotes sunt, & integri sensus & capitis, sed insuper nostratibus pueri Indorm & vigore spiritus, & sensuum vivacitate dexteriori in omni agibili præstantiores inveniuntur.* His quæ ab Illmô. & Religiosissimo Viro mutuati sumus, subjungere placet verba Illmî. item & Clarissimi D. D. Joannis Diaz de Arce in Studioso Bibliorum quęst. 49 scribentis de Mexicanis Indis: *Plurima erant Collegia, in quibus Collegæ quingenteni & sexcenteni in Christiana Catechesi, varijs Artibus mechanicis & liberalibus, Cantu Ecclesiastico, Rituali divinorum Officiorum, imò & Latinitate & Scientijs erudiebantur.*

Hæc inter Collegia eminuit constitutum Mexici, Imperiale à S. Cruce nuncupatum, auspicio Caroli V Cæsaris, ad Tlatelolco, PP. Franciscanorum operâ & diligentiâ, pro litteraria Indorum institutione in Athenæum illud confluentium, quibus dati fuere ex eodem Ordine Franciscano eximij doctrinâ & virtute Magistri. Nec porro ij oleum & operam perdiderunt elementa litterarum prima tradentes, Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam, Physicam, & alias liberales artes, quòd eas omnes Indi citra negotium hauserint, & in singulis mirè profecerint, ac Magistris ipsis & institutoribus Præceptores se dederint Idiomatis Mexicani, & Œdipos egerint pro aperiendis scriptas antiquis Characteribus gentis Historias, & pristinarum monumenta rerum Mexicanensium. Quibus usi subsidijs P. Bernardinus Sahaguntinus magnum Dictionarium Mexicanum Historicum condidit duodecim constantem grandibus Voluminibus: P. Petrus Oroz, & celebres alij ex antiquioribus Franciscanis egregia Opera conscripserunt, ut testatur qui ab Indis quoque se profecisse gaudet P. Joannes Baptista in Procemio benè longo, quod extat in Libro sermonum ejus idiomate Mexicano scriptorum. Ut enim Indi Hispanè sciebant atque Latinè, & his, & nativo Idiomate utebantur expeditissimè, Versiones adornabant Librorum Mexiceas, seu ex Latijs, seu ex Hispanis fontibus, quod in Bibliotheca nostra constabit, ubi Indos ab istis Translationibus claros laudabimus. Tumetiam PP. Franciscanis simili argumento insistentibus operam suam navabant. Adhæc,

Ty-

Typographiam egregiè coluerunt; ex quo Mexici constituta fuit, eneis characteribus scribentes expeditissimè cùm Mexicano composita Idiomate Opera, tumetiam Hispano aut Latino sermone. Multos sanè in re litteraria Indi fecère progressus, majores enim verò facturi si Mecœnates eis adfavissent, & ut in cœptis pergerent ære juvassent. Quòd tamen reditus Imperialis Collegij tenuiores essent quam oporteret, & infirmis prædijs ac posessionibus collocati, sensim absumpti, tandem aliquando evanuerunt, Athenæumque infrequens factum est, quod & si nostra ætate instaurari cœperit, rursus evanuit numis ad id operis deficientibus. Certè, ut est fuitque jam diu misserrima Indorum Natio, nullisque abundans opibus, imò egestate laborans insigni, vix præter Nobiles gentis ejus impendia studiorum causâ facienda in Scholis sustinent, queis si juvarentur, multi litteras colerent. Non id circo tamen nulli fuere eruditione præclari, quorum scripta proprijs in sedibus collocabimus. Sunt etiam in præsentiarum, ut jam pridem, non pauci, conspicuo nati genere, qui studijs & laureis ornati, ea sunt præditi eruditione, quæ Parochos decet, cui ministerio strenuam dederunt operam, dantque etiamnum. Nec desunt qui scholasticam etiam Theologiam ebibant, in qua non pœnitendos fructus fecerunt aliqui, theses de ea tota publicè defendentes, mirantibus eruditis hominibus, Præceptoribusque plaudentibus, ut nuper memoriæ tradidit politissimus ac doctissimus vir P. Josephus Gumilla, Hispanus Gandiæ genitus apud Valentinos, Societatis Je-

su

su, Provinciæ novi Regni Granatensis Provincialis, in *Orinoco illustrato & defenso* tom. 1. cap. 17. pag. 278. Edit. 2. Matritensis apud Emmanuelem Fernandez anno 1745: Quo loci monet, Indos Mexicanos ingenio excellere multùm, præstareque Meridionalis Indis Americæ, quibus usus non est natos suos, ut Mexicani de more habent, Academijs seu Universitatibus pro Scientiarum culturâ addicere. Adhæc, plures etiam, quamvis ab Scholis extranei, multa ingenij & industriæ specimina palam exhibent haud quaquam vulgaria, è quibus memoria tenemus non ita pridem vitâ functum D. Ignatium Antonium Sandoval, nobili satum genere, quem totos quadraginta annos ferè quotidie ad Ædes Oratorianas convenientem novimus, dotibus jure multis laudandum. Musicæ tam erat peritus, ut & Citharędum ageret & Lyricen, juxtàque Choraules & Tibicen esset, Organo scitè luderet, & Symphoniam duceret, sive Diathono utendum esset, sive Chromatico sono, aut figurato. Tum, ut erat pingendi doctus, telis colores inducere solenne habuit. Sculpturæ operam dabat, aurarium agebat, & in hisce omnibus juvenes efformabat, pijs ipse interea moribus ad senium usque & obitum institutus. Nec prætermittendum duximus, nuper memoratum Authorem P. Gumillan, opportunè multa subjungere pro Indorum constantiâ in Fide Catholica ab imposturis exterorum aliquot vindicandâ, signatimque ab eis quas & in Hispanos & in Indos scripsit Noblot fol. 520. tom. 5. Geographiæ suæ & Historiæ Universalis, quæ perspecta optamus essent iis qui Hispa-

panos unà carpunt & Indos, horum Fidei, illorum que nomini invidiam moventes, quos inter Scriptores sine monumentis & fide dignis testibus isthæc effutientes (ecquis enim ingenuus Vir solennibus suffragetur mendacijs?) numeramus Fridericum Samuelem Bock in succinta Historia Missionis quam afferunt Lipsienses in Actis anni 1744 pag. 183. ita scribentes: *In America multos populos non tam efficaci convictione, quam vi ad christianam religionem traxerant* (Catholicæ Fidei cultores) *adeo ut Hispani 5. Archiepiscopatus & 44 Episcopatus, imó Seminaria passim constituerint, ac Inquisitionem Hispanicam introduxerint.* Introduxerunt quidem & constituerunt ista, plurima que alia proCatholica Fide Romanâ docenda, amplificandâ, fovendâ in vastissimis hisce regionibus, quarum incolæ ultro sponteque sua universali Ecclesiæ aggregati, quotidie alacriores & ferventiores in ea tutâdâ, egregia religionis & pietatis monumenta dedere, perguntque in dies illustriora palam & coram dare. Nec verò crimen Nationis est, quod ab aliquibus clam patratũ in avitam relapsis idololatriam, ceu commune scelus Indis à nonnullis objicitur: nisi detractores isti dedecus credantNationum, quæ apud Europam Catholicæ Fidei laude florent & gloriâ, quandoque ab ipsis progenitosViros nequam, Hæresum architectos, & Dogmatũ fabros, quæ cane pejus & angue illæ ipsæ Nationes execreantur & oderint. At hæc obiter insinuasse sit satis, lectores amittentes ad Historiographos nostros præclara Religionis & pietatis Indorum exempla tradentes, Illmûm. que Virum D. D. Joannem de Palafox tom. 6 Tractatum de Natura eorundem ac Virtutibus ad Regem Catholicum nuncupantem. *AN-*

ANTELOQUIUM XX.

Titulus Bibliothecæ Mexicanæ aperitur, & ab objectionibus vindicatur.

CUm novus Orbis duas, ut vulgo dicimus, complectatur Americas, Mexicanam, quę Borealis est, & Peruanam seu Meridionalem, hanc intactam in Bibliotheca nostra dimittimus multis de causis. Principio quidem, quòd cùm Alonensis Decanus, qui ut Opus aggrederemur occasionem præstitit, Mexicanos signatim stylo confoderit, & insectatus fuerit, ipsos pariter vindicaremus æquum existimavimus. Tum etiam quòd Bibliotheca adornari Peruana ab homine Mexici constituto, etiam eruditissimo, sperari non possit, longe à nobis positis non manu exaratis solùm Operibus, quæ non ambigimus esse plurima atque doctissima, verùm etiam quæ sint typis commissa, ad Mexiceas oras raro delatis, obsistente immanissimâ locorum distantiâ, & infrequenti commercio navium, quæ vix annuatim ad Goatemalenses Portus apellunt multis itidem spatijs ab Urbe Mexicea distantes. Postrema, aliàsque primaria causa est, Peruanorum feracitas ingeniorum, frequentiaque eruditissimorum, quibus floret ac vernat America illa, Virorum, à queis non locupletior tantùm, sed ornatior etiam & elegantior Bibliotheca speramus prodeat, quæ cedro quidem digna Opera exhibeat, & cum litteratis Europæ cæterisque communicet. *Bibliothecam* itaque si-

ſiſtimus *Mexicanam ſive eruditorum Hiſtoriam Virorum, qui in America Boreali nati, vel alibi geniti, in ipſam Domicilio aut Studijs aſciti, quavis linguâ ſcripto aliquid tradiderunt: Eorum præſertim qui pro Fide Catholicâ & Pietate ampliandâ fovendâque, egregié factis & quibuſvis Scriptis floruere editis aut ineditis.* Mexicanam cur dixerimus Bibliothecam iſtam titulus ipſe docet & geographicus uſus, qui Americam Septentrionalem, ab Urbe ejus Primaria & Inclyta, Mexicanam appellat, cui ſervientes nos uſui, Scriptores daturi in America Boreali florentes, ſub Mexicana Bibliotheca concluſos exhibere conamur; in qua Caraquenſes itidem deſignabimus, cœtera ad Meridionalem ſeu Peruanam Americam ſpectantes, in Geographia tamen Politica & Eccleſiaſtica Mexicei s adſcriptos, quorum Diœceſis una eſt è ſuffraganeis Eccleſiæ Hiſpaniolenſis ſeu Fani S. Dominici. Carolinam, Virgineam, novam Angliam, Luyſianam, Canadam ſeu novam Galliam ab exteris Principibus viris poſeſſas, ferè tacitas prætermittimus, cum quibus perrarum aut nullum habemus commercium, protereaque Libros in hiſce, Septentrionalis licèt Americæ, partibus ſcriptos, vix non omnes penitus ignoramus. Latet tamen nos minimè, & ab incolis & ab accolis earum, litteras etiam haudquaquam neglectas. Habemus enim Hiſpanice verſam Mexici & typis excuſam à P. Joanne de Urtaſum S. J. Vitam Catharinę Tekakobitæ Indæ Iroquecianæ, Gallicè editam à P. Franciſco Colonec ejuſdem Societatis, nec alia, rara quamvis, id genus monumenta deficiunt. Legimus etiam apud Acta eruditorum anno 1724 publicata

Lipsiæ pag. 183 Historiam rerum in America Septentrionali per Gallos gestarum, Authore Debacqueville de la Potherie, Gallicè editam tomis quatuor Parisijs apud Johannem Lucam Nion & Franciscum Didot 1722, in 12, cujus Hist. specimen daturi Lipsienses ita habent. *Author hujus historiæ natus in Guadelupa Insula ex Americanis & Antillanis una, iter suum & expeditiones, quibus in Septentrionali America interfuit, describens, subinde veterum Poetarum Latinorum flores inspersit, ne nescij essemus scilicet, etiam in ipsa America scholas, quas vocant, humanitatis apertas esse.* Ita illi. Et Author quidem Americanus haud frustra flores illos inseruit credimus, amçenioris litteraturæ in America etiam vernantis indices Europæis futuros nonnullis, Emmanueli Martino simillimis, qui Eruditionem & Scientias florere posse nunquam extra Scholas suas existimare videntur, quos Peruanus Clarissimus D. D. F. Gaspar de Villaroel, Augustinianus, Archiepiscopus Gharcensis in Comm. Evang. 2. part. pag. 254. verbis monitos voluit eximij Evangeliorum Interpretis Patris Joannis Maldonati Societatis JESU in illud Joannis cap. 7: *Quomodo hic litteras scit cum non didicerit?* ita scribentis: *Sciebant Sacerdotes, Scribæ, & Pharisæi Scholas suas Puerum non frequentasse, eaque erant arrogantiâ ut existimarent, nihil extra Scholas suas litterarum esse posse. Cavendum ne nos Pharisæis istis similes simus, neminem que putemus quicquam scire posse, nisi sub nostra fuerit ferula; doleamusque juvenes succrescere, qui nescio unde repente emergentes ea sciant, quæ nos senes canoque Doctores capite, ignoramus.* Jam verò cur in Bibliotheca Mexicana & natos apud Americam nostram Viros, & ali-

alibi genitos, atque Domicilio vel Studijs in ipsam ascitos comprehendimus, non una nobis ratio est. Nam & Alonensis Decanus una omnes calumniâ impetivit, & una eos omnes politica societas & respublica litteraria cunjungit, &, quod caput est, Hispani in America geniti ut stirpem & genus ducimus ab Hispanis apud Europam natis, ab ipsis itidem litteras primùm traximus & doctrinam, cùm Universitati Mexicanensi condendæ operam dantibus, tum Religiosis Ordinibus constituendis, Fidei juxtà ac Pietatis & Litterariæ quoque rei causâ. Aliarum etiam Nationum homines, quos vel studia in nostris Gymnasijs imbibita, vel perpetua aut longa apud nos commoratio Civitate donarunt, quibus etiam nominibus nostrates habentur geniti in Hispania permulti, nefas esset dimittere, aut minus splendide pertractare. Nec hoc absque exemplis facimus à præclaris Bibliothecarum Scriptoribus haustis. Nam Historia litteraria Galliæ, à Sant-Mauranis Benedictinis Orbi sapientum notissimis Viris edita anno 1733 in quarto magno, Eruditis è Gallica gente exteros etiam accenset, dum quandam modò vitæ partem in Gallia exegerint, fatoque suo ibi sint functi, atque ex ea re Irenæi & Lactantij rationem habet, omissis contrà Athanasio, Hieronymo & alijs, haud diu satis inter Gallos commoratis. Bibliothecæ item conditor Authorum Lugdunensium P. de Collonia, Societatis Jesu, anno 1730 editæ, propterea agit de Illustri Cancellario Joanne Gersono, quia & si Lugduni non natus, diu tamen ibi vixit. Hinc aliquos missos

facimus in Bibliotheca nostra, de rebus Americæ nostræ præclarè scribentes, quos hospites potius habuimus quam cives, cetera de rebus Mexicanensibus benemeritos, ut P. Antonium Remesalium Dominicanum, cujus Historia Provinciæ Ordinis sui apud Chiapam & Goatemalam nobis usui est. Nationem Scriptorum & Patriam, si quidem fieri poterit, indicabimus, quam multoties præteritam faciemus, diligentiæ nostræ subductam. Mexicanos Natione quos legeris, scito Hispanos esse in America natos, nisi conceptis verbis expressum videris ab Indis parentibus illos esse procreatos; ut proptérea mirum Tibi non esse debeat, apud Bibliothecam nostram Mexicanos Natione diçi hos ipsos, qui in alijs Bibliothecis Hispani dicuntur. Utrumque enim è vero credas. Hispani enim sunt, si genus spectes & sanguinem, quòd Hispanis genitoribus usi; & insimul Mexicani Natione, quippe natale solum Mexicum habeant, aut Mexiceam Americam. Jam verò quoniam tria præsertim à nonnullis notanda veremur in Bibliotheca nostra, eam ut ab hisce criminationibus vindicemus, paucis agamus. Primò quidem, vitio nobis vertent, non edita typis solùm, sed etiam manu exarata Opera & Opuscula multoties in Bibliotheca recenseri. Secundò, de minutioribus quoque nos Scriptis solicitos, operam in ipsis indicandis amittere. Tertio, multos nos esse in rebus Scriptorum christianis & religiosis commemorandis, fusiorique quam oporteret calamo in eis enarrandis usos & efferendis. Hęc porro in Bibliothecam nostram objicienda, quoniam

niam jam pridem in alias à ſapientiſſimis Viris conditas dicta fuere, & ab eiſdem aut alijs graviſſimis item Authoribus diſſoluta & nihili facta, non eſt cur nos morentur. Quòd enim ad manuſcriptos Codices attinet referendos, exemplo nobis ſunt omnes ferme qui Bibliothecas adornarunt Nationum, Ordinum, & quorumcumque Cætuum: illos recenſent D. Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hiſpaniæ nova; P. D. Marianus Armelini in Bibliotheca Benedictino-Caſinenſi; PP. Quetif. & Echard. in Scriptoribus Ordinis Prędicatorum; P. F. Joannes à S. Antonio in Bibliotheca Franciſcana. P. F. Martialis à S. Joanne Baptiſta in Bibliotheca Carmelitarum nudipedum; PP. Ribadeneira, & Alegambe in Bibliotheca Societatis Jeſu, quos & ſi imitatus non fuerit ipſorum continuatuor P. Nathanael Sotuelus, cauſam adjecit vitandi nimiam operis molem, non quòd Mss Opuſcula ſuum in Bibliothecis locum haud mereantur & ſedem; alijque permulti ab referendis id genus Codicibus abſtinentes minimè, quin proptetea Eruditi viri in eorum Bibliothecis diſpliceant. Siſtimus itaque lectoribus Mss. Libros aliquos, illos ſcilicet, vel quos laudatos ab Hiſtoriographis noſtris habemus, vel quos ab Academicis tabularijs noſcimus, vel quos traditione teſtibusque debemus; non quidem omnes, quoniam eos aſſequi,etiam moleſtiſſimâ adhibitâ diligẽtiâ,poterit nullus, coactique ſumus ea nos abdicare provincia, optantes ut in poſterũ à diligentioribus edita locupletior acceſſionibusBibliothecaMexicana,lucem ulteriorem accipiat. Alterum verò caput criminationis, quod ſecun-

do diximus loco, minutiora tangit Opuscula immerito, ut videtur, in Bibliothecam trahenda. Sed & ipsum non absimiliter ac primum evanescere remur, utimurque verbis Antonij Mongitoris in Præfatione Bibliothecæ Siculæ circa finem, ita scribentis: *In nostrorum Scriptorum albo nonnullos inserui qui exiguæ molis Opellas edidere; Quos debita laude minimè fraudandos putavi. Parva enim persæpe magnam complectuntur ingeniorum excellentiam, magnamque redolent pietatem; sicut enim aliquando (ex Plinio lib. 11. cap. 2) rerum natura nusquam magis quam in minimis tota, ita non raro ingenij vis in minutioribus opellis tota elucere videtur: Sicut etiam summi Artificis est in exiguo opere artis industriam ac elegantiam Myrmicidis ingenio exprimere, ita egregij ingenij laus in contractis lucubrationibus ingentium voluminum materiam perstringere. Nec sine exemplo id efficere statui, nam & S. Hieronymus, S. Isidorus, Gennadius, Trithemius, Miræus, Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis, Leo Allatius in Apibus Urbanis, Philippus Allegambe in Bibliotheca Societatis JESU, Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispana* (quibus se clypeis etiam protegit D. Nicolaus Toppi in Bibliotheca Neapolitana) *aliique plures inter Scriptores nonnullos recensent, qui vel Epistolam, vel Carmina perpauca, aliaque perparvula edidere, quasi ipsis dixisset Dominus: Colligite fragmenta, ne pereant. At multos fateor, qui parvi momenti libellos, vel versiculos aliquot typis tradidere, nec alia scripsisse comperi, libenter neglexi.* Hæc ille, cujus sententiæ laudatus supra Marianus Armelini in Præmonitione suæ Bibliothecæ partim repugnans subjungit: *At ego ne hos quidem negligendos aut omittendos putavi, nam in istis etiam parvi momenti libellis, esto insipidi alicui videri possint, salis aliquid*

quid ac utilitatis vel ad Historiam pertinens persæpe inesse animadversum est; Ut enim (inquit M. Varro in lege Menia) in bona segete neque nullum est spicum nequam, ita in mala non aliquod bonum.... Præsertim cum Scriptorum aliqui illos recenseant inter quos Ja. Cinellus ex hujusmodi Opellis & minimis etiam lucubrationibus, ne dum ex melioris notæ opusculis Volantem Bibliothecam magna nominis sui celebritate, nec minori Litterariæ Reipublicæ emolumento confflavit. Astipulantur probatissimi Authores Jo Gerardus Vossius.... Bernardus item Paz in Conspectu Bibliothecæ Benedictinæ generalis &c. Nos autem prioris nominati loco Mongitorij sensui adhærentes, plurimos certè etiam typis excussos libellos præteritos facimus, quibus (absit jactantia verbis) Volumen integrum repleremus, nam, quæ dicimus, Novendialia pia tot sunt edita, ut non à vero absint qui mille ea dicunt. Abstinuimus ab hisce narrandis, vixque ab uno altero ve Authore profecta indicamus, quæ multa sunt numero, aut majoris operæ Scriptis juncta.

Postremo ex objectis capiti satis ut faciamus est reliquum, fusiorisque nostri sermonis in enarrandis nonnunquam Scriptorum gestis atque virtutibus rationem demus. Alia porro quamvis non suppeterent nobis momenta, sat superque haberemus exemplar, quod multi ex laudatis celebratissimis Bibliothecarum scriptoribus coram exhibent. Sive enim Ribadeneiram, Alegambium, & Sotuellium consulas, multoties latè res christianè ac religiosè gestas ab Scriptoribus Societatis accipies; sive Quetif & Echard adeas, invenies similiter enarratas præclaras Dominicanorum Authorum virtutes; sive Nicolaum Antonium & alios legas, unà

 cum

cum Libris acta Scriptorum compaginata non rarò cernes. Cujus rei, cœterà legentibus id genus Volumina notæ, opportunè ſatis ad inſtitutum ſuum meminit laudatiſſimus jure Criticus M. Feijoo Epiſtola 18. Tom. 4. Accedit id pro Americanis Scriptoribus, vix in Europa notis, longè convenientius eſſe & utilius, in primisque Catholicæ Eccleſiæ ſplendorem & decus nonnullum conciliat, egregia noſtratum facta referre pro Fide Catholicâ ampliandâ, & pietate fovendâ, quæ porrò geſta minus ſunt apud in Europa ſcribentes Hiſtorias obvia, imò nonnullis vix non videbuntur impoſſibilia. Nam (ut hoc ocaſione data moneamus) fuerunt Europæi Scriptores tam de rebus noſtris ignari, genitisque in America Hiſpanis Viris uſque adeo infeſti, ut peſſimè de moribus noſtris dijudicaverint, totique, qua late patet, Americæ utrique turpitudinis notam, neutiquam tolerandam, inuſerint. Quid enim non deblaterarunt impoſtores aliqui, qui terrarum Orbem pervagati, mendacia pro arbitratu ſuo cudunt, & ſcriptis in vulgus ſpargunt? Impudentiſſimi ut illi ſunt, ganeones ad unum Americanos omnes mentiuntur; mendaces, cunctisque ſordibus deditos & flagitijs ubique prædicant; Virosque in primis Eccleſiaſticos cujuſvis Ordinis cane pejus & angue quòd oderint, criminantur, & injurijs afficiunt. Hos inter veteratores nemini ſecundum habemus Franciſcum Corral,aut eum qui ejus in Indias Occidentales peregrinationem Hiſpanicè ſcripſit, quæ Gallicè edita eſt Pariſijs anno 1722. Tomo enim primo tam ſplendida & inſignia congeſſit men-

dacia

dacia pro dehoneſtandis præſertim Mexicanis viris & fæminis, Eccleſiaſticis etiam & Religioſis, ut pudeat tædeatque illa aut referre aut refellere, quæ cordato cuique & Americæ non ignaro bilem & ſtomachum movent. Sed abeat in malam Crucem homo maledicus, unàque cum ipſo faceſſant convitiatores alij, quibus, præter argentum noſtrum & aurum, Americana ſordent reliqua; qui ex ſua natura noſtros confingunt, & in veteris invidiam Orbis iniquiſſimè vocant. At enim, inquies, F. Joannes à Ponte Vir eruditus erat & religioſus, qui tamen nullus dubitavit palam edere, cœlum Americanum inconſtantiam, laſciviam, & mendacium inſpergere, queis apud Indias occidentis geniti notis ſordeſcunt Indi & Hiſpani, ſolumque Americæ herbis & metallis proginendis aptius eſſe quam hominibus generandis, qui, ut optimum etiam ſemen, agri, cui committitur, vitio, ſenſim ab inſita virtute deſciſcit, ab Hiſpanis ingenuis & benè moratis parentibus deflectunt & deficiunt. Ita quidem habet Author is candore animi laudabilior quam eruditione ac judicio. De quo non inficetus eſſet qui diceret, cœlum unà deturpaſſe & Americanos, quos & ſpurcitiam & alia ſcelera à cœlo haurire facili negotio crediderit. Inſignem porrò dixeris Virum, & egregie de noſtris Indigenis meritum, deque Summis Eccleſiæ Pontificibus & Hiſpaniarum Regibus, id genus hominum libidine, inconſtantia, mendacio ſordentium, & ab avita ſtirpe degenerum, Eccleſijs & Reipublicæ ſæpe numero præficientibus & laudantibus. Valeat igitur bonus Vir, & hauſtas ab

impoſtoribus fabellas effutiat, quas circumſpecti quique explodunt & cachinis excipiunt. Certe ſi aliquorum, qui in America nati fuere, nævos in Nationem univerſam fas eſſet refundere, nulla ſanè toto Orbe terrarum gens eſſet à libidinis nota & cœterorum criminum expers. Ubi enim iſthæc hominum portenta non ſunt? Hanc ob rem Solorzanus & Murillo Joannem à Ponte non audiendum exiſtimant, nec item ſuffragantur Joſepho de Acoſta, minus quam oporteret cautè de Hiſpanis in America genitis ſcribenti, cujus, & aliorum, ſi qui ſunt, ſiniſtra de noſtratibus edocentium, ſuſpectum teſtimonium eſſe Murillus docet, forſanque à ſimultatibus & æmulatione natos inter in Europa & America ortum habere. Magni verò faciendum eſſe Murillij hac in parte judicium ij pronuntiabunt, qui ab ejus Hiſtorica Geographiâ didicerint, Virum ipſum fuiſſe non nimis Americanis noſtris devotũ, de quibus haud conſultiſſimè aliqua ſcripſerit, quæ prætерita facimus, ne, quod dicitur, extra oleas feramur. Sed de his ſatis pro extremo quod objici in Bibliothecam noſtram poterit capite.

Hæc ut viſa ſunt nobis digna animadverſione, errata pro tenuitate facile Opus ingreſſa plurima, ab eruditis credimus condonanda, boni & æqui ducentibus ſtudium in gentem noſtram & Minervam Mexicanenſem peſſimè ab Decano Alonenſi tractatam, ſecusque ac Europæi ſapientiſſimi & graviſſimi ipſam habuerint. Ad extremum lectores monitos volumus, Bibliothecam noſtram hauſiſſe quidem Scriptores Americæ Mexicanæ,

at

at non exhausisse, plurimi enim adjiciendi erunt cùm ex antiquioribus, tum è recentioribus, editis & ineditis. Quòd enim nullo adhibito Operis & laboris socio id aggressi fuerimus, & ad præsens usque ducamus, novis accedentibus, quæ distringunt nos, negotijs quotidianam operam exposcentibus pro ministerijs nostris gerendis, aflictiorique valetudine indies urgente; integrum non fuit nobis Archivia, quæ sunt reliqua, perlustrare, & myrothecis scrutandis insistere, ijs contenti quæ pridem evolveramus, verentes scilicet, ne absolutissimum & locupletissimū Opus molientes, nullum tandem daremus, resque prorsus infecta maneret. Certe è voto succesisset nobis atque sententia, prædivitemque Bibliothecam nostram exponeremus, si majora nobis otia nacti pro ipsa amplificandâ, ulterius vestigare & inquirere potuissemus; quamvis exploratum certumque habeamus, plurima, & levi servanda cupressu, Opera Mss irreparabili jactura evanuisse, furto sublata, & minus quam oporteret cautè ac solicitè custodita, illis præcipuè temporibus, in queis exhaustâ papyro, ut multoties accidit, sero ad nos appellentibus navibus Europæis, deficientibusque chartis puris, manu exaratæ plurimi væniunt, & applicantur illiberalibus usibus ac despectis, subindeque & Archivia & Bibliothecæ, & id genus alia sæpe expilata fuere, & nobilissima parte imminuta, in flammasque & fumum abierunt Libri quam plures publicâ dignissimi luce, atque in crepitacula papyracea quæ optimè apud sapientes audirent Volumina. Hanc scilicet ætate nostra fortunam Clarissimorum Scrip-

ta Virorum ſunt paſſi, quæ tablina multa diu impleverant. Solvimus itaque, utut poſſumus, fidem datam, Bibliothecamque ſiſtimus Mexicanam, quam, & nosmet ipſos Catholicæ Eccleſiæ Romanæ ex corde ſubjicimus, & ſapientum itidem Virorum cenſuræ, qui etſi noverint aliqua (admodum pauca) à nobis recenſita Opuſcula S. Inquiſitionis juſſu expurgata, hiſtoricè dicent ſcribentis eſſe, cuncta ad inſtitutum ſuum pertinentia tradere, quin propterea ijs calculum adjiciat, quæ improbata à Superioribus fuerint.

Sed priuſquam hinc abeamus, Eruditos noſtros rogatos volumus, ſuum ut quiſque in Opus commune ſymbolum dignetur afferre, certos nos de ijs facientes Opuſculis, editis aut ineditis, quæ vel apud ſe habent, vel alicubi eſſe, aut aliquando fuiſſe certò dignoverint, queis unà cum Authoribus ſuis opportuna ſubſellia dabimus, eorum à quibus id officij receperimus, ut par eſt, memores, grati adverſus ipſos animi ſignificatione palam exhibitâ, pro ut hactenus fecimus, ijs præſertim qui à nobis per litteras requiſiti, ſuis nos Syllabis ſunt dignati, paſſim commemoratis.

Pro-

Proteſtatio Authoris.

CUM S. D. N. Urbanus Papa VIII die 13 Martij anno 1625 Decretum ediderit, idemque confirmarit die 5 Julij anno 1634 quo inhibuit *imprimi Libros hominum, qui Sanctitatis ſeu Martyrij fama celebres é vita migraverint, geſta, miracula, vel revelationes, ſeu quæcumque beneficia tanquam eorum interceſſionibus à Deo accepta continentes, ſine recognitione atque approbatione Ordinarij,* & quæ hactenus ſine ea impreſſa ſunt, nullomodo vult cenſeri approbata; Idem autem Sanctiſſimus die 5 Junij anno 1631 ita explicuerit, ut nimirum, *non admitantur elogia Sancti vel Beati abſolute, & quæ cadunt ſuper Perſonam, bene tamen ea, quæ cadunt ſuper mores & opinionem, cum Proteſtatione in principio, quod ijs nulla adſit authoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantùm ſit penes*

Au-

thorem: Huic Decreto, ejusque Confirmationi & Declarationi observantiâ ac revetentiâ, qua par est, insistendo, profiteor, me haud alio sensu quidquid in tota hac Bibliotheca Mexicana refero aut attingo, quod materiam concernit in prædictis Decreto & Declaratione ac Confirmatione contentam, accipere, & accipi ab ullo velle, quam quo ea solent, quæ humana duntaxat authoritate, non autem Divina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ aut Sanctæ Sedis Apostolicæ nituntur, ijs tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adscripsit.

BI-



BIBLIOTHECA MEXICANA.

A

1 ACADEMIA MEXIcanensis principio nobis Operis appositè satis occurrit, ut narratio isthæc nostra exordium inde sumat, undè per duo hactenus secula Scriptores benè multi prodiere, quorum & Nomina & Scripta suis deinceps locis sunt inserenda. Agmen ergo ducit Alma Parens ipsa, quam turmatim inde Filij haud imbelles sequuntur, sua quisque indutus arma, Scripta videlicet, queis cathafracti singuli, Minervam omnes nobilissimo stipant satellitio. Porrò ubi Hispani fortissimi milites, duce inclyto viro laudeque omni maiore, FERDINANDO CORTEZIO, Mexicum Primariam vastissimi Imperij Urbem toto celeberrimam Mundo, opibus, civibus, delicijs, temperie, ædificijs, tunc quidem temporis, maximam partem, super aquas solidè affabreque constructis, nobilissimam, atque ut JOANNES HENRICUS ALSTEDIUS scribit, totius Orbis maximam, incredibili penè robore, decumanis laboribus, inflictis acceptisque vulneribus, ac multo hinc inde fusso sanguine subegerunt; Prima illis Religionis cura cùm esset, divinæque amplificandæ gloriæ cogitatio plerosque, atque in primis CORTEZIUM teneret, nullum non moverunt lapidem, ut innumeris propemodum Indis tenebris hactenus idololatriæ circumseptis veræ fidei lucem affunderent, sacroque initiatos lavacro ad moresChristianis dignos hominibus, atque ad omnem simul humanitatem efformarent.

2 Hæc ut è voto succederent, & Paræcias & Templa quantocyus erexère, & Religiosorum Conventus hominum fundavère, & pro instituendis rite pueris Domicilia & Collegia cogitare cœperunt; potissimum verò amplissimam UNIVERSITATEM expetere, in quam & exteri confluentes & incolæ, Indi pariter & Hispani, Facultates omnes & Scientias, prout in Europæ Scholis Academijsque insignibus, explicate traditas invenirent, quibus, ut quisque valeret, instructi, alios deinde, aliósque docerent, atque ita fieret brevi, ut plurimi Magistri suppeterent, cùm pro erudiendis in re Christiana Populis, tum etiam ad eosdem omni disciplinarum genere imbuendos. Quod autem Invictus Imperator simulque Hispaniarum Rex Catholicus CAROLUS V. nulli in hisce votis concederet, imò maximè optaret ut qui, Ipso Imperante, Novus Orbis Hispaniæ juxtà accesserat & Ecclesiæ, ita demum ornatus excultusque evaderet, ut non divitijs modò rebusque pulcherrimis abundaret, sed verò etiam hominibus, qui Catholicam dissеminare Fidem & defendere in vastissimis Regionibus possent, ac Religioni & Nationi delicijs essent atque decori; secum animo reputans compendio se usurum, si Universitatem Mexici erigendam præciperet, Regia id jussit Schedula XXI. Septembris MDLI. data, qua insimul annuos quosdam redditus consignavit, quibus cùm alij Regia itidem accesserint liberalitate, Amplissima Academia erigi à fundamentis potuit, florereque cœpit statim.

3 Cùm enim is qui Caroli nomine Imperij clavum Mexicani tenebat D. LUDOVICUS DE VELASCO, Regijque Auditores mox relatum audijssent Decretū, obtemperandū illicò existimarunt, nec ullam nectentes moram, cunctis quæ pro egregio opere necessaria fuerant, industrie expeditis & promptè, tandem XXV. Jannuarij, MDLIII. solennissima pompa ac supplicatione, Regia Universitas Mexicana erecta est, potirique incœpit Privilegijs, queis CAROLUS ipsam dignata fuerat amplissimis, quæ videlicet cunctæ Hispaniarum Academiæ, in primis Salmanticensis toto Orbe princeps, retroactis sæculis coacervaverant. Nec verò ab Hispaniarum duntaxat Regibus munificentissimisque Patronis Academia Mexicea gratias accepit plurimas, sed à Sede etiā Apostolica decorata haud minoribus beneficijs & donis fuit, procurantibus ipsis Regibus, uti Pontificia muniretur confirmatione, liberalitateque Ecclesiæ grandesceret, quam proprijs nuper sumptibus Universitatem erexerant. Nobilis quidem Scriptor M. MARCELLINUS DE SOLIS, Agustinianus, ejusdem Rector Academiæ tunc temporis, cùm Statuta typis excussa sunt, quibus nunc etiam regitur, in Procemio eis præfixo, non jejuno quidem, sed antiquorum relatione monumentorum divi-

divite, PAULUM IV. expeditis litteris anno MDLV. eam confirmasse scripsit: atque hunc sequutus Authorem idem tradit FR. BALTHASAR DE MEDINA, eruditissimus nudipedum Sancti Francisci Historiographus in Chronicis Provinciæ SANCTI DIDACI Mexicanæ, Cap. 24. num. 827. quos refert in Commentarijs ad secundam Academiæ Constitutionem egregius earumdem Interpres D. JOSEPHUS DE ADAME ET ARRIAGA num. 43. At quoniam isthæc PAULI IV. Diplomata in Academicis Tabularijs multoties diligenter quæsita, inveniri potuerint nunquam, nil in ipsis moramur, alijsque interim Privilegijs Apostolicis supersedentes, Bullam à CLEMENTE VIII. subscriptá nonis Octobris anno Domini MDXCV. præmanibus habemus, cujus Authographum ingredientes quotidie Sacellũ Universitatis ejusdem suspiciunt, quod palam coramque cernere est chrystallo occlusum, auroque circumseptum. Scilicèt, cùm Universitas Mexicana honori semper eximio ducat Pontificiam audire, se se Apostolicæ sedi devotam ex animo, demisissimeque subjectam, stemmatis loco Bullam appendit, quam à Catholico Hispaniæ Monarcha PHILIPPO II. exoratus Sanctissimus Pater CLEMENS VIII. libenter indulsit, ratam non modò firmamque eamdem Academiam statuens, sed SALMANTINÆ, COMPLUTENSIS, & reliquarum, quæ apud Hispanos vigent & celebrantur, omnibus & singulis Privilegijs frui & gaudere decernens.

4 Jam verò, ut perpauca insinemus è plurimis, quæ Academiam nostram illustrant, nec concludi paginis hisce nostris aliter possent, quam brevi Oceanus conchâ; placet ejusdem initia utcumque libare, ut dein quæ procedente tempore sumpserit incrementa, & quo tandem modo supremum gloriæ verticem ascenderit, summis lineamentis adumbrare tẽtemus. Juvat porrò D. FRANCISCUM CERVANTES SALAZAREM, primum apud Nostrates Rethoricæ Professorem excipere in eo, quẽ altero ab incœpta Academia anno, hoc est 1554. edidit DIALOGORUM pulcherrimo Libro. Nam, ut legere est à folio 247. mox conditam Universitatem describit, colloquẽtibus MESA, ET GUTERRIO, quos illo in Dialogo opportunè satis pro suo inducit institutoque nostro. Et GUTERRIUS quidem sic, post alia, Socium alloquitur: *Sic res habet, sed doce rogo quod ex alio scire nolui, quæ sit hæc domus, quæ altero membro, tot ac tantis supra subterque factis fenestris forum, & facie publicam viam respicit: in quam bini modò, modo terni, nunc turmatim veluti Magistrum officij gratia asectantes in pallijs oblongis & quadratis pileis ad aures usque demisis, juvenes ingrediuntur.* Tunc Socius MESA: *Academia est & formatorium adolescentum: Qui ingrediuntur sunt Scholastici Minervæ & Musarum amatores.* Post alia verò subdit GU. *Atrium pro frequentia & discen-*

 cen-

centium numero satis capax. Verùm quòd est potius, quodque Academiam vere nobilitat, quales habet Institutores? ME. *Optimos.* GU. *Non de probitate rogo, sed de doctrina, & docendi dexteritate.* ME. *Industrios & in omni scientia versatissimos: vis dicam? Minime vulgares, & quales paucos habet Hispania.* GU. *Ecquis fuit rei tantæ author?* ME. *Cæsar cujus auspicijs & ductu multa sunt ubique terrarum præclare gesta.* GU. *Quibus immunitatibus & privilegijs?* ME. *Maximis & multis, & in omnibus à Salmaticensibus nihilo dissimilibus.* GU. *Multo pluribus, ac si fieri posset, maioribus digni sunt, qui & tam procul à Patria docent, & qui in tanta opulentia, & Parentum delicijs discunt.* ME. *Quinpotius, quòd dicere debuisses, eo utrique honore afficiendi sunt, quòd novum Orbem sapientiæ fulgore, ignorantiæ nebula, qua obscurabatur, primi omnium liberent, & Indos in fide cultuque Dei sic confirment, ut ad posteros semper firmior derivetur integritas.*

5 Sed ne longum æque ac politissimum Dialogum hîc transcribamus, sat erit honoris ergo Antecessores illos indigitare, quos non sine magna laude, cuius erant dignissimi, CERVANTES recenset; Magistrum scilicet BUSTAMANTIUM, qui cùm in Philosophiâ doctus esset & laureâ donatus, Grammaticā diligenter profitebatur in Academia, cui tradēdæ in privatis ædibus strenuā per annos viginti sex operam dederat, atque ita feliciter juventutem Mexicanam instituerat, ut vix ullus esset qui aut concionaretur, aut doceret, qui non ejus esset discipulus: JOANNEM GARCIAM, Presbyterum, Artium etiam Magistrum, qui Dialecticam edocebat: Doctorem MORONES, cuius partes in Canonico Jure interpretando primæ erant: Doctorem itidem AREVALUM SEDENUM, qui Pontificum quoque decreta explicabat absolutissime, & quam Salmanticæ maximam dese spectationem facerat, Mexici augebat. His annectit Doctorem FRIAS, & in Artibus Magistrum, & Græcè & Latinè doctissimum, Justinianæis Institutionibus aperiendis incumbentem ex munere: JOANNEM NEGRETE Philosophiæ & Theologiæ Doctorem, in Mathematicis ad admirationem usque versatum, nec Medicinæ ignarum, qui Theologiam Auditoribus exponebat: ALPHONSUM A VERA-CRUCE, Augustinianum, virum jure commendatissimū, Artium infulis & Theologiæ redimitum, quem primum sacrorum Bibliorum Interpretem Academici audiebant. Et ut alijs interim supersedeamus, placet colophonis vice paucula ejusdem verba Dialogi afferre. GU. *In nascente Academia magnos mihi & eximios viros narras, & qui in confirmatissima & aucta multis & opimis reditibus jure suo singuli munera sua obire potuissent.* Et alijs interjectis, hanc Dialogo suo auream CERVANTES imponit coronidem, GUTERRIUM in hunc dicentem modum adducens: *Vestra tamen Academia in barbarâ,*

barâ & ante hac incultâ regione posita, modo etiam nascens eiusmodi est inchoata principijs, ut brevi credam futurum, novam Hispaniam ut hactenus argenti copia, ita in posterum sapientium multitudine apud cæteras Nationes optime audituram. Hercle vaticinanti simillimum nullus non credet CERVANTIUM nostrum, qui & alios, suis à nobis adducendis locis, diversarum Nationum Doctissimos viros audierit, & Eruditissimum plane Germanum P. HENRICUM SCHERER, Societatis Jesu ibi legerit, ubi postquam sapientissimos ejusdem Societatis Professores in America natos instructosque numerat, totidem quæ sequuntur verbis concludit, in *Atlăte novo* p. 4. seu *Geographia Politica* p. 4. cap. 3. proposit. 9. pag. nobis 823. *Atque hæc fere Bibliothecâ Scriptorum Societatis mihi suggessit, quibus si aliquando accedent ea, quæ ab alijs, præsertim Sacrorum Ordinum Religiosis Americanis præclare gesta sunt (& quorum notitia nunc ego destituor) satis superque patebit, agrum Americanum non tantùm auri & argenti, sed etiam virtutis eximiæ & scientiarum omnium feracem esse.*

6 Ast quoniam, & quæ CERVANTES haud vanus sibi vates pollicitus fuerat, & quæ SCHERER partim attestatur, & partim optat, bono à nobis in lumine collocanda veniunt in Bibliothecâ nostrâ; nunc in Academia, quæ eiusdem caput & principium agit, morati, præcipua huius ornamenta persequamur dicendo, è quibus Litterraria Americæ nostræ Respublica mirabiles certe fructus accepit. Et quòd ad scientias attinet, quæ traduntur in ea, Celeberrimas ut imitaretur Scholas Europæ, Fundatores enixè curarunt, egeruntque, ut præter Grammaticam & Rethoricam Philosophia doceretur in Aulis suis, & qua latissime patet à varijs ordinate ac distincte Professoribus dictaretur. Adjectus deinfuit, qui disciplinis Mathematicis præesset, earumdemque candidatos instrueret. Pontificijs juribus enucleandis Antecessores adlecti sunt, qui id officij susciperent, ut adolescentes Ecclesiasticis imbuerent sanctionibus; alij verò eò destinati ut Civilium apices explicarent, nodos exsolverent, praxim traderent. Ad hæc sex pro sacrâ Theologiâ expendendâ designati, quorum unus Bibliorum sacrorum interpretationi, reliqui cæteris amplissimæ Facultatis partibus, pro suo quisque munere, insisterent. Quòd verò ad Idiomata spectat, sapientissime constitutum à Maioribus nostris est, ut quandoquidem tam sunt multa in hisce Regionibus, Hispanis etiam in eis natis ignota, ut pro illis discendis non modò egregiâ opus sit diligentiâ, sed industrijs etiam Magistris: tamque earumdem usus linguarum necessarius, quamqui maxime ad Indos instruendos in Fide, & in omnibus Christianis juxtà ac politicis disciplinis educandis: prudentissime inquam à nostris conditoribus fuit provisum,

ut eorum vice Antecessorum qui in Europæ Academijs Sacras Linguas profitentur, in nostra gemini instituerentur pro duabus tradendis, quæ communius in America nostra tenent, & quodam gaudent veluti principatu, *Mexicanâ*, ut vocantur, & *Othomia*. Queis factum est omnibus, ut viginti tres Antecessores suam quotidie spartam Academicis in Gymnasijs adornent, totidem præfecti Suggestibus, è quibus frequentissimis auditoribus dictando explicandoque doctrinas instillant, quæ & ipsis, & publico bono sunt profuturæ. Quãtus porro Scholasticorum concursus ad Minervæ atria sit, conjici inde potest, quod, ut alia nunc taceamus Collegia pro juvenibus instituta Mexici, florent amplissima duo, in quæ supra quadringenti se recipiunt adolescentes, Regium videlicet S. ILDEPHONSI, quod Societatis JESU Patres moderantur & regunt, plusque ducentos fovet Alumnos; & Tridentinum S. PAULI, AC PURISSIMÆ CONCEPTIONIS, quod Ecclesiæ Metropolitanæ Seminarium est, ducentisque fere Socijs ornatur. Queis cùm & ex alijs Collegijs adventantes in Academiam jungantur plures, & qui in privatis ædibus habitant oppido multi, fit ut auditorum multitudine ipsa insignis evadat, & discipulorum frequentiâ Magistri suas abunde partes expleant officiaque.

7 Ut tamen Mater est alma Universitas Mexicana, quæ cùm prope adstantes, in Urbeque degentes primaria filios, uberibus admovet, tum etiam longe positis, & alibi Civitatum, imò Regnorum domicilio gaudentibus lac Scientiarum propinat, medijs scilicet Alumnis strenuis; mirum plane est quanta grandescat sobole, hominumque doctissimorum numero. Nam si Collegijs & Cœnobijs quæ intra Mexicana pomæria sunt, illa omnia adjiciamus, quæ extant in tota Diœcesi MEXICANA, insuper & in ANGELOPOLITANA, item in MICHOACANENSI, & in GUADALAXARENSI, ac demum GOAXASENSI, & DURANGENSI, quæ singulæ patent latissime; subductis bene calculis inveniemus sexaginta haud minus litterarum Domicilia esse, è quibus in Academiam involant studiosi, quà Regulares, quà Sæculares, laureas & infulas petituri, queis præmisso non perfunctorio examine, redimiri discupiunt, & pro cuiusque merito candidati donantur. Hinc fit, ut ingens admodum Doctorum ac Magistrorum numerus in Academico albo tabularioque supputetur. Sunt continuò qui Mexici degunt centum plus minusve; nec pauci qui absunt, longeque sunt positi ac longius, Parœcias regentes, Ecclesijs inservientes, Rerum publicarum causas agentes, salutem, fortunas, animas curantes, varijsque distenti officijs, ac muneribus occupati, in eis omnibus quas nuper insinuavi ditionibus. Nec sane id mirum cuique videri debet hac nostra tempestate, mul-

tiſque retro annis uſu veniſſe, cùm jam inde ab incunabilis grandis nata fuerit Minerva noſtra, tamque multis armata militibus, id eſt Doctoribus circumcincta prodierit, quam quæ maxime. Hùc certe collimavit laudatus ſupra CERVANTES noſter, qui de nuperrime condita Academia GUTERRIUM ſuum & MESSAM ſic verba facientes ſcribit: GU. *Quantus eſt Doctorum, & Magiſtrorum numerus?* ME. *Ex his qui Mexici ſupremam coronam ſunt conſecuti, & his qui alibi eàdem donati ſunt, jam Academiæ alumni & illorum ordini adſcripti, tantus ut vix maior ſit Salmanticæ: Ad quam tanti Gymnaſij fœlicitatem hoc acceſſit, ut* ALPHONSUS A MONTUFARE *Mexicanus Archiepiſcopus, in Sacra Theologia eximius Magiſter, in ſerie & claſſe Doctorum primus reponeretur, ſic in litteras & litteratos affectus, ut nihil tam enixe curet, quam quo pacto maiores ſemper in re litteraria progreſſus fiant.*

8 Atque id honoris ubi memoratum audimus, quanti per duo ſecula Academiæ accreverint non abs re erit paucis innuere. Agmen duxit mox relatus Antiſtes Illuſtriſſimus, qui & adſcribi Doctoribus Mexicanis voluit, & Cancellarium Academicum agere, ipſumque imitantibus præclaris viris, & naſcenti Univerſitati lucem afferre, & viciſsim accipere placuit, ut ſtatim adulta haud minores ipſa ederet filios, quorum lumine ad miraculum uſque niteret. Effulſére in primis Archiepiſcopi itidem Mexicani D. JOANNES DE MAÑOSCA ET ZAMORA, qui Bachalaureatus gradum, quem Mexici acceperat, magni etiam faciebat, poſtquam Salmanticæ Doctoratu, alibique conſpicuus muneribus, ac tandem Archiepiſcopatu donatus fuerat: Et D. ALPHONSUS DE CUEVAS DAVALOS, qui & ipſe Mexicanus Antiſtes in Academia noſtra didicerat, atque ad Doctoris apicem evectus, multis inde auctus Eccleſiaſticis Dignitatibus fuit, Diœceſi primum Antequerenſi præfectus, poſt Mexicanæ, ut Patriæ ſuæ egregijs litteris & virtutibus honori eſſet eximio. Nec defuere Doctores alij Archipræſules, Præſuleſque multarum Eccleſiarum creati, alij etiam & alij qui ad id muneris deſignati recuſarint officium inſigne, quorum hìc ſyllabum retexere nimis eſſet operoſum: ſatis pro inde ſit dicere, pluſquam octoginta nos memoriâ tenere Mexicanæ Univerſitatis alumnos, cùm è Seculari Clero, tum etiam è Regulari, qui aut Epiſcopalibus inſignibus donati illuſtriores ob egregie navatam operam reddidere ſeſe, aut quòd ſe ſubduxerunt amplíſsimis Dignitatibus minorem nihilo gloriam ſunt aſſecuti. Qua verò plurimi alij Academici viri nituerint, propterea quòd optime functi muneribus alijs fuerint, ſive Eccleſiam concernentibus, ſive Regis negotia, ſive Reipublicæ commoda, idcirco miſſum facimus, quòd copioſior ſeges ſit illa, quam quæ poſſit congregari in his paginis,

ginis, quas non multas patitur institutum nostrum; contenti dicere, Mexiceam Academiam ita sapientum graviumque hominum feracem fuisse, ut & innumeris propemodum Americæ Parochijs Ministros obtulerit, & ad instruendos Populos Præceptores formaverit, & pro Cathedralibus Ecclesijs Sacerdotes, Præbendatos, ut dicitur, Canonicos, & maioribus ornatos Dignitatibus exhibuerit: Tum etiã & Auditores Regios è Doctoribus suis evasisse conspexerit in Senatum *Mexicanensem*, *Guadalaxarensem*, *Goatemalensem* assumptos, ad eos quoque qui *Dominicopoli*, & apud *Insulas Philippinas* existunt, vocatos, & demum ad Suprema, quæ in ipsa Catholici Regis Curia sunt, Consilia evectos non nullos. His accésendi veniunt, qui apud æquissima Fidei Tribunalia Quæsitorum munera obierunt exacte non pauci; plurimi autem vel in Consultorum vocati numerum, vel Censores adlecti, tam sunt industriè & sapienter officijs defuncti, ut egregias inde laudes meruerint, quas refert tribuitque ipsis PARAMUS de rebus ad S. Officium spectantibus eruditus Scriptor & diligens, in de *Origine & progressu Officij S. Inquisit. lib.2. c.21.num.20. & 22.*

9 Quid verò quod Concilia Mexicana Americæ huius Episcoporum concursu aliorumque gravissimorum frequentiâ hominum nobilissima, Theologos ac Jurisperitos ab Academia insignes acceperint, audierint, probaverint? Quid tandem, quod in Hispaniam quoque Academici Mexicani trajecerint, quorum non pauci in eiusdem Hesperiæ Universitatibus creati Doctores, haud vulgares à Sapientssimis illis hominibus laudes tulerunt: alij sublimiùs evecti Antecessores etiam egerunt diversarum, quas profesi sunt singuli, Facultatum? SALMANTICÆ quidem Theologiæ Cathedram D. JOANNES DE CERVANTES moderatus est; MALDONATUS verò Canonici Juris, VEGA, & SUAZUS ad Civilia attinentia rexere. D. JOANNES DE PARADA Philosophicæ præfuit non sine Academiæ Principis laude. Ad COMPLUTENSES abiens CORTEZIUS Philosophiæ tradendæ præpositus memoriam in florentissimis eorundem Aulis excitavit Mexicani alterius Doctoris P. ANTONIJ RUBIJ, cuius LOGICA MEXICANA contractior ab Authore suo facta, id assequuta est honoris eximij, ut Universitatis Regijque jussione Consilij auditoribus Philosophiæ candidatis multos continenter annos explicaretur. Apud PINCIANOS Sapientes GUEVARA Jus Canonicum docuit: CERVANTES alter HISPALI Theosophiam explicuit: In GRANATENSIBUS Scholis PADILLA è Suggestu juribus enucleandis incubuit, pro ut adductis historicis monumentis latius aperimus in Nuncupatoria DISSERTATIONIBUS MEXICANIS nostris præfixa.

10 Profectò ambiget prudens nemo, Illustrissimam undique Academiam

demiam Mexicanam fateri, qui unam in ipſam, ceu in profundiſſimum Oceanum, illuſtria plurimaque corrivari flumina animadvertat. Scilicet ornari frequentiſſime cernet hancce Academiam & Epiſcopis & multis è Clericali ſtatu ad munera evectis eximia, cùm in Eccleſijs Americæ noſtræ omnibus, tum etiam in aliquibus Europæ, nec ſine plauſu exterorum Sapientum, qui è paucis quos audiunt, Mexicanos alumnos, de cæteris facili judicare negotio valent, & verò laudibus illos efferunt. Cernet Religioſorum coronâ virorum ambiri, qui aut Doctoratu, aut alijs decorati gradibus Academiam ipſi decorant ex Sacris Ordinibus DOMINICANORUM, FRANCISCANORUM, AUGUSTINIANORUM, CARMELITANORUM, MERCEDENSIŨ, JESUITARUM, in quos cætus graviſſimos ornatiſsimoſque perſæpe involant Academici, & è quibus in Academiam viciſsim adventant homines Religioſi. Cernet itidem delibatiſſimum Seculariũ florem, quos inter Auditores Regios, Provinciarũ Rectores, Gubernatores Urbium, Patronos cauſarum, multoſque alios officijs conſpicuos inveniet.

11 Meritò ſubinde Academia Mexicanenſis elogia retulit haud vulgaria ab exteris Scriptoribus haud obſcuris, ÆGYDIO GONZALEZ DAVILA, JOANNE DIEZ DE LA CALLE, ANTONIO DE HERRERA, Indiarum rerum enarratoribus, quorum hîc, brevitatis gratia, præteriens verba alibi à nobis relata (nempe in Nuncupatoria Tomo primo *Diſſertationum Mexicanenſium* noſtrarum appoſita) unum præterire non libet ANDRÆAM MENDO, Societatis Jeſu Theologum celeberrimum, de que Jure & rebus Academicis Authorem notiſſimum. Is ubi Hiſpaniæ & Americæ Univerſitates percenſet, totidem quæ ſequuntur periodis Mexicanam deſcribit: *Mexicana in America, in Orbe novo, ſeu in Nova Hiſpania erecta fuit anno* MDLIII. *regnante in Hiſpanijs Carolo Quinto Imperatore; & ab eius ſucceſſoribus Hiſpaniarum Regibus promota, & aucta, ac Summis Pontificibus confirmata, & pluribus privilegijs munita, præcipue à Clemente VIII. anno* MDXCV. *Opulentis annuis redditibus gaudet, & viris Sapientiſſimis in omnibus ſcientijs floret, qui & Academiam & munerum culmina illuſtrant. Ornatur etiam Inſignibus Collegijs, quorum unum Societatis Jeſu regimini ſubeſt. Huius Academiæ meminerunt eruditiſſimus ac clariſſimus DD.* LAURENTIUS RAMIREZ DE PRADO in notis ad Luitprand. p. *424.* D. DIDACUS DE LEON PINELO in Hipomnemate Apologetico pro Academia Limenſi cap. 20. num. 81. & Doctiſſimus D. JOANNES DE SOLORZANO de Jure Indiarum lib. 3. cap. 14. Hæc clariſſimus MENDO. Et quandoquidem Scriptoribus, quos ipſe nominat de Academia noſtra memoriam agentibus, adjungi alij poſſunt, nec obſcuri, nec pauci, non abs re erit quoſdam hîc dare.

12. Et sunt illi quidem P. THOMAS BOZIUS Præsbyter Congregationis Oratorij, Sancti Philippi Nerij discipulus, & de Ecclesia optime meritus cùm alijs scriptis, tum egregio Opere de Signis Ecclesiæ Tom. 1. lib. 4. cap. 3. signo 6. ubi *Gymnasium omnium Scientiarum atque Artium Mexici florens*, non ita diu post ejusdem conditionem, alia inter Indiarum Occidentis decora refert. P. VELAZQUEZ, Soc. Jesu de Conception. diss. 8. adnot. 1. P. ALVA Franciscanus, in Militia pro Immac. Concept. verbo *Academia*. M. FERNANDEZ Dominicanus, in Historia Ecclesiæ lib. 1. cap. 36. Illust. D. M. F. JOANNES LOPEZ, Episcopus Molopolit. in Historia generali S. Dominici 4. p. lib. 4. cap. 58. P. F. JOANNES DE SANCTIS, in Chronologia Hospital. lib. 3. cap. 61. D. JOANNES FRANCISCUS GEMELI CARERI, in Gyro Orbis italice conscripto pag. 6. pag. 122. & 127. Nooblot. tom. 5. Geographiæ universalis gallice scriptæ p. 526. D. LUDOVICUS MORERI, in Magno Dictionario Historico gallice dato, tom. 5. p. mihi 318. verbo *Mexique*. MICHAEL ANTONIUS BAUDRAND, in Novo Legicò Geographico in Not. & addit Tom. 2. p. mihi 55. D. BEIERLINC in Theatro Lit. E. p. mihi 122. M. GRAVESON Dominicanus, in Indice Geographico Academiarũ Europæ. P. PARTENIUS Societatis Jesu, in Geographia Regni Mexicani. Illust. M. D. F. MARCUS SALMERON, Regij Mercedensis Ordinis, in Monum. Histor. & polit Monumento 39. p. mihi 224. P. F. JOSEPH A SANCTA THERESIA, Carmelitanus t. 3. Hist. Excalceat. Carmelit. lib. 11. c. 21. & alibi. M. F. BALTHASAR A S. CRUCE, Dominicanus tom. 2. Historiæ Provinciæ Philippinarum ejusdem Ordinis Lib. 1. cap. 51. pag. 247. MM. QUETIF, & ECHARD, in Scriptoribus Ordinis Prædicatorum. P. F. JOANNES A S. ANTONIO in Bibliothecâ Franciscanâ. P. SOTUELLUS in Bibliothecâ Societatis Jesu. D. NICOLAUS ANTONIUS in Bibliothecâ Hispaniæ Novâ, qui Bibliothecarum Scriptores, Mexicanos bene multos in Cathalagos suos redigunt, Academiam æque Mexiceam, ac Familias religiosas suas, Nationemque Hispanam concernentes ornantesque. NICOLAUS SAMPSOM in suo Atlante minore. P. HENRICUS SCHERER in suo Atlante novo parte 2. pag. mihi 93. Purpuratus P. ALVARUS CIENFUEGOS Soc. Jesu, doctrinâ Eminentissimus juxtà ac Dignitate, in Vita S. Francisci de Borgia lib. 5. cap. 6. §. 4. P. FUENTES Franciscanus, in Diario 25. Januarij. P. MORILLO, in Historia Prouinciæ Soc. Jesu Manilensis n. marg. 734. Et ne multi simus, alijs supersedamus elogijs omnibus, ubi maximum transcripserimus à Prudentissimo Rege nostro Philippo II. datum, tunc quidem cùm Academia Mexicanensis annos quadraginta duos, non amplius, à sui conditione numeris putabat, agebatque Patronus Serenissimus

pro

pro eiusdem confirmatione ac privilegijs apud Clementem VIII. pro ut Is in sua Constitutione rescribit: *Idem Philippus Rex pia meditatione ductus, & jam experientia comprobatum habens, quantum universæ Reipublicæ Christianæ, præsertim apud illos novos Fidei Catholicæ cultores, talis Universitas in dicta Civitate, quæ admodum insignis & frequens existit, utilitatis afferat, plurimum cupit dictæ Universitati per Nos, ut infra indulgeri.*

13 Quòd si tantos fructus attulerat non dum semisæculo elapsu à sui initio, condonandum erit profectò Scriptori, extraneo quidé, sed veritatis amatori, qui quos deinceps retulit ager Mexicanæ Minervæ, non modò mirabiles, sed infinitos pia quadam audacia compellat. Plurimos certe eos esse, productis in medium pomis aliquot exquisitis, in ea quam superius indicavimus Epistola nostra Nuncupatoria, monstrare sategimus: quibus id circo in præsentiarum supersedemus, quòd legi inibi poterunt, & qui ad scripta spectant Opera in huius decursu Bibliothecæ sunt collocandi. Missis igitur in sua loca, quæ singuli Academici viri laboravere, ea hîc subjicimus, quæ Consessus Doctorum nomine Typis commissa fuerunt.

14 *Testimonium à Regiâ Universitate & pleno eius Consessu Mexiceo Excmo. novæ Hispaniæ Pro-Regi jubenti propositum, de incommodis in Rēpublicâ ab immoderatâ indici vini Pulque vulgo dicti, potione manantibus.* Mexici tacito Typographi nomine anno 1692. in fol. cum subscriptionibus amplissimi Domini Rectoris, Doctorum & Antecessorum, coram Academico tabellario D. Christophoro Bernardo de la Plaza, et Jaen. Extat tom. 15. Collect. D. Ludovici de Mendoza.

15 *Regiæ ac Pontificiæ Universitatis solutio 14. quæstionibus exhibita, quas RR. PP. Bethlemiticæ Sōcietatis ipsi retulere pro enodatione.* Mexici Typis V. Michaelis de Ribera 1708. in fol. Extat. tom. 12. dictæ Collect.

16 *Epistola gratulatoria Excmo. Viro ac Doctori clarissimo* D. D. Didaco Ladron de Guevara *Episcopo Quitensi, Regio Consiliario, &c.* Mexici tacitâ Typographiâ, anno 1712. in fol. habeturque inter Opuscula non dum compagina â mox dicto Mendoza.

17 ACADEMIA S. PHILIPPI NERIJ MEXICEA, ineunte, quod defluit in præsentiarum, sæculo initium cæpit, & nomen sortita est ab Ædibus Congregationis Oratorij, in quibus condita annos supra 15. egit, donec in Atria Universitatis translata fuit, apud quæ etiamnum viget eodem agnita nomine, & de faventissimo ac Sanctissimo Parente gloriata. Authorem habuit P. Antonium Pignateli, Mexicì natum, Congregationis eiusdem Præsbyterum, doctrinâ & virtute plæclarum, qui auxilio fuit clarissimo eisdem dotibus viro P. Joanni Antonio

DE ESPINOSA, Queretarensi, pro instituendâ Oratorij Congregatione apud Villam Sancti Michaelis magni, Diœcesis Michoacanensium, eximio animarum & studiosorum fructu ad nostram usque ætatem quotidie crescente. ANTONIUS humaniores litteras Philosophiamque alte imbiberat in Collegio Maximo Soc. Jesu Mexiceo, atque ornatus laureâ, Theologiæ operam dederat in Gymnasio Universitatis strenuâ adeo, ut triplicis Scholæ doctrinam Thomistarum, Scotistarum, & Jesuitarum penitissime excoluerit, gradumque retulerit. In Positiva, Morali, Mystica, & Dogmatica Theologia admodum etiam doctus fuit, & omnigenâ pollens eruditione, quam libris intentissime deditus comparavit, patrimonio suo haud exiguo pro copiosissimâ & selectissimâ emendâ Bibliotecâ destinato, quæ vel in Europa multo in pretio & æstimatione haberetur, qua que, ut erat pijssimus, minori contentus voluminum numero, abdicavit se tandem, Ecclesiastici, quod meditabatur, extruendi ædificij ergo nummis à divenditâ colligendis, irrito quamvis ad extremum conatu, quòd egregium opus adversis obviantibus casibus inter optata manserit. Latinitatem in Collegio Seminario à Divo Paulo, & PurissimaConceptione nuncupato tradiderat, quod etiam vices tenens Rectoris moderatus fuit, concionibus habendis, excipiendisque confessionibus deinceps intentus.

18 Hoc Authore Academia nostra condita fuit, primùm ad culturam Philosophiæ, mox verò pro Theologiæ professoribus, qui bis in hebdomada convenientes Scholasticis & Moralibus se se exercent dimicationibus, Panegyrica Sacra statis diebus habent, atque alijs pro amœnioribus litteris excolendis dant operam. Ad hæc, ut solemne est multis sua sponte in Universitatis Aula maxima per diem integrum totam propugnare Theologiam, additis pro concertatione vespertina, aut ex Canonico, aut ex Civili, aut ex utroque jure titulis sex gravibus scatentes dificultatibus, responsuri in publicâ luce Magistris ac Doctoribus ex omnibus Ordinibus doctissime arguentibus proludunt inter Academiæ Sodales acri & ad multos dies tractâ concertatione, qua se mire exercent, & expeditiores longe athletas efformant. Porrô quam opimos ipsa fructus retulerit, argumento sunt plurimi qui ex ea prodiere viri doctissimi, & multis titulis ornatissimi: nam, ut minoribus redimitos laureis taceamus, atque insignes concionatores, doctorales apices multi emeruere Mexici, aliqui autem in Universitatibus Salmanticensi & Toletana egregiâ laude. Paræcijs alij præfecti fuere & in Mexicea Diœcesi, & in Michoacanensi, & in alijs, & apud Europam etiam, in Toletana. Sacra in spectatissimis Virginũ Monasterijs administrarunt, Antecessores in Universitate Mexicanensi ege-

egerunt, idiomatis Mexicani, Eloquentiæ, Philoſophiæ, Sacrorum Bibliorum, Theologiæque Perpetuos Veſpertinos atque Primarios, quas itidem in varijs Collegijs ſpartas ornarunt, & Collegijs ipſis regendis admoti fuerunt. Cenſoribus Fidei, Conſultoribus & Judicibus Ordinarijs adſcripti ex illis ſunt aliqui, & inter Examinatores Synodales in multis Diœceſibus relati, quandoque Viſitatores agentes & Vicarios Epiſcopales. Ad Præbendas evocati & Canonicatus, etiam, ut dicuntur, Officij, eis defunguntur Mexici, Valliſoleti Michoacanenſium, & Guadalaxaræ in novâ Gallecia, alijſque muneribus conſpicui & honoribus, cùm in Religioſis Ordinibus, tum etiam in memorata Oratorij Congregatione, Libris quoque clarent in publicũ datis, de quibus ſermo nobis in decurſu Bibliot. erit. Academiæ autẽ nomine extant edita,

Elogia ſelecta è varijs quæ Mexicearum Scholarum more ab alumnis Academiæ Sancti Philippi Nerij elaborata ſunt, præfixaque theſibus defenſatis. Olim ſparſim edita, collecta modò à Dre. D. EMMANUELE GARCIA DE ARELLANO, *Mexicano, ejuſdem Academiæ Præſide, &c.* ex Typographiâ editioni Bibliothecæ Mexicanæ deſtinatâ. 1754.

Meminit Academiæ erectionis & fructuum P. JULIANUS GUTIERREZ DAVILA in Monum. Hiſtor. Congreg. Oratorij Mexicanenſis part. 3. lib. 5. cap. 4. n. marginali 649. & 650. unus ipſe è primis in illam adſcitis tempore, meritoque è primarijs ejuſdem profeſſoribus, qui virtute juxtà & eruditione decus illi peperit immortale. Habes item Academiæ Elogium contextum à doctiſſimo P. NICOLAO ZAMUDIO, Soc. Jeſu, in Cenſura data Panegyrico S. Philippi Nerij edito Mexici in Typographia Regia D. Mariæ de Ribera anno 1733. Simileque conſcripſit elogium Sapientiſſimus P. NICOLAUS DE SEGURRA, ejuſdem Societatis, in Approbatione præfixa concioni de S. Bernardo excuſa Mexici, typis Viduæ Joſephi Bernardi de Hogal anno 1741. Ab eadem Academiâ ſcripta proſtat Nuncupatoria Parenti ſuo ac Patrono S. Philippo Nerio in Prælectione Theologica ad ſorte oblatam diſtinctionem 20. lib. 2. Magiſtri Sententiarum, quæ excuſa eſt Mexici in Regali ſummæ adminiſtrationis Sacrorumque librorum typographia apud D. Mariam de Ribera 1747.

19 D. ALEXANDER FABIANUS, Natione Mexicanus, Patria Angelopolitanus, Nobiliſſimis parentibus uſus eſt, genitore ex illuſtri apud Genuenſes Familia; Matre claro inter Hiſpanos ſanguine: Præsbyter Sæcularis, pijſſimus juxta ac doctiſſimus, ſi fides habenda eſt Clariſſimo Viro P. ATHANASIO KIRCHERO, Societatis Jeſu, Scriptori, ſi ullus alius, Sapientiſſimo, & Reipublicæ Eruditorum notiſſimo, ad quem Alexander noſter ſcripſit Romano, niſi fallimur conjecturâ, ſermone.

Epistolas varias.

Et quoniam Nuncupatoriam Kircherus ipse præfixit Libro suo excusso Romæ, typis Ignatij de Lazaris 1667. cui titulum fecit: *Magneticum naturæ Regnum*; in qua monumentum Fabiano nostro posuit insigne, cui certè nullus nostrũ cogitare posset æquale, aut illo nobilius expetere; operę pretiũ duximus virtutes & litteras Alexandri, mutuatis à Kirchero, quæ sequuntur, verbis complecti: *Sapientissimo viro*, inquit, *Alexandro Fabiano, novi Orbis indigenæ, insigni Theologo, Philosopho, & Mathematico, nec non in Mexicano Regno Congregationis Christi Præsbyterorum Sæcularium Institutori munificentissimo Felicitatem precatur Athanasius Kircherius è Societate Jesu.* Post exordium autem, in quo opportune ad Operis argumentum adludens, amoris Magnetismum se fatetur expertum ubi Alexandri Litteras tam longo terrarum intervallo sejuncti, accepit, ita Ipsum alloquitur: *Tu vir amplissimè, novi Orbis, ego Europæi incola, ignotus uterque utrique: Tu forsam casu in nonnulla Operum meorum volumina incideras, & dum in tanta argumentorum varietate, eam maiori forsan, quam tenuis mea opera merebatur, veneratione suspiceres, absque ulteriori moræ prolongatione, ad Authorem non solùm cognoscendum, sed & quam arctissima amicitiæ necessitudine Tibi devinciendum, litteras ad me tantâ verborum energiâ, tot tantisque benevolentiæ signis exornatas dedisti, ut nesciam quomodo occulta ac sagaci illa ingenij, morum, studiorumque concitatione, paranymphâ sympatiâ tandem acciderit, ut me vel ex remotissimo Orbis Americani angulo Tibi præsentem, potenti illo homæotropias magnetismo attractum stiteris. Mirabar & ego polypediam omniumque bonorum artium cultum in Te novi Orbis indigena; Imò in peregrinis illis Americæ Regionibus, ignotisque nobis Cæli partibus, virum tot virtutum subsidijs instructum, tot à Deo charismatum prærogativis dotatum reperiri, non mihi persuadere poteram; donec reciproco litterarum commercio, jam ab aliquot annorum curriculis cæpto, ab omni evolutus ambiguitate, Te non Indum origine, sed ex illustri Genuensium Fabianorum Familiâ ortum Hispano insertum stemmati, omni exceptione maiorem inveni: Accessit hisce omnibus innocens & inculpatæ vitæ Tuæ integritas præfervido sociata Christianæ Religionis promovendæ zelo & solicitudini, qua instimulatus, Angelopoli Mexicani Regni Urbe celeberrima, Ecclesias fundasti, novam Congregationem Præsbyterorum Sæcularium, quam Christi vocas, insigni munificentiâ instituisti, cujus subsidio quam eximia Deoque grata beneficia Ecclesiæ in conversione barbarorum præstiteris, grata æterno nominis tui cum honore posteritas fatebitur.* Et post alia sequitur suam Epistolam Athanasius: *Qualis quantusque Alexander ille Fabianus esset, toti Orbi litterario, hoc præsenti Opusculo de triplici Magnete manifestandum duxi, ut vel ex ipso triplex ille insolubilis Magnetismi nodus*

dus quo ego Te, Tu me Tibi adeo potenter devinxisti, veluti perenne foret initæ nos inter amicitiæ, fœderis, amorisque immortalis testimonium. Hactenus KIRCHERUS; qui cùm effusis adeo laudibus Fabianum commendet, non à pietate solùm alijsque virtutibus, sed ab studijs quoque Philosophicis, Mathematicis, & Theologicis, in quibus insignem ipsum dicere non est veritus, quinimo maximopere optavit Orbi Litterario palam exponere virum hunc ornatissimum, quem certe non aliunde novit quam ab Epistolis, quibus eos inter longum intercessit commercium; eruditas planè fuisse illas & doctas oportet, quas idcirco, & si à nobis nullibi inventas, in his nostris tabulis referendas duximus. Libet coronidis loco, hîc tradere Elogia duo, quæ in calce prædicti Kircheriani Libri Epigrammaque à P. Ignatio Bomplano, Societatis Jesu, habentur scripta.

ELOGIUM I.

Alluditur ad Nomen.

Ex merito ALEXNADER diceris:
Novus Orbis habet in Te
Alterum Magnum Alexandrum,
Eo maiorem quo meliorem.
Ille sub cruentis Macedonum signis pugnavit;
Tu vicisti sub Cælesti Nominis JESU vexillo:
Ille ambitionem amplificavit;
Tu propagasti pietatem:
Ille arma quocumque circumtulit;
Tu virtutes intulisti:
Ille positis militum castris
Arva Indica oppressit;
Tu instituta Præsbyterornm Congregatione,
Mexicana regna recreasti:
Ille habuit Angulum Terræ pro Meta;
Tibi meta erit Cælum,
Quia pro Cælo ALEXANDER es.

ELOGIUM II.

Alluditur ad Cognomen.

Non solùm ex merito Alexander nominaris,
Sed etiam ex vero diceris cognomine

FABIANVS.

Totus quodammodo ex Fabijs constas.
Eam excitasti Sodalitatem,
In qua vetus Fabianorum familia revocaretur:
Hæc Romanam Rempublicam sustentavit
Pugnando et Moriendo;
Tua Sodalitas Christianam Religionem sustentat
Laborando et Orando:
Pugnat in Inferos, qui contra Inferos laborat.
Moritur pro Religione, qui pro Religionem orat:
Sic Mexicana pietas stat,
Quia FABIANVS es.

AD EUNDEM.

De Libro Illi ab Athanasio Kirchero dedicato, quo triplex Mundi Magnes continetur.

EPIGRAMMA.

Quam bene Kircherus triplici magnete coruscat
Virtutisque Tuæ symbola clara notat.
Namque Tibi est pietas, doctrina, et prodiga dextra:
Sic hominum longe dissita corda trahis.

20 ILLMUS. D. D. ALEXANDER GERARDINUS, Natione Italus, Patria Romanus, si ÆGYDIO GONZALEZ DAVILA, in Theatro Ecclesiæ Insulæ Hispaniolæ standum est: si verò NICOLAUM ANTONIUM in Bibliothecâ Hispaniæ Novâ sequamur, in Ameria Umbriæ Civitate natus, ut similius vero videtur: Domicilio Mexicanus, quòd Episcopus fuerit Ecclesiæ mox relatæ, quæ primas tenet in America Mexicana: Fratrem habuit nomine ANTONIUM, natu maiorem, Proto-Notarium Apostolicum, & Poetam inter primos Clarissimum, Laureâ pro illius temporis consuetudine jure donatum, quo de Petrus Martyr Anglariensis Epistolis 37. & 38. itemque 76. Libri 1. Quòd ad Alexandrum attinet nostrum, ex Italia in Hispaniam advectus, Catholicis Ferdinando & Elisabethâ regnantibus, ut erat præfervido animo, militiam sequutus, sub Hispanis vexillis contra Lusitanos pugnavit; cæterum receptui cecinit, & qui nuper Marti litaverat, Musis & Minervæ se addixit, quas in patrio solo coluerat. Poculis Reginæ præpositus, Regis filiabus

Præ-

Præceptor datus eſt, tum Apoſtolicus Proto-Notarius factus, ſacriſque initiatus, Regio præfuit ſacello: Ab Alexandro VI. Pontifice Maximo renunciatus Epiſcopus Vulturarienſis & Montis Corvini, huic poſtea dignitati ceſſit anno 1515. ut ad Epiſcopalem inſulam Dominicopolenſem tranſiret. Cùm enim repertæ nuper Americæ Carolus V. Imperator, qui in Hiſpania proximè ſucceſſerat Catholicis Regibus, vigilaret, in primiſque ageret, ut in Fide & Pietate Barbari tunc temporis Indi nuncupati, optime inſtituerentur; defuncto Garcia de Padilla, Franciſcano, qui primus Eccleſiæ illi præfuerat, à ſe erectæ Apoſtolica authoritate, viro quidem egregio; ſufficiendum curavit Alexandrum, haud minorum hominem dotium, omnique virtute conſpicum, qui publicis non ejuſdem ſolùm Imperatoris pro jungendis bello contra Turcas Chriſtianis Principibus, ſed Pontificum etiam Maximorum Legationibus præclare defunctus, pro re Chriſtiana in novis promovenda Colonijs, optimus viſus eſt. Prius verò quam commiſſam ſibi Americæ Eccleſiam inviſeret, Romam graviſſimis de rebus acturus, eo tempore acceſſit, quo ad Lateranenſe Concilium ſub Leone X. Patres Illuſtriſſimi Eccleſiæ convenerant, quos inter & ipſe adfuit, uti cernitur in ſeſſione undecima celebrata 15. decembris 1516. nomenque ipſius vigeſimo ſecundo inter aliorum Epiſcoporum nomina loco invenitur his verbis: *Reverendus Pater Alexander Hieronymus S. Dominici Inſulæ Hiſpaniarum.* Multa à Pontifice Summo poſtulaſſe tradit citatus Ægydius, ſcilicet, ut Legatum Alexander ageret Sedis Apoſtolicæ in Americanis Regionibus tunc uſque detectis, & quæ deinceps detegerentur: Ut pro quibuſdam feſtis diebus Indulgentias Fidelibus illarum partium benigne Leo Pater concederet, donaretque corpora Sanctorum aliqua, Reliquiasque plures, quibus Inſula Hiſpaniola diteſceret maxime, præſidiumque haberet eximium. Tandem anno 1520. expeditis, quæ ſibi demandata fuerant, negotijs, Hiſpalim reverſus, in Americam iter ſuſcepit, quo de pulchram & amœnam ſcripſit Hiſtoriam, infra indicandam. Ubi Hiſpaniolam appulit, aliaque inter pulcherrimas incolarum ædes conſpexit, hortatus homines ut venuſtiorem longe pro Dei cultu excitarent, quæ quantum humana tenuitas poteſt, Optimum deceret & Maximum Conditorem; rem illis gratiſſimam facile obtinuit. Strenuam in promovenda Religione operam poſuit, verbi divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, munerumque omnium, quæ ad Epiſcopum ſpectant, functione, primuſque fuiſſe dicitur, qui in Orbe novo ſacros Ordines tradiderit, quòd ejuſdem Deceſſor diem obierit extremum antequam epiſ-

episcopalis consecrationis oleo fuisset inauguratus. Hæc inter ALEXANDER sanctè officio suo functus, Indis juxta Hispanisque charus anno 1525. septuagenarius è vivis excessit. Plura scripsit, quorum syllabarum texit ÆGYDIUS GONZALEZ DAVILA indicato superius loco. Videlicet

Itinerarium ad Regiones sub æquinoctiali plaga constitutas.

Epitome Conciliorum.

Summorum Pontificum acta.

Sacrorum carminum lib. 24.

Epistolarum lib. 2.

Officia varia Sanctorum.

Vitam Sancti Benedicti saphico carmine.

Volumen Orationum ad Principes Christianos pro bello contra Turcas.

De Latij & Romæ laudibus.

De Educatione nobilium puerorum librum unum.

De Officio Principis.

Vitam Catharinæ Angliæ Reginæ.

Elogia Virorum illustrium Romanorum ab Ænea usque ad Pompeium Magnum.

De Quantitate syllabarum & carminum compositione.

Invectivæ lyricæ in malam fæminam.

Monumenta Antiquitatum Romanorum.

ALEXANDRI meminerunt, præter citatos, Vghellus in Italia sua sacra, & ANTONIUS DE LEON ET PINELO in Epitome Bibliothecæ Orientalis,& Occidentalis,Tom.2. editionisMadritanæ novissimæ col. 580. & 781. Nicol.Ant.t.2.p.685.

21 FR. ALEXIUS GARCIA, Natione, ut videtur, Mexicanus & Patria, Instituto Dominicanus Proviciæ S. Jacobi Mexicanensis, postquam virtutibus inclaruerat, Deoque in salute animarum curanda egregie servierat, eximiæ specimen dedit patientiæ, lepræ morbo vexatus, subindeque in Valetudinarium, quod à Sancto Lazaro nuncupatur, abductus, ubi tandè mortem aspexit anno 1579. prout scribit Davila noster lib. 2. cap. 92. & qui eum sequuntur NICOLAUS ANTONIUS in Appendicibus Bibliothecæ Hispanæ p. 314. Altamura ad 1593. Quetif & Echard.ad 1579.ScripsitALEXIUS, publicavitque Typis Mexicanis.

Kalendarium perpetuum.

D. ALPHONSUS ALAVES PINELO, Natione Mexicanus & Patria, celebris Mexicani Auditorij Causidicus, in Universitate ejusdem Civitatis absolutis Humanitatis, Philosophiæ, & utriusque Juris studijs, in quibus progressus fecit insignes, Doctoris infulâ redimitus, Rhetoricam professus est: alias subinde Cathedras rexit, donec Primariæ Civilis juris præfectus ad tempus, apicem scholastici honoris assecutus in Theoria, haud sibi dissimilis in praxi, apud Judices dicturus frequentissime quæsitus à clientibus, pro ipsorum tutela, doctas, quas statim adjiciemus, Allegationes typis commisit; Prætoris etiam civilis Mexicei vices tenuit nonnunquam; Demum ut erat amœnioribus lit-

teris

teris politissimus Opusculum solutâ ligatâque numeris oratione pulchrum, & hispano & latino sermone publicæ luci dedit hoc titulo:

Astrum mythologicum politicum; seu Triumphalis pompa pro excipiendo Mexicano Pro-Rege D. Ludovico Henriques de Guzman, Comite de Alva de Aliste. Mexici, apud Joannem Ruiz 1650. in quarto.

Juris autem Allegationes, cùm excusas, tum Mss. aliquot vernaculo conceptas idiomate sequentibus numeris exhibemus. Sunt illæ.

Responsio apologetica adversus Anonimum pro Ecclesia Angelopolitana scriptum in causa Decimali, defensioque juridica Ferdinandi de la Serna Valdès. Mexici in folio. Habetur Tom. 45. Collectionis D. Ludovici de Mendoza.

Allegatio pro Sancti Nicolai Michoacanensi Provincia Ordinis Sancti Augustini in negotio cum ejusdem Familiæ alumno Joanne de Espinosa. &c. Mexici in folio. Extat in eadem collectione.

Appendices ad mox dictam allegationem. Mexici in folio Tom. 44. ejusdem collectionis.

Pro D. Alphonso Ortiz de Ora, Vicario Generali Diœcesis Mexicanæ in puncto præcedentiæ. M S. in folio. Stat Tom. 14. collectionis mox dictæ.

Allegatio in favorem D. Francisci de la Torre, à Thesauris S. Cruciatæ, in negotio de ratiocinijs. Mexici in folio. Tom. 19. Collectionis ejusdem.

Juridica propugnatio D. Antonij de Aguinaga in re civili contra nitente D. Antonio Gabiola, S. Inquisitionis Fisci præfecto. Mss. in folio. Tom. 25. Collectionis ejusdem.

Pro Excmo. D. Duce Alburquerquio Novæ Hispaniæ nuper Pro-Rege, absoluti muneris rationem reddente. Mexici in folio. Tom. 27. Collectionis ejusdem.

Pro retentione quarundam Litterarum Rmi. P. Generalis Ordinis Sancti Augustini, Provinciæ Sancti Nicolai Michoacanensi exhibitis, Regioque Patronatu. In folio, tacitis anno & reliquis. Habetur Tom. 3. collectionis Allegat. quæ asservantur in Bibliothecâ Universitatis Mexiceæ.

Quoniam verò ea tempestate floruit, scilicet ante integrum seculum, qua non dum in Annales redigi cæperant elaborati à Professoribus Cathedrarum Commentarij, Tractatus, idque genus alia, cogimur lucubrationes pro Aulis Academicis tacitas præterire.

22. Illmus. D. Alphonsus Albertus de Velasco, Natione Mexicanus, Mexici Nobilissimis Parentibus ortus anno 1635. emensis Latinitatis, Philosophiæ, & Jurisprudentiæ curriculis, haud sine Magistrorum plausu & Sodalium, Sacrorum Canonum Doctor in Academia Mexicana inauguratus fuit, atque pro agendis causis apud Regium Senatum admissus, Sacerdos factus, virtutibus, quas à teneris annis coluerat, impensiùs addictus, Ecclesiastica obire ministeria, quæ provectioribus committenda

tenda sunt viris, Superiorum cæpit authoritate. Parochialem à Sancta Catharina Martyre nuncupatam Ecclesiam intra Mexicanæ Urbis pomæria sitam, antiquitate insignem, rexit accuratissime, curavitque, pro augenda adversus Sanctam ac Sapientissimam Alexandrinam Virginem devotione, pulcher oppido Liber ut excuderetur, quo de agemus, cum de Petro de la Vega, Præsbytero Mexicano, nobis sermo erit. Dein Parochum Ecclesiæ Cathedralis totos triginta duos annos egit vigilantissimum, parcisque pro frugali victu emolumentis sibi contentus, reliqua inter pauperes distribuebat. Ovium curæ suæ traditarum saluti invigilans, nullum prætermitere officium satagebat ex his, quæ animarum profectum concernunt: in primis verò cathechismum tradere & Christianam Doctrinam, cùm per se, tum per alios idoneos Ministros, non modò in Parochia sua, sed in alijs etiam Templis enixe procuravit: Id ut assequeretur facilius, Confraternitatem Doctrinæ Christianæ in Ecclesia Sancti Philippi Nerij canonice erigendam è re sua duxit, institutæque Indulgentias Romæ solicitavit quam plurimas, nempe, quæ ab Archiconfraternitate celeberrima aggregatis sibi Sodalitatibus ubique terrarũ Apostolicis Privilegijs communicantur. Quòd autem ex eis etiam habeatur, ut una semel in Diœcesi quadam sic conditâ, cæteræ ab Ordinario probatæ, eisdem gaudeant indultis; Albertus noster nullum non movit rudentem, ut in omnibus amplissimæ ditionis Mexicanæ Ecclesijs Parochialibus, quę certæ sunt plurimæ, istiusmodi haberentur pij Cætus Archiepiscopi fretus præsidio & Litteris encyclicis, ut habemus ex Libro Fundationis Confraternitatis ejusdem, in Tabulario suo à PP. Oratorij servato. Nec absre erit Mexicei Sodalitij Doctrinæ Christianæ incrementa paucis indigitare, traductis in paginas nostras ijs quæ anno 1752. oculis usurpavimus, fuereque perspecta cunctis, jure optimo demirantibus. Nam occasione Jubilæi Anni Sancti, eo, quem diximus, Mexici publicati, institutæ fuere Supplicationes frequentissimæ & pijssimæ à religiosis quibusque cætibus, nulla verò numerosior, aut æqualis fuit visa ei, qua Sodales Doctrinæ Christianæ ab Oratoriana Ecclesia ad designatas pro lucrandis Indulgẽtijs processere, turmatim ductis ab Oratorij PP. 40. ut remur, mille viris & fœminis, è quibus amplius 25. mille præcedẽtibus octo diebus adscripti inter confratres fuere, quorũ & nomina vidimus exarari exarataque, & religionem vix sine lacrymis admirati sumus, & incredibilem confluentium ad Sacramenta multitudinẽ communi stupore exemploque experti. Sed de his hactenus.

23 Ad nostrum revertentes, qui præerat tunc temporis Ecclesiæ Mexicanæ Illustrissimus Princeps

D.

D. D. Franciscus de Aguiar & Seixas (à profusissimâ in egenos charitate, atque etiam à zelo divinæ gloriæ, reliquisque virtutibus inter Clarissimos meritò computatus) tanti ALBERTUM habebat, ut in gravioribus negotijs eumdē consuleret, dictisque eius obtemperaret. Ipsius operâ usus est pro erigendo, juxta Sacrosancti Concilij Tridentini sanctionem, Collegio Matricis Ecclesiæ Seminario, cui Constitutiones præscripsit pro regimine aptissimas, ipso illas suggerente pro munere ALBERTO. Ad hæc, ut erat in jure versatissimus prudentissimusque, à S. Inquisitionis Quæsitoribus Fidei pro carceratis tuendis Patronus designatus, Fisci etiam partes nonnunquam egit, Consultorisque munus, quod eximij est honoris, annos bene multos obivit. In procuranda V. Servi Dei Gregorij Lupezij Beatificationis causâ plurimam posuit operam, nec calamo duntaxat laboravit & diligentiâ, sed sumptibus etiam egit ut ædes quas eximius Vir ille incoluerat sartas tectas servaret. Fuit itē ex primis qui Mexici Congregationi Oratorij proluserunt conditâ pijssimâ S. Philipij Nerij Sodalitate, cui per triennium præfuit, quamvis id temporis nondum Cōgregregatio coaluerat juxta quæ S. Philippus dedit, probavitque Apostolica Sedes, Instituta Vallicelana, quæ tamdem initio seculi hujus custodiri incæpere, Mexicanâ Congregatione adinstar Romanæ erectâ confirmatâque ab Innocentio Papa Duodecimo, & eximie florente. Sanctimonialibus Carmelitis regendis præfectus, à Confessionibus alijsque Sacramentis diligentiâ fuit haud vulgari, totusque, uti insignis miraculo Christi Domini è Cruce pendentis Imago inibi asservata religiosissime, quam de Izmiquilpa vocant (ab Oppido in quo repente visa est innovata jam inde ab anno 1621. postquam diu cariosa latuerat & temporum injurijs fœdata) magna licèt tunc usque Religione ab exteris Civitatis & incolis habita, clarior multo esset, Miraculo ab Archipræsule Mexicano, secundùm Sacrosancti Concilij Tridentini sanctionem examinato probatoque maximis documentis. Hùc Opusculum collimavit scriptum à Nostro, quo de mox memoriam faciemus; declaratoque tandem Miraculo à Judice, atque alio itidem ejusdem Libro apertius exposito, maxima habuit incrementa devotio, indiesque ad tempora usque nostra augescit, convenientibus quotidie precationis causâ multis & multis, atque in publicis Urbis aut Regni calamitatibus indictis supplicationibus solemnissimis. Pijs ad mortem usque exercitijs, & quæ decent Sacerdotem egregie probum, ex animo deditus, præter Deum salutemque proximorum curabat nihil. Hinc meritos fugiebat honores, Sacerdotioque in Cathedrali Ecclesia, Præbendam dicimus, præsen-

ſentatus à Rege illi ſe ſubduxit, quemadmodum non ita pridem recuſaverat Metropolitanæ Eccleſiæ Manilenſis epiſcopales infulas, in quas Regio itidem invitatus decreto fuerat. Demum meritis cumulatus, ab omniumque Ordinũ hominibus, graviſſimis etiam & ſapientiſſimis, multo in pretio habitus ob conjunctas probitati vitæ inſignes litteras, diem clauſit extremum 10. Decēbris Anno 1704. videſis P. JULIANUM GUTIERRES DAVILA in Monumentis Hiſtoricis Congregationis Oratorij, parte 1. lib. 2. cap. 13. per totum, ubi ejus vitam complexus eſt. Meminit quoque ejus multâ cum laude P. D. JOANNES ANTONIUS DE OVIEDO, in Vita V. P. Antonij Nuñez de Miranda, lib. 1. cap. 5. pag. 21. ubi hujus in Philoſophia diſcipulos recenſet inſignes, quos inter Noſtrum merito leges, & rurſus lib. poſtremo, cap. 19. pag. 209. Scripſit patrio, hoc eſt hiſpano ſermone, ſequentia.

Miraculoſa Chriſti Domini è Cruce pendentis Imaginis, quam de Izmiquilpam nuncupant, inſtauratio, facti juriſque fundamentis libratis expenſa. Mexici, apud Viduam Frãciſci Rodriguez Lupercio. 1688. in quarto.

Divinæ exaltatio Miſericordiæ in ejuſdem Aſſertoris mundi Iconis per miraculum inſtauratione. Hoc eſt, *Pia & ſalutaria ex Hiſtoricis monumentis Sacram Imaginem concernentibus deſumpta monita, multiſque momentis ornata.* Mexici, Typis D. Mariæ de Benavides 1699. Mexici iterum Formis Hæredum Michaëlis de Rivera. 1724. in quarto.

Apologia pro Sacrarum ſuſpenſione Indulgentiarum in Indijs etiam religiosè obſervandâ anno Romani Jubilæi Sancto 1700. Mexici, Litteris D. Mariæ de Benavides, anno eodem, in quarto.

Pia animadverſio & expoſitio arcanorum, quæ innuuntur admodum gravi ac pia ceremonia, Signum vulgo dicta, prout ea utitur Eccleſia Metropolitana Mexicea. d eſt, *Sancta Vexillum Crucis, tempore Paſſionis, in Eccleſijs Cathedralibus Hiſpaniarum aliquibus, Indiarum forte omnibus, erigi, circumferri, explicari ſolitum, multis Sacrarum Litterarum, Patrum ac Doctorum teſtimonijs elucidatum.* Mexici, ex Typographia Viduæ Bernardi Calderon. 1677. in quarto. Peregrini certè Opus argumenti, quod breviſſimè attactum legiſſe Author teſtatur in erudito de divinis Myſterijs Libro à JOANNE RODRIGUEZ Hiſpali edito, cap. 7. §. 3. Ipſe verò pro dignitate id aggreſſus, copioſa evolvit eruditione, à Sacris paginis Doctoribusque Eccleſiaſticis opportune petita. In quem poſtea collimavit ſcopum Illmus. juxtâ ac doctiſſimus Chiapienſis Epiſcopus D.D. FR. FRANCISCUS NUÑEZ DE LA VEGA, Ordinis Prædicatorum, in Appendice prima ad Conſtitutiones Diœceſanas ſuas in folio editas Romæ in Officina Caietani Zenobi anno 1702. Appendix verò ſeorſim à Libro recuſa eſt Mexici, Typis Hæ-

Hæredem Viduæ Michaëlis de Ribera. 1718. in quarto.

Monita pro examinandis testibus in Causâ Mexicanâ Beatificationis & Canonizationis V. Servi Dei Gregorij Lupezij. Mexici, tacitis anno & Typographi nomine. Extat Tom. 17. Collectionis D. Ludovici de Mendoza in folio.

Alijs supersedemus minutis Opusculis, quæ in lucem emissit.

24 FR. ALPHONSUS AB ANGELIS, Mexicanus Domicilio, sin minus Natione & Patria, quæ nos fugiunt, Carmelitarum Excalceatorum Instituti in Provincia Sancti Alberti Novæ Hispaniæ professor, utilissimum Americæ hujus incolis Opus scripsit, in quo, præter alia complura, de Aurifodinarum Dominis, Opificibusque, de Indorum Prætoribus, Contractibus usu in regione nostra frequentibus, alijsque similibus ad conscientiæ forũ spectantibus egit, totumque in quatuor partes, totidemque tomos, in octavo licèt, haud exiguos mole, divisit: Eorum quartum vidimus manuscriptum optimis caracteribus, indicibus, etiam rerum notabilium, ad prælum, ut videtur, paratum, quē nec pretio extorquere potuimus nec precibus à Bibliopola, penes quem erat, qui eo ac similibus oblectari profitebatur. Titulus autem libri ex Hispano in Latinum versus ita habet:

Quarta pars ultimaque Directorij Confessariorum & Pœnitentium, in qua variæ pertractantur materiæ, multique deciduntur casus, qui ad Prætores, Fodinas, Regij Ærarij Prefectos, Religiosorum Privilegia, Testamenta, idque genus alia concernuut. In octavo.

25 FR. ALPHONSUS AB ANUNCIATIONE, Natione Mexicanus, forte etiam Patria, ut colligere est ex his quæ Davila Padilla de eo refert loco mox citando: Institutum Prædicatorum Ordinis amplexatus, studijs ex animo deditus, Linguæ Zaapotecæ addiscendæ Superiorum jussu diligentiam posuit strenuam, in qua magnos ubi fecit progressus, Indorum instructioni totus incubuit; Concionabatur ad illos, Sacra faciebat, ministrabat Sacramenta, nullumque non exhibebat officiũ, ut illorum saluti consuleret propriam insimul quærens, orationi hæc inter insistens statis, quas sibi præfixerat, horis dum Mexici versabatur, singulisque noctibus flagelis se macerans. Cænobijs præfectus multis, Superioris partes ut Religiosum decet virum, explevit. Demum cùm in Oppido Etla dictũ apud Goaxacenses degeret, Festũque ageret solemnissimum Christi Corporis, indictâ, ut moris est, supplicatione, ad quam Indi alijque confluxerant plurimi, Sacram ipso Pyxidem in Altari, ut fit, deponente, quod in peristylio constructum fuerat, interea dum scena quædam pia adstantiũ oculis auribusque panderetur, Eucharisticum Mysterium aperiens; ecce pergula nuper ex tempore fabricata,

corruit, & cùm viginti ſupra centum homines opprimit, plures alios ferit, elidit, tum Alphonſum peſſime luxatum, è vivis poſt duas horas eximit, cui in primis fuit curæ Chriſti Corpus, ut qua decet Religione in ea rerum cataſtrophe ſervaretur; ſibi verò invocare in auxilium Deum & MARIAM, circumque adſtantium precibus commendari. Antonius de Leon Pinelo in Epitome Bibliothecæ Orientalis, & Occidentalis colum. 751. tom. 2. editionis Madritanæ 1738. & poſt eum gradientes Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Hiſpaniæ nova p. 8. t. 1. Parra in Memorialibus Mss. & Altamura ad 1575. teſtantur reliquiſſe in ſchedulis.

Hiſtoriam Sancti Dominici Provinciæ Mexicanæ.

Quibus reffragântur Critici Quetif & Echard in *Scriptoribus Ordinis Prædicatorum* ad annum 1575. cenſentes, nuper dictos omnes deluſos, dum hanc Alphonſo noſtro Hiſtoriam conſignant, quæ ad DOMINICUM AB ANUNCIATIONE attinet, ſimilitudine agnominis eis imponente. Et quamvis accuratiſſimi Hiſpani, qui Bibliothecam Pinelianam multis locupletiorem acceſſionibus Matriti dederunt 1738. his non acquieſcant; ut quod verum nobis videtur ingenuè fateamur, rem acu tetigiſſe Gallos nuper memoratos exiſtimamus. Quì enim credi poteſt, ut DAVILA Alphonſi vitam noſtri exprofeſſo deſcribens, ne verbum quidem hujus Hiſtoriæ fecerit, cùm alias Scriptores Familiæ ſuæ Mexicanæ recenſeat omnes, ut credere eſt de Authore diligentiſſimo? Ad hæc fortius, niſi fallimur, argumentum eſt nobis, quòd in proæmio Hiſtoriæ ſuæ Alumnos nominet Provinciæ, qui ſcribendi ejuſdem hiſtoriæ jam inde ab initio manus admoverant; ANDRÆAM DE MOGUER, VINCENTIUM DE LAS CASAS, DOMINICUM AB ANUNCIATIONE, & qui hunc fecit latinum THOMAM CASTELLAR; de ALPHONSO verò noſtro altum illi fuerit ſilentium, quod feciſſet nunquam, ſi & hunc ſpartam ipſam aliquando adornaſſe noviſſet. Silet pariter qui memoriam habet Alphonſi M. FRANCISCUS DE BURGOA Dominicanus, in ſecundo tomo, partis ſecundæ Hiſtoriæ Geographicæ, ſeu Provinciæ Goaxacenſis Ordinis Prædicatorum, cap. 40. fol. 200.

26 P. ALPHONSUS DE ARRIVILLAGA, Natione Mexicanus, Patria Goathemalenſis, ſanguine clarus, Societati Jeſu nomen dedit, in qua ſolemni quatuor votorum nuncupatione ſe Deo religavit. Grammaticam docuit & Rethoricam Mexici in Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Collegio Maximo, in quo etiam tradidit Philoſophiam multis, qui Rempublicam poſtmodum illuſtrarunt diſcipulis. Quòd verò litteris bene cultis cultiores adjunxiſſet virtutes, prudentiâque emineret & máſuetudine ſingulari, Tyronum

præfectus institutioni, quod primarijs demandari solet officium viris, Collegium rexit de Tepozotlan dictum. Ubi hæc aliaque exactissimè obijsset munera à Superioribus sibi commissa, à Congregatione Provinciali Mexicea Primus Procurator Romam delegatur, quo demum functus industrie munere, Patriam revertitur, Præpositusque Provincialis ab admodú Reverendo Societatis Generali P. destinatus, numeris omnibus absolutum Præsulem egit. Pro Instituti sui ratione ministerijs deditus sanctis, & sibi magnarum segetem virtutum paravit, & Familiæ clarissimæ decus multum adjecit, & Proximorum bono consuluit, donec plenus dierum, in pace, quam perpetuò servaverat homo mitissimus, quievit. Scripsit dum Rethoricam profitebatur, alia inter, quæ non extant,

Poeticam Concertationem in recens nati Pueri JESU plausum & laudem, sub Æsculapij symbolo. Anno 1676:

Pro ut habetur in Libris manuscriptis destinatis ejusdem argumenti operibus multis in Bibliothecâ Collegij Maximi jam dicti. Præterea scripsit suisque auditoribus è suggestu dictavit

Philosophiæ Cursum:

Cujus ubi sint exemplaria nescimus, id scientes, totidem illa fuisse, quot discipuli, qui à Magistro calamis excepere.

Conciones item multas, & de Sanctis, & ad mores Mss. quæ vel periere, vel adhuc nos latent.

Laudat Alphonsum nostrum P. JULIANUS GUTIERRES DAVILA in *Monumentis Historicis Congregationis Oratorij Mexicanæ*, p. 3. n. marginali 516.

27 FR. ALPHONSUS DE AVILA, Natione Mexicanus, Mexici ortus, fratrem habuit nomine Joannem in Hispaniagenitum, ut cùm de eo sermo erit, dicemus. Institutum uterque Seraphici Patris Sancti Francisci suscepit in S. Evangelij Provinciâ Mexicanâ. Noster Prædicatoris Generalis munus explevit, Emeritosque inter jure fuit numeratus. Præfuit varijs Familiæ Domicilijs, & è plurimis, quas reliquit in schedis, concionibus, aliquas publici factas juris habemus Hispano conceptas sermone, quarum altera

De Sanctissimâ Deiparente sub titulo del Pilar, prodijt Mexici, Formis Francisci Rodriguez Lupercio 1679. in quarto.

Altera *De ejusdem Sanctissimæ Virginis MARIÆ Transfixione.* Angelopoli, Typis Didaci Fernandez de Leon 1692. in quarto.

Altera *In honorem Immaculatæ Conceptionis Virgineæ.* Mexici 1692. Litteris....

Meminerunt Alphonsi tum Betancurt in Menologio Franciscano p. 143. n. 43. tum Fr. Joanne à Sancto Antonio in Bibliothecâ Franciscana tom. 1. p. 39.

28 D. ALPHONSUS DE AZEVEDO ET CARBAJAL, Natione Me-

Mexicanus, Patriam in Michoacanensi sortitus Provincia, gradumque Bachalaureatus tum in Philosophia, tum etiam in Sacra Theologia in Mexicana Universitate; typis dedit, quam è suggestu recitaverat.

Orationem in funere Elisabethæ Borboniæ, Hispaniarum Reginæ, habitam in Alma Vallisoletana Cathedrali Ecclesia. Mexici, apud Joannem Ruiz 1645. in quarto.

29 M. FR. ALPHONSUS DE LA BARRERA, Natione Mexicanus, Clarissimis stirpe genitoribus, ære locupletibus, Mexici natus est. In Sacro Prædicatorum Ordine solemni professus ritu, quas optime didicerat, è Cathedra tradidit Religiosis Alumnis, Philosophiam atque Theologiam, Magisterij subinde gradum meritò adeptus. In Regia Universitate Mexiceâ Doctoralem Theosophiæ lauream non sine Academiorum laude promeruit, ejusdemque Rector omnibus in ipsum suffragijs abeuntibus renunciatus fuit 10. Novembris 1665. Nec prætereundum quanti sit habitus, quòd in hisce Comitijs Academicis prælatus etiam fuerit eximio cæteroquin Mexicano, & omni quidem laude majore, FR. ANTONIO DE MONRROY, postmodum totius Prædicatorum Ordinis Generali Magistro, Archiepiscopoque Compostellano, qui secundo post Alphonsum loco Electoribus fuerat datus, ut caput sibi Senatuique suo ex illis unum calculis destinarent. Magistratu perfunctus, egregie benemeritus de Academia, multis alijs auctus honoribus, demandata sibi negotia industrie peregit. A germana sorore Elisabetha ultimæ executor voluntatis supremis tabulis destinatus unà cũ fratre, viro etiam doctissimo, HIERONYMO DE LA BARRERA, Theologiæ Magistro, Ordinis Beatissimæ Virginis de Mercede, commissum sibi officium implevit strenuè. Fœmina illa fuerat multis insignis dotibus, in primisque virtute præclara, juncta conjungio viro æque nobili ac pio SIMONI DE HARO, Cœnobium cũ ipso unà condiderat verè amplissimum, & quòd Mexicana inter omnia primatum tenet conceptæ sine labe Deigenitricis nomine insigne, quam ardentissime deperibat: Ut verò haud segniter ferebatur in civem suum BEATUM PHILIPPUM A JESU, Martyrij corona illustrem, strictioris Observantiæ Seraphici Ordinis professorem, Mexicanæque Urbis Apostolica Authoritate Patronum; huic Monasterium voluit esse devotum, quod in proprijs ædibus, ære præterea suo, fabricari constituit, Capuccinisque Virginibus tradi. His Alphonsus intentus, advectas ex Hispania anno 1665. ut exciperet, in Portum Veræ Crucis iter instituit, comitem se illis præbuit, & constitutas Mexici operâ, consilio, omnibusque juvit officijs, curas suas & cogitationes operi impendens pijssimo, Cœnobioque construendo, quod

& Patriæ & Regno, in quo deinceps Inſtitutum iſtiuſmodi propagatum fuit ac difuſſum, decori eſſet eximio, opimoſque ſanctitatis fructus daturum, ut ſubinde egregie de publico meritus fuerit Noſter. Apud S. Inquiſitionis Tribunal Ordinarij Judicis pro Jucatanenſi Epiſcopo munere ornatus, inter Cenſores etiam, qui Theologi probatiſſimi ſunt, adſcriptus, Fidei Quæſitoribus cum primis acceptus, utriuſque officij partes explevit. Integerrimo itidem Senatu eodem juſta ſolemniſſime perſolvente Magno Hiſpaniarum Regi Philippo IV. juſſus dicere è ſuggeſtu paruit, deditque

Concionem funebrem,

quæ impreſſa habetur Mexici in Typographiâ, quâ pro ſecretioribus ſchedulis id temporis utebatur Inquiſitio Mexicea, Joannis Ruiz anno 1667.in quarto,cũ alijs ejuſdem funebris apparatus opuſculis.

30 Graviora Alphonſi monumenta Theologica & Philoſophica temporum injuria periere, niſi latitent in ſcrinijs vel tabularijs nobis ignotis. Laudat ipſum Illuſtriſſimus Præſul Mexicanus D. D. MATHÆUS ZAGADE BUGUEIRO in Litteris ad Cardinalem de Aragon datis, quas unà cum Monumentis alijs Cœnobij Capuccinarum legimus in Libro erectionis ejuſdem apud ipſas de more ſervato. Meminit item Noſtri Plaza in Chronicis Univerſitatis. lib.5.n.90.Itemque P. Fr.Ignatius de la Peña, Franciſcanus, in Throño Mexicano part. 1. cap. 2. pag. 7. & cap. 10. pag. 37.

31 ILLMUS.D. F.ALPHONSUS DE BENAVIDES, Natione Mexicanus, anHiſpanus, ſcireadhuc non potuimus, S. Franciſci Regulam in Provincia Sancti Evangelij ſequutus, varijſque diſtentus officijs,Cuſtos, ut dicitur,in Novam Mexicum deſtinatus, Regionem illam à veteri Mexico,Primaria Americæ Septentrionalis Urbe, quadrigentas non minus leucas diſtantem inviſit. Superior ut erat exactus, cùm Religioſis viris in Colonijs diſperſis, Indorumque converſionem procurantibus, ipſis tum etiam, & paganis, & cathecumenis, & chriſtianis invigilabat. Creſcebat id tẽporis res chriſtiana adventantibus Barbaris alijs,Xumanis dictis, quos multæ brevi Nationes ſunt imitatæ, Magiſtros petentibus, qui ipſos Legem Chriſti docerent, ſacroque lavacro recrearent: Quòd ſcilicet honeſtiſſimam ſe vidiſſe audiſſeque Virginem affirmarent, eadem indutam veſte, qua illi ipſi utebantur Religioſi quibus cùm loquebantur, hortantem monentemque ita agere,ſi fœlicitati conſulere ſibi perpetuæ vellent. Porrò miſſis illùc à Superiori Religioſis, ut deprecatores avebant, è voto ſucceſiſſe gratulati ſunt per brevi & ſibi & Indis, quorum plurimos chriſtianis rudimentis inſtructos ſalutaribus Baptiſmi aquis abluerunt, alios autem, corpore languidos, ſacro Crucis ſigno, ceu præſentiſſimo pharmaco, infirmi-

taribus liberarunt, ut Author est Betancurtius in Theatro Mexicano 4. part. tom. 3. cap. 3. & 4.

32 Interea Noster veterem, Superiorum jussu, Mexicum repetens, in Hispaniam mittitur gravissima acturus negotia, & in primis illa, quæ nuper detectæ Novæ Mexici incrementis in Fide congruebant: Digressus parumper in Graccarim, seu Agredam Villam, Virginem salutavit Abbatissam Monasterij Franciscanarum MARIAM A JESU, cujus egregiæ fama Sanctitatis jam tunc maxime percrebuerat, nec antiquam solùm, verùm Novam etiam Hispaniam pervaserat: à qua tandem Virgine didicit Ipsam illam esse, quæ Xumanas pridem monuerat Indos, Deo sic volente, uti Ecclesiæ Catholicæ aggregari curarent, petitis, qui eos instruerent, Ministris, si fides habenda cùm alijs, tum etiam citato nuper Betancurtio, à quo simul accepimus, nostrum Alphonsum Archiepiscopum Goanum apud Orientis Indos inauguratum fuisse, junctâ scilicet tuncusque Hispaniæ Lusitaniâ, rerumque potiente Catholico Rege cùm Occidentalium Indiarum, tum etiam Orientalium, quarum caput est Goa, Urbs quidem amplissima ornatissimaque. Alphonsus obtulit Magno Regi N. Philippo IV. supplicem Libellum hispanice scriptum, postea à JOANNE GRANEDONC, Franciscani etiam Professore Instituti, latium factum, editumque Salisburgi anno 1634. in 8. Nempe *Enarrationem de magnis Thesauris spiritualibus & temporalibus Deo adjuvante in Nova Mexico detectis.* Matriti in Tipographia Regia, anno 1630. in quarto. Meminit Authoris & Operis hujus Antonius de Leon Pinelo in Epitome aucto Matriti 1738. tom. 2. col. 609. ubi notat, Geographiam Novi Mexici ab Alphonso hîc traditam in compendium reductam à Laet lib. 6. cap. finali. Opus etiam & Authorem refert NICOLAUS ANTONIUS in Bibliothecâ Hispaniæ Novâ p. 10. Edidisse præterea Nostrum *Libellum alium supplicem ad Regem nomine admodum R. P. Petri de Santander Indiarum Comissarij generalis,* 1630. Author est citatus Pinelus eodem tom. 2. col. 792.

Item scripsit Idiomate Hispano, *Epistolam ad Missionarios Ordinis in Mexicana Conversione S. Pauli missam.* Matriti anno 1631. in octavo:

Quam & JOANNES A SANCTO ANTONIO in Bibliothecâ Franciscana tom. 3. inter Appendices memorat, & perdoctus Capuccinus P. ECIJA affert in Libro, cui titulum dedit: *Murus inexpugnabilis Mysticæ Civitatis Dei,* cap. 12. fundamento 12. & PINELUS citato supra tom. col. 915. qui monet asservari Manuscriptam in fol. in Bibliothecâ Barciæ.

33 P. ALPHONSUS BONIFACIUS, Natione Italus, Mexicanus Domicilio, in Provinciâ Societatis SESU Novæ Hispaniæ cooptatus, solemni Professione quatuor votorum

torum clarus, ministerijsque ejusdem Instituti deditus multis, cum Rectorem ageret Maximi Collegij SS. AA. Petri & Pauli Mexicei, hispanam edidit Epistolam

Encyclicam ad Socios de obitu, virtutibus, ministerisque P Petri Joannis Castini. Mexici, apud Viduam Bernardi Calderon 1664. in quarto.

34 ALPHONSUS BONILLA, Natione Hispanus, Beaciæ in Bætica natus, Mexicanis adscriptus Domicilio, publica fecit vernaculo sermone

Carmina in honorem conceptæ sine crimine Deiparentis. Mexici in Typographia Joannis Ruiz 1653. in quarto.

35 ILLMUS. D. M. D. FR. ALPHONSUS BRAVO DE LAGUNAS, Episcopus Nicaraguensis, Natione Mexicanus, apud Tepeacam, Diœcesis Angelopolitanæ Urbem, nobilibus parentibus ortus, Ordinem Sancti Francisci in Conventu Mexiceo 28. Martij anno 1619. professus fuit, postquam Universitatis Gymnasia diu frequentaverat, à queis Philosophiam, Theologiam, & Canonicum jus imbiberat, laureasque reportaverat. Cathedris admotus regendis, primùm Aristotelica placita triennio juxtà Scoti mentem illustrata discipulis obtulit, mox duodecim annis in tradenda Theologia insudavit, atque Emeriti Lectoris gradum pro laboribus tenuit. *Magister* ea ætate pro eruditione audiebat egregiâ, plurimique à doctissimis & gravissimis viris ducebatur. Mexicei Pro-Reges majoris negotia momenti ad illum referre solebant, Quæsitoresque Fidei Censoris insignitum honore audire amabant. Porro in oratoria facultate & sacris exponendis litteris celebris erat, proque solemnioribus festis Ecclesiastem ut ageret curabatur. Mexiceo Cœnobio non semel præfectus, alijsque, bis Deffinitorem egit Provinciæ suæ, cui in delicijs erat ab egregio disciplinæ regularis tenendæ zelo, & à religiosis moribus, queis se exemplar præbebat. Anno 1665. Pontifex Nicaraguensis electus, Goatemalæque consecratus, pastorali statim incubuit officio, Diœcesimque lustrandam suscepit; prius verò quam totam circumiret Provinciam, mortem oppetijt, cujus corpus Granatæ Nicaraguensium conditum, biennio post integrum est repertum, quod tamen anno 1686. Anglis prædonibus locum invadentibus, Templumque Cathedrale impiè cremantibus Feria V. in Cœna Domini, in cineres abijt. Abijsse quoque scripta ejus facile crederemus fugientes nos, ni spes esset forsan à Sodalibus custodiri. Quæ supersunt nomina traditione, indicare non piget.

Cursus Philosophicus ad mentem Scoti.

Tractatus Theologici ad ejusdem subtilissimi Doctoris mentem instructi.

Conciones multæ.

Consulta varia.

Ejus meminit BETANCURTIUS, in *Tractatu de Illustrissimis Provinciæ S. Evangelij Episcopis* post *Menologium* pag. 136. num. 7.

36 ILLMUS. D. D. FR. ALPHONSUS BRIZEÑO, Natione Peruanus, in America natus Meridionali, insigni Urbe Chilensi, Domicilio Mexicanus, 19. ætatis anno Ordinem Minorum Limæ (quæ Peruanis Civitas est Primaria multisque nominibus Regia) amplexatus est professione. In Philosophicis & Theologicis non tinctus modò, sed imbutus, Lector utriusque Facultatis, alios inter benemeritos istiusmodi petitores honoris, electus, quindecim totis annis expletis in docendi munere, Emeritus jure habitus est, tanti que â sapientibus factus, ut Secundus audierit Scotus. Collegijs, Cœnobijsque multis præfectus, Provincias visitavit non nullas magno ubique Fidei & Religionis incremento, quòd curæ ipsi esset in primis, ut subditi sibi Religiosi Indorum salutem attentissimè quærerent. In Europam à Provincia sua delegatus S. Francisci Solani Canonizationis Causæ Procurator eximius, & pro Comitijs Generalibus suffragator, Romæ gloriam apud Litteratos promeruit insignem, ubi Præsidem egit Scholasticæ Concertationis, speciemque obtulit egregiæ sapientiæ coràm gravissimis, qui aderant, ex omnibus Ordinibus viris. Matritum reversus, inibique ex meritis notus, â Rege Catholico Philippo IV. pro Episcopatu Nicaraguensi in America Septentrionali præsentatus, Bullis ab Innocentio X. Pontifice Maximo acceptis, sanctèque inauguratus, Ecclesiam illam, qua decet vigilantissimum Pastorem diligentiâ, rexit, quousque in eam quæ de Caracas dicitur, translatus, huic moderandæ totus incubuit. Ejus fecere, non sine magna laude, memoriam ÆGIDIUS GONZALEZ DAVILA in Theat. Ecclesiæ Nicaraguæ, UVADINGUS, verbo ILDEFONSUS, ALVA in Militia pro Immaculata col. 676. NICOLAUS ANTONIUS in Appendice altera ad Bibliothecham Hispaniæ Novam pag. 315. Et JOANNES A S. ANTONIO in Bibliothecâ Franciscana tom. 1. p. 39. scripsit

Celebriores controversias in primum Sententiarum Scoti, admixtis potissimum dissertationibus Metaphysicis, tomis duobus in fol. Matriti ex Typographia Regia anno 1638.

Apologiam de vita & doctrina Joannis Scoti Doctoris Subtilis, ac B Amadæi. Ibidem, in tomo 1.

37 P. ALPHONSUS CALVO, Natione Hispanus, Mexicanus Domicilio, Societatis JESU Novæ Hispaniæ Provinciam adlegit, & quatuor Deo vota nuncupavit: Collegio S. Gregorij Mexiceo Rector datus, excolendis pro instituti ratione formandisque ad omnem virtutem Indis, cùm viris, tum fœminis in Templum, eorundem potissimum usui destinatum, con-

conffluentibus, se dedit; optime que meriti de eisdem Indis, deque Familiæ sanctissimis Institutis, Socij vita functi Encyclicam scripsit sermone hispano

Epistolam de religiosa vitæ ratione, exatlantis laboribus, felicique morte P. Josephi Maria de Guevara. Mexici Typis Josephi Bernardi de Hogal 1727. in quarto.

38 Fr. Alphonsus Camacho, Natione, ut videtur, Mexicanus, ortusque Goaxacæ, ibidem Ordini Prædicatorum in Provincia S. Hippolyti Martyris nomen dedit, solemnique more professus est 25. Februarij anni 1604. Studijs exactis, initiatusque Sacerdotio, totum se Indorum doctrinæ salutique mancipavit. Uti eminentissimus in Idiomate erat Zaapotecano, Magistrum ejusdem utilissime egit, nec tantùm verbis, sed scriptis etiam cùm illius Nationis Indos, tum eorundem Parochos & Ministros egregie juvit, concinnato docte juxtà pie que Libro, cui titulum dedit hispanum, cæteris omnibus Zaapotecarum pro suo instituto linguâ conscriptis: Ita habet latine:

Tractatus de septem Sacramentis Zaapotecano idiomate cujus usus in Valle Goaxacæ.

Hoc in Opere pharmaca pro animarum salute præsentissima exhibet octo, Sacramentorum septem tractationi Dissertationem de Verbo Dei utilissimam jungens, quo de agit in proœmio, fuso satis sermone. Agebat in vivis anno 1635. Liber autem Mss anno 1746. usui erat P. Dominico Saens de Miera, ejusdem Provinciæ Alumno, Indorumque memoratæ Nationis Parocho, pro ut habemus in Scriptorum Catalogo ab humanissimis ac Religiosissimis Dominicanis Patribus Goaxacensibus ad nos misso.

39 Alphonsus Carrillo de Albornos, et Guzman, Natione, nisi fallimur, Mexicanus & Patria, Baccalaurusque in Scholis Mexiceis, scripsit hispanis numeris

Poeticam enarrationem solemnissimæ pompæ, qua illustris Mexicana Civitas miraculis insignem Imaginem Deiparæ, sub titulo de Remedijs, excepit, ê Sanctuario suo in Basilicam Metropolitanam deductam. Mexici, Prælo Hæredum Joannis Ruiz 1678. in quarto.

40 M. Fr. Alphonsus del Castillo, Natione Mexicanus, Goaxacensis Patria, Clarissimo Prædicatorum Ordinis Conditori se filium dedit in Provincia S. Hippolyti Martyris, quæ in tota Diœcesi Antequerensi religiosissima viget atque doctissima. Inibi Philosophiam ita excoluit atque Theologiam, ut docere ipsam postea valuerit, Lectorque tot annis tradiderit, quanti pro obtinenda Magisterij laureâ Ordinis statuta præscribunt. Eidem præfectus Provinciæ superioris munus non absque laude gessit. Quòd autem eximio adversus Parentem Sanctissimum Dominicum suum

ſuum flagraret amore, nec ſegnius in Deiparentem Virginem involaret; hujus ut religionem & illius additis ſtimulis vehementius incenderet, publicæ luci dedit vernaculo Idiomate

Conciones duas; alteram habitam in ſolemni collocatione Imaginis S. *Dominici, Soriani dicti; alteram de Beatiſſimâ Dei Matre*: utramque Formis Bernardi Calderon, Mexici 1636. in quarto. Habemus eas inter collectas à nobis in quarto tom. 13.

41 FR. ALPHONSUS DEL CASTILLO, Natione Hiſpanus, Domicilio Mexicanus, quòd ê Provincia Angelorum Ordinis Seraphici, non dum ſacris initiatus, in Collegium Goatemalenſe de Propaganda Fide, Chriſto Domino Crucifixo devotum, migraverit, juvandarum zelo animarum, quas Apoſtolici Inſtituti profeſſores illius & ſimilium Collegij toto niſu nullique parcentes labori, non modò Fideles inter, verũ inter Paganos ipſos perquirunt. Tomum in folio Mss reliquit hiſpano ſermone continentem

Conſultationes Morales varias.

Apologiam pro Privilegijs Miſſionariorum de Propaganda Fide.

Authographa ſervantur in Bibliothecâ ejuſdem Collegij.

42 ILLMUS. D. M. D. FR. ALPHONSUS DE CASTRO, Natione Mexicanus & Patria, electus Epiſcopus Eccleſiæ â Conceptione, Chilenſis dictæ, apud Americam Meridionalem anno 1637. Ordinem S. Auguſtini in Conventu Mexiceo profeſſus fuerat, apud quẽ Magiſtri in Sacra Theologia lauream retulerat, poſtquam Philoſophiam tradiderat & Theologiã. In Europam, Provinciâ ſuâ jubente, profectus, cùm in Hiſpania, tum etiam Romæ multi habitus à virtutum & literarum ornamentis eximijs, Aſſiſtentis pro Hiſpaniâ munus in Familia primarium coram generali Præfecto prudentiſſime geſſit, indeque â Catholico Rege Pontifex, ut diximus, in Peruvia deſtinatus regna, ſacris præ humilitate infulis reluctatus, de Ordine ſuo benemereri ad mortem uſque voluit. Scripſit

Philoſophiæ Curſum,

Et

Tractatus Theologicos varios,

Quorum præter memoriam habemus nihil.

Meminere ejus ÆGIDIUS GONZALEZ DAVILA, in Theat. dictæ Eccleſ. Concep. Chilenſis fol. 89. col. 1. SALINAS, Franciſcanus, in Memoriali ſuo fol. 110. n. 189. & BASALENQUE, in Chron. Provinciæ Michoacanenſis Auguſtinianæ.

43 P. ALPHONSUS DE CASTRO, Natione Hiſpanus, ortus Toleti, Domicilio Mexicanus, Societatis JESU Inſtituta ſuſcepit, nuncupatisque quatuor Deo votis, Theologiam Scholaſticam Ocaniæ cum P. GABRIELE VASQUEZ, Doctore celeberrimo atque graviſſimo, profeſſus eſt, & Moralem

lem multis annis explicuit, ut verbis utamur Bibliothocæ ejusdem Societatis. Hispalensem Professorum postquam rexerat Domum, Novæ Hispaniæ Provinciam petijt, cui etiam Præpositus datus est. In pristinam reductus, eodemque apud ipsam auctus honore, Hispali ad Episcopum Pacis Juliæ, negotijs maximi utique momenti ita suadentibus, iter arripuit, ex quo laborare cœpit morbo, cui brevi succubuit, exactis que 69. ætatis suæ annis, virtutibus clarus in Collegio Fregalanensi ad multos abijt. Reliquit in Schedulis tornatum optime Commentarium

In Constitutionem Clementis VIII. de Largitione munerum utriusque sexus Regularibus interdictâ.

Opuscula ad Moralem spectantia Theologiam varia non ad finem usque ducta elaborasse citatæ Bibliothecæ Societatis Author testatur.

44 D. ALPHONSUS CHICO DE MOLINA, Natione Hispanus, cujus incomperta nobis est Patria, Mexicanum adeptus est Domicilium, & Metropolitanæ Decanatum Ecclesiæ non multo post ejusdem constitutionem: Nec diu ab erectâ Universitate Mexicanensi, decennio nempe, ejus in Theologia Doctoribus atque in Philosophia Magistris cooptatus est, quarum infulis Facultatum in Academia Seguntina redimitus fuerat jam pridem. ILLMO. D. D. FR. PETRO DE LA PEÑA, Dominicano, qui primus Antecessor Primariæ Theologiæ Cathedræ fuerat, in Hispaniam abeunti, suffectus, Cathedram ipsam moderatus est triennio, quòd dein negotijs ab Archipræsule ipsi commissis distentus, quotidianis adesse prælectionibus se non posse videret; & quòd mox ipse quoque navigare ad Hispanos opus habuerit. Quas elucubravit Theologicas pro auditoribus Disputationes hactenus nos fugerunt, invenitur tamen in Bibliothecâ Congregationis Oratorij Mexicanensis tom. 1. variorum Opusculorum Mss in folio, sermone vernaculo

Judicium de famulatu Indorum & operâ.

Meminit Authoris Plaza in Chronicis Universitatis Lib. 1. c. 3. num. 10. & cap. 20. n. 177.

45 P. ALPHONSUS CORONEL, Natione Mexicanus & Patria, Societatis JESU, Rhetoricæ Professor in Maximo SS. AA. Petri & Pauli Collegio, scripsit

Concertationem poeticam in Natalitijs festis Jesu Domini sub jovis schemate.

Extat in primo ex tribus hujus argumenti Libris in Bibliothecâ ejusdem Collegij ad annum 1677.

46 ILLMUS. D. D. D. ALPHONSUS DE CUEVAS DAVALOS, Natione Mexicanus & Patria, natus est die S. Catharinæ Virgini & Martyri sacra, anno 1590, Parentibus sanguine & stirpe clarissimis, Alphonso item de Cuevas, & Anna Davalos: Genitor originem

nem ad EDONEM usque Cantabriæ Ducem, inclytæque Domus conditorem repetebat; Mater nihilo inferior nobilitate viro, in LUPECIO VELA Aragoniæ Infante, SANCTIJ RAMIREZ hujus nominis primi, Aragoniorum Regum secundi, filio radicem generis habebat eximij. Avitis stemmatibus proprias uterque adjunxit virtutes, quas cùm opes haud exiguæ comitarentur, magni semper habiti fuere, Familiaque insignis Primarias inter Mexicanas adscripta est omnium ordinum consensione. Norter optime educatus à teneris, christianos imbibit altissime mores, quos adultus multo coluit diligentius, Sanctorum vestigijs insistens, uti perfectionis teneret verticem. Prius imò quam à Parentibus hæc audire valuerit, præventus â Deo, eximium se virtute futurum portendere visus est: nam triennis ecclesiastici formam jejunij ferijs secunda, quarta, & sexta servabat. Sexto ætatis anno charismata cœlitus accepit egregia, altissimâ ex tunc infusâ dives contemplatione, orationisque spiritu eximio, quem deinceps mirabiliter augens, Magistrum ejus egit insignem praxi theoricem jungens. Decimum haud egressus annum, Servatorem nostrum pulcherrimi specie pueri conspexit, singulisque diebus per annum integrum, qua illum horâ suspexerat adveniente, ardebat amore, miraque spiritus suavitate perfundebatur.

47 Grammaticam, Rhetoricã, Philosophiam postquam, primos inter socios numeratus, addidiscit in Collegio Maximo SS. AA. Petri & Pauli Societatis JESU â Magistris cultissimis, Academicam que laurum emeruit, Theologiæ studium totis nervis arripuit, consummatisque ab Scholis præscriptis curriculis, abstinere ab ejusdem infulis constituerat, unique Deo vacare, quæ mundi sunt cumque despiciens; obstitit tamen Religiosus vir, ut videtur, ignotus, qui eum monendi gratia Dei nomine domum ingressus, suasit, uti Doctoratus insignia capesseret, sciretque hac Deo via pro ipsius beneplacito obsequturum. Itaque inter Alumnos Collegij Majoris Divæ MARIÆ & omnium Sanctorum adscriptus, prolusionibus, rigidioribusque examinibus præcedentibus, quæ Universitas Mexicea candidatis præscribit, Doctor in Sacra Theologiæ Facultate fuit creatus. Rector etiam ejusdem in Academicis Comitijs anni 1632. electus, strenuè functus est munere amplissimo, & postmodum anno 1655. Pro-Cancellarius datus, haud exacte minus id honoris obivit insignis.

48 Eo ferme tempore quo Doctoris lauream fuit assequutus, laborabat gravi & diuturna oppressus ægriditudine Primarius Theologiæ Antecessor ALPHONSUS MUÑOZ, vir clarissimus, Rectorisque Academici jussu Noster professionem illam suscepit, fereque sexen-

xennio Cathedram moderatus Primariam, auditorum utilitati, quibus erat præditus litteris & virtutibus, exacte profpexit. Fato ubi conceffit Alphonfus Muñoz, alios inter Cathedræ petitores Nofter comparuit, atque ut aufpicatò Prælectionem de more haberet, prius exorandum fibi duxit Supremum Numen. Florebat eo tempore Mexici eximiæ fama Sanctitatis probatiffima Virgo AGNES A CRUCE, cùm à multis alijs emunctæ naris hominibus, tum à PP. GODINES ET FIGUERA, Myfticæ Theologiæ luminaribus fulgentiffimis, plurimi habita, quæ à Regali de JESU & MARIA Monafterio, ubi Regulam, quam Conceptionis dicunt, profeffa fuerat, in Fundatricem Cœnobij Carmelitarum primi Mexicei Superiorum authoritate tranflata fuit, pro ut eruditiffimus nofter CAROLUS DE SIGUENZA, in *Paradifo Occidentali*, feu Hiftoria polititiffima Monafterij de JESU MARIA mox infinuati, longe habet: Hanc Alphonfus Virginem enixe rogavit, ut pro Cathedræ, quam petebat, negotio preces ad Deum funderet: Tum verò illa deprecatorem monuit uti Breviarium, quod habebat præ manibus, aperiret, ceu is qui ornandæ Prælectioni oblatam forte requirit materiá: Paruit ille, & femel, atque iterum, & iterum forte aperto volumine facro, Evangelica femper illa verba fuccurrerunt â Servatore noftro prolata: *Ego fum Paftor bonus & cognofco oves meas.* Scilicet, intulit protinus multo afflata lumine Agnes, repofuitque Alphonfo: Epifcopum, non Anteceflorem Academicum deftinavit Te Deus. Et porrò non præfagijffe rem, fed oculis luftraffe eventus docuit. Nofter fiquidem morbo præpeditus apoplectico fimili, pedem referre ab inftituto petitionis itinere coactus, ad majora fervatus eft.

49 Intereâ vita functo FRANCISCO LOZA, viro multis ornatiffimo dotibus, qui quondá V. GREGORIO LUPECIO comes fuerat, & primus Therefianis Monialibus datus à Sacris Confeffionibus, cùm is quoque qui ei fucceflerat in eo munere brevi diem obierit poftremam; Nofter in ejufdem, reluctans licèt & invitus, fuffectus eft locum. Quòd enim memorata fuperius Agnes Monafterium regeret, ê re fua judicans Confeffarium multis â Deo precibus exorare, qui Religiofarum Virginum inftructioni profectuique in virtutibus aptior effet futurus; tandiu inftitit orationi, quo ufque à Deo accepit, unum ad id officij deftinatum â fe effe Alphonfum. Hunc illa protinus per Epiftolam requifivit, obteftataque eft multis, uti vellet fefe inftituendis Virginibus Carmelitis addicere. Ut ille tamen humilimus erat, tanto fe imparem oneri effe refpondit, aliaque cogitare.

50 Superiores pro inde Agnes convenit, qui cum Alphonfo agerent, ut ejufdem obtemperaret fuppli-

plicationi. Frustra tamen illis conātibus, ventum est ad prodigia. Nam oranti Alphonso de more, quadam nocte visa est Sanctimonialis Carmelitanis induta vestibus ingredi conclave, auditaque petere, ut Theresianum adiret Cœnobium. Obstupuit Alphonsus, pollicitusque est se Monialibus sistere non tardius quam postera die. Dictis ut staret, mane sequenti egreditur ê domo, petiturus rectà, ut decreverat, Theresianam. In itinere verò obniti adeo repugnareque cœpit, ut mutato consilio in Academiam ierit ê suggestu, cui, ut dictum est, præerat, Theologiam auditoribus traditurus. Rursus cũ assuetis meditationibus nocturno, quod excepit diem hanc, constituto sibi vacaret tempore, ecce Carmelitana Fœmina iterum illi sistitur, loquitur, conqueritur, graviorique aspectu quod pridem postulaverat deprecatur. Stupore correptus, & suavi, quam etiam præcedenti senserat nocte, fragrantiâ perfussus, denuo fidem adstringit uti proxime nasciturо Sole ædes Monialium adeat. Aditurus tempestive pergere incœpit; destitit tamen, ut fecerat pridie, haud minore pressus difficultate, atque in Aulam Academiæ se contulit. Vix ascenderat Cathedram, & ignotus sibi juvenis proxime illam accedens, urbanissime scíscitatur, Quid causæ sit ut Carmelitarum iteratæ Virgiumn petioni tam se difficilem præstiterit, & adhuc subtraxerit? Hæc ubi Alphonsus excepit, continuò ê Suggestu desilijt, & Monasterium petijt, cujus ad loculatam Rotam Agnetem præstolantem ipsum invenit; atque ei socijsque consilio juvandis, Sacramentis fovendis, & omnibus religiosis officijs instituendis se dedit, magno eorumdem compendio, quoad, Deo illum ad Episcopalem apicem vocante, sedem unà solumque mutavit.

51 Angelopolim, Urbé amplissimam, eo consilio petijt, ut candidatum ageret Sacerdotij, quod *Magistrale* dicunt, erudiendisque Fidelibus ê pulpito in Ecclesijs Cathedralibus est destinatum. Probatus ad id muneris ab Illmô. ornatissimoque Capitulo, propositusque, ut moris est, unà cum duobus alijs etiam in Theologiâ Doctoribus, multis & ipsi titulis clari, Catholico Regi nostro, cujus est ê petitoribus unum eligere, destinatus tandem & institutus, ut doctissimus erat, & in adhortando populos fervétissimus, Concionatoris partes omnes implevit, Canonicosque inter multùm effulsit. Dein honoribus auctus, à Thesauris fuit ejusdem Ecclesiæ, postmodum Archidiaconus constitutus, donec in Metropolitanam advectus Regiâ jussione, Decanatus dignitate, quæ omnium post Pontificalem primas tenet, pro eximijs meritis fuit potitus. Quòd verò hæc altius illum evehendum peterent suapte, pro Ecclesia Nicaraguæ Præsul designatus à Rege

ge fuit, cui tamẽ se honori subtraxit; nec multo post cedere coactus iteratæ in Episcopale culmen vocationi, Goaxacenses infulas demum suscepit, egregio vastissimæ illius Diœcesis commodo: In eam siquidem ut se contulit, Pastoris officia vigilantissimi omnia quam dici potest cumulatius perfecit: nam, ut prætereamus alia quæ verbo & exemplo quotidie experientibus erant profectui juxta & admirationi, maxima enim verò digna est cõmendatione accuratissima hominis diligentia in asperrima supra fidem Provinciâ annis singulis visitandâ: Sanè cunctatus nihil, inaccessos propemodum mótes, præruptos colles, ambagibus difficillimas vias, obviantia sæpe & tumentia flumina, nunc hàc nunc illàc petebat, Indos perquirens, edocens, sacro Confirmationis chrismate inungens, eleemosynis juvans, cæterisque charitatis officijs, quibus etiam & Hispanos, & aliarum homines Nationum complectebatur; ut propterea Rex Catholicus conscius omnium factus à Comite de Baños, qui ejusdem in Nova Hispania vices agebat, Epistolam ad Nostrum scripserit datam Matriti 30 Augusti anno 1673 grates illi rependens egregias pro navata strenuissime opera in arduo hocce munere, ejusdem zelum plurimi faciens, testatusque nullum se de similibus dubitare.

52 Hæc aliaque gesta, cùm pro Religione servandâ, tum pro Ecclesiasticâ disciplinâ à Parochis, cæterisque Clericis, ut par est, habendâ, conjunctaque zelo mansuetudo singularis, eximia comitas, & pacis studium insigne, facili negotio fecère, ut viduatæ Pastore Metropolitanæ Ecclesiæ Mexiceæ Archiepiscopus fuerit datus, quod honoris fastigium nullus antea Mexici ortus conscenderat, nec porrò hactenus scandit, novercante plerumque fortunâ, dignissimisque sæpè invidente. Redux in Patriam, possessionem nactus incredibili non gentilium modò suorum lætitiâ, sed quot quot illam incolebant cujusvis Nationis & conditionis hominum gaudio; quamvis totus fuerit in pascendo commisso sibi grege numerosissimo, mortem, quam non longe aut præsciverat, aut opinabatur dissitam, vigilantius opperiebatur.

53 Menses egerat novem in Mexicana sede, accedenteq pervigilio Assumptæ in cœlum Virginis Deiparentis, cui addictissimus erat, proptereaque anniversarium festum Goaxacæ proprio ære dotaverat; diem auspicaturus à vesperis, dum hæc solemnissime, de more, cantarentur in Metropolitana, interesse decreverat: Capitulocæterisque expectantibus, principio nunciatum convenire non posse, mox verò repentino correptum morbo Præsulem esse, cui quantocyus Eucharisticum pro Viatico Sacramentum deferretur. Delatum statim augustissimâ pó-

pâ, extemporanea licèt, ipſoque ſupplicationem comitante Pro-Rege, Excmô. Comite de Manzera, qui ut religioſiſſimus erat, & egregias Alphonſi virtutes agnoverat, ubi audivit ipſum languere, inviſit protinus, genibusque poſitis veneratus diſceſſit, reverſurus, Diviniſſimumque pedes aſſociaturus. Synaxi ſacratiſſimâ devotiſſime ſumptâ, proloqui &ſi ægerrime poſſet Noſter, conatus eſt tamen haud paucis adſtantes Capituli Alumnos cæterosque monere, uti pacem ſervarent, Deique promovendæ gloriæ ſtuderent. Turbata præſto Civitas fuerat, cunctis proximam dilectiſſimi Antiſtitis mortem dolentibus, Superosque pro ejuſdem incolumitate vocantibus. Morbus tamen creſcens in dies depoſitum ægrum ſuadebat, deſperatamque valetudinem, ut ſubinde Oleo inunctus extremo ſecunda Septembris inchoante, conflictari propius cum morte incœperit.

54 Aderat in Conventu S. Sebaſtiani Carmelitarum Excalceatorum PETRUS A S. ALBERTO, qui multas Familiæ geſſerat Præfecturas, virtutibus conſpicuus, multisque â Deo gratijs ornatus: Is matutinis precibus de more ſolutis, Chorum egrediens, Superiorem alloquens, inſtare inquit tempus Archipræſulem adjuvandi in agone ſupremo, cui non ſemel adſtiterat decumbenti: juſſus â Prælato ſocium ſibi adciſcere, pergereque in Archiepiſcopi ædes, ubi ad illas acceſſit, alijs, qui aderant, Sacerdotibus comes datus, ſtatutisque ab Eccleſia orationibus dictis, videre ſibi viſus eſt Alphonſum, multis ſtipatum Angelis alijsque Cœlitibus, per latiſſime patentem campum incedere, pluribus hinc inde ordinatè pauperibus Deum pro illius valetudine ac vita orantibus: Subſtitère pauliſper fulgentiſſimi comites, ac ſi expectarent progrediendum ne eſſet, an regrediendum: Alphonſo tamen innuente ut procederent, extemplò perrexère illi, & ipſe in Dei manus, cujus unius optabat amplexus, ſpiritum poſuit, hora paulo poſt quartam matutinâ, qua, ut pie creditur, aurora ei affulſit numquã interituri luminis nuntia, ſecunda Septembris anno Domini 1665. ætatis ſuæ ſeptuageſimo quinto tribus ferme menſibus demptis.

55 Curatum ex arte moreque cadaver, quod, priuſquam efferretur, triduo manſit expoſitum in Palatio, ut & confluentium multitudini fieret ſatis, optantium manus pedesque oſculari dilectiſſimi Patris ac curatoris, & qua decet mora & ſolemnitate Sacra pro defuncti fierent anima, & à ſingulis Familijs Religioſis ex ordine venientibus, & à Clero & Capitulo Eccleſiaſtico ſolverentur officia mæſtiſſimo cantu, apparatuque ſpectabili atque magnifico. Multo tamen magnificentius quo demum elatum corpus fuit, concurrentibus cum Capitulo Cleri-

cis

cis ferme mille, ut multorũ ſupputatio tulit ea die: Clerum Religioſi ex omnibus,quæ ſuntMexici,Ordinibus cætus frequentiſſimi,ſuam quiſque præferens Crucem: Conſeſſus Academicus Magiſtros, Doctores, Anteceſſores adferens omnes: Urbis Mexicanæ Rectores, Tribunalia quæque Regio inſtituta nomine, Regij Auditores atque Miniſtri, ipſeque Pro-Rex funeſtiſſimâ æque ac graviſſimâ coronâ juſta digniſſimo Antiſtiti perſolventes ſunt comitati. Novédialiâ proxime celebrata âCapitulo, quod parentationē inſtaurare decrevit 25 & 26 Octobris, iterum excitatâ mole funeſtâ, multis diſtincta luminibus, invitatisque qui nuper convenerant omnibus, ut ſacris adeſſent, dicentesque ê ſuggeſtu, veſpere latino, mane hiſpano ſermone, ut fit, doctiſſimos Oratores exciperent, IGNATIUM DE HOYOS, in Philoſophiâ & Theologiâ Doctorem, ejuſdemq̃ Præbendatum Eccleſiæ, & FRANCISCUM DE SILES, Canonicum, ut dicitur, Lectoralem, Veſpertinumque Theologiæ Academicum Profeſſorem, ê quorum typis datis Orationibus multa quæ hactenus de Noſtro ſcripſimus, dabimusque deinceps, accepimus.

56. Porrò & ij, & quos infra recenſebimus, quibus communis favet exiſtimatio, egregias Alphonſi Virtutes commendant,quæ naſcentis Eccleſiæ Patribus ipſum non abſimilem indicant. Eximijs à puero beneficijs præventus â Deo, ut diximus, tyrocinia pœnitentiæ ponere viſus eſt, ea in tantula illa ætate modeſtiâ, ut incredibilis videretur, haud minorique in omnibus proficiendi virtutibus deſiderio. Adultus, præter abſtinentias communes, multoties pane ſolùm contentus & aqua jejunabat. Quandoque rigidiſſimam totos ſeptem dies ſubſtinuit inediam. Sæpiſſime patienti Servatori, feria ſexta, guſtato felle, aut aquæ vice àloe ſumpto, libabat. Accedit, quod credi vix poſſet niſi graviſſimis teſtibus probaretur, inſigneque auſteritatis eſt argumentum: totum tres annos potum ſic interdixiſſe ſibi, ut nec aquam, nec vinum, nec, quæ eſt uſitatiſſima noſtratibus & quotidiana potio, *chocolate* guſtaret: atque ut multo dificilior res eſſet, non ſemel, ceu laxandi animi gratia, Hortos ingreſus, ſalientes deſtinatò intuebatur aquas, fontes videbat, idque genus alia, queis incitato appetitui vim multam inferret. Ter in die flagellis cædi, & ſæpe uſque ad effuſſionem cruoris, habuit ſolemne. Subucula ipſi frequentiſſime horridis hirſutis que ſetis contexta: adjiciebat cilicia, quibus & brachia, & pedes, & lumbos præcingebat arctiſſimè. Somnum in nuda tabula neceſſarium carpebat; atque, ut alia taceamus caſtigandi corporis inſtrumenta, quæ ipſi fuere uſui, pedum ungues adeo creſcere paſſus eſt, ut curvati digitos penetrarint, doloremque continuum induxerint.

rint. Sane, tot tantisque macerationibus corpus afflictum, squalidum, siccisque radicibus haud absimile videbatur. Sub inde haud mirum, egregiâ quod laude castitatis floruerit, instituendisque Virginibus â Deo mirabiliter destinatus, carnis illecebras fugerit, astusque domestici ac fallacissimi hostis devicerit.

57 Orandi studium cùm à puero coluerit egregie, ad ultimam usque duxit ætatem, statas que sibi horas pro cœlestium meditatione constanter servavit, â decima noctis usque ad undecimam, & à quarta ad quintam matutinam; tametsi adeo illi frequens fuerit ea, quam à teneris divitus acceperat, contemplatio, ut diu noctuque Deum cogitaverit ac divina, cœlo etiam intentus varijs semper implicatus negotijs curisque multiplicibus, pro earum, quas gessit, Dignitatum & Ecclesiarum sacris muneribus: multis sæpe lachrymis madidus, tantisque afluens cœli delicijs, ut obrui eis videretur haud semel. Nec propterea desolationibus caruit acerbis, dura passus cruciamenta illa, quæ acceptissimis sibi probandis, evehendisque ad altiora charismata permittit Deus. Tentationes expertus dæmonum, utique insignes, pro imperio etiam cum illis agebat. Conquesta forte Sanctimonialis, quòd multis à tetro genio technis infestaretur turbareturque animo, dum vacare spiritualibus exercitationibus vellet, injunxit Noster uti ad se mitteret nebulonem. Cum ecce scribenti, quam ê suggestu Academicis dictaturus erat lectionem, sistitur cocodæmon: quem cum ille despicatui haberet, Dei nomine jubet, ut in cubiculi angulo expectet, donec ipse ad extremum paginam ducat. Volens nolens obsecundat vafferrimus, objurgatus que dein, tunc demum abscessit, cùm ipsi ille imprecatus fuerat, ne fœminam, quam toties molestaverat, rursus offenderet: nec porrò infestare illam fuit ausus in posterum.

58 Humilitati addictus latere sibi constituerat â juventute, declinareque honores studijs suis & laboribus pares: queis &si non se subduxerit, Dei ut voluntati faceret satis, imò majores quotidie inierit ascensus, divinâ illi Providentiâ viam sternente, ut ad culmen veniret Archiepiscopatus Mexicei; se tamen hæc inter nihili faciebat, in delicijs habens sordidis in Valetudinario ministrare pauperibus, flocci nobilitatem, divitias, plausus, terrena quæque faciens, & quæ â Dei beneficentia acceperat dona insigniora ita tegere studens, ut vel ipsos conjunctos laterent & familiares, â quibus cũ omnibus caveret, vix assequi potuit, ut non multa observarent & nossent. Patriam ingressus Archiepiscopatus dignitate functurus, tota quamvis illa in lætitiam efussa ubique visa fuerit gestire,

tripudiare; *Io* que repetere; fassus ipse tamen ingenuè est, seu Confessario, seu amicissimo, nullum se isthæc movisse cogitantem, dum curru veheretur, nobilibus popularibusque stipatus, instare mortem, funus non longè abesse.

59 Ut est autem animi demissioni mansuetudo conjuncta, tam fuit ille miti lenique conditione, ut etiam corrigens pro munere sontes, objurgationem, quantum fierit posset, condiret, haberetque in usu, quod frequenter in ore, oportere absque strepitu agere istis; ut propterea cunctis fuerit acceptus, non Mexici tantùm, sed Angelopoli, & Goaxacæ, qua de sede promotum omnes ad unum ejulatibus, lachrymis, & id genus alijs doloris signis sunt prosequti.

60 Primas in hisce omnibus charitas in Deum Proximosque tenebat. Quanto in Deum amòre flagraret, conjici inde potest, quòd ejusdem deditus contemplationi, unum illum in omnibus cogitaret & coram haberet, cui unice placere studebat. In Proximos egregium fovebat amorem, eorumdem subinde commodis studens, miserijsque sublevandis intentus. In eleemosynas adeo erat effussus, dici ut illæ vix possint. Non dum in Episcopatum assumptus, quandoque pauperi pro eleemosyna ipsum in domum revertentem convenienti, clericale pallium demisit, habebatque in ore unam satis sibi esse tunicam. Quòd que sanctum haberet, furto haud absimile esse Episcopum aut Clericum superflua non pauperibus erogare, nec necessarijs sibi parcebat. In publicis præcipuè calamitatibus ejusdem charitas & misericordia resplenduit.

61 Anno 1629 aquarum eluvionem patiente Mexico, multos ille egenos in suburbijs latentes, vixque non immersos, delata alimonia curavit; cùmque conquirendi gratia panis pro Virginibus Carmelitis, quibus tunc præerat, quotidie in Oppidum tria millia ab Urbe distantem, *Tacubaya*, pergeret, pauperes circum illud degentes, & in itinere mane operientes, ipsum ut conspicabantur, inclamabant, gestiebantq; gratulantes sibi de pane, quem libentissime largiebatur. Archidiaconus eo tempore Angelopolitanus, quo sævissima pestis Indos invasit, quos publica Xenodochia capiebat minime, amplam ipse domum in Valetudinarium erexit, ubi correptos lue plurimos adduxit, suisque sumptibus cibos, pharmaca, Medicos, Chirurgos, & quidquid pro illorum opus erat valetudine & auxilio, illis supeditavit. Episcopus, Archiepiscopusque inauguratus, multo effusius liberalitati in egentes indulsit, Ecclesiasticos redditus in eos conferens & Dei cultum, quibus cósanguineos suos ditescere nunquam permisit.

62 Maritandis puellis dotes multis exhibuit, viduis, alijsque clam

clam petentibus, ſubſidia in menſem, in hebdomadam aſſignabat; trecentis quotidie pauperibus ad meridiem panes tribuebat: multò quam longiſſime pluribus minutas ex argento monetas ſingulis ferijs ſextis ad januam venientibus conferebat, paſſus nunquam inopes ſinere deſſolatos. Quando que deficientibus nummis, & pretioſis mobilibus, pauperem bonis tantum verbis datis dimiſſerat. Sed ſtatim revocavit pannoſum, & ablato periſtromate de pariete, nec nudum, nec vacuum pergere juſſit. A Sede Goaxacenſi Mexicum venturum ut comitarentur, eò ſe contulerant Canonici Mexicani duo, Capituli nomine gratulantes Prælato, urbaniſſimeque obſequentes, atque ut viaticum abundans, & quæ illi cumque neceſſaria eſſent ſuppeditarent, aliquot argenti cuſi millia in promptu & numerato eſſe dixerunt: Nec ipſe moratus, duo milliâ pauperculæ moniali, ut dote completâ, ſe Deo conſecraret, illico deſtinavit: huic pro victu numinos, alteri pro veſtitu haud paucos dedit, ut propterea Deputati Mexicei feſtive dixerint, oportere Archiepiſcopum domi recludi, ne, ſi ita pergeret, omni deſtituti viatico cogerentur longum iter arripere. Sane, Dignitates poſtquam redditibus copioſas multos obtinuit annos, duasque rexit Eccleſias opibus ſcatentes, tam omnibus deſtitutus ê vivis exceſſit, ut vix geminam ſubuculam, totidemque ſindones in extremis habuerit, viceque argenti & amplæ ſupellectilis, cilicia, flagella, aliaquè affligendo corpori, ê ferro, chalybe, cuſpidata, conſperſa que ſanguine in ſcrinijs inventa fuerint.

63 His, alijsque latentibus nos heroycis virtutum exemplis, eximiam Sanctitatis famam ad poſteros tranſmiſiſſe mirum non eſt, multisque ipſum laudaſſe, ejus qui memoriam in ſcriptis fecere, quos inter ex noſtris FR. BALTHAZAR DE MEDINA, in Chronicis Provinciæ S. Didaci Mexicanæ fol. 140. col. 1. FR. AUGUSTINUS DE BETANCURT, in Chronicis Provinciæ S. Evangelij, cujus ad calcem adjectus eſt Tractatus Urbis Mexiceæ p. 18. n. 86. P. FRANCISCUS DE FLORENCIA, in Hiſtoria Imaginis SS. V. Deiparentis de Guadalupe Mexicanæ fol. 86. n. 178. & fol. 122. n. 240. D. CAROLUS DE SIGUENZA, tum in Paradyſo Occidentali fol. 151. n. 374. tum in Triumpho Parthenico fol. 87. ubi Noſtri vitam ſe ſcripturum promitit, quam tamen nullibi adhuc invenire potuimus. CHRISTOPHORUS BERNARDUS DE LA PLAZA, in Chronicis Univerſitatis Mexiceæ, quæ Mss aſſervantur in ejus Tabulario lib. 5. cap. 7. num. marginali 89. Ex Europæis FR. EMMANUEL A S. HIERONYMO, tom. 6. Hiſtoriæ Refformationis Carmelitarum lib. 26. c. 28. n. 3. D. SALVATOR SYLVESTER DE VELASCO ET HERRERA, in Sca-

Scala mirabili, ſeu Vita S. Petri de Arbues, in Nuncupatoria Collegio Majori Mexicano Divæ MARIÆ & omnium Sanctorum, quo loci citat in margine p. 5. ad calcem, poſt SIGUENZAM in Triumpho Parthenico, ROSAL in Vita noſtri, quam ſcripſiſſe BARTHOLOMÆUM DE ROSALES compertum habemus, allatamque in Hiſpaniam, ut typis mandaretur, defficientibus pro editione ſumptibus, manuſcriptam ad nos redijſſe, quam multis conquiſitam laboribus videre hactenus non valuimus: habemus tamen præ manibus aliquas ad ipſum ROSALES datas Epiſtolas conſcribendæ Vitæ occaſione, â quibus non nulla uſui nobis fuerunt in præſentiarum. In eis porrò mentio fit etiã Epiſtolæ ſcriptæ â P. MICHAELE DE GODINES, eximio Theologiæ Myſticæ Proffeſore, Societatis JESU, de Noſtri geſtis ſecretioribus, ſolique forſitan ſibi notis; quòd Alphonſo ab intimis fuerit conſilijs, & ſacris confeſſionibus; & hanc credimus Epiſtolam coram habitam â memoratis ſupra HOYOS, ET SILES Noſtri elogia texentibus in Orationibus impreſſis Mexici, unà cum obitus narratione, apud Viduam Bernardi Calderon 1666.

64 Alia ejuſdem P. GODINES Epiſtola ad Noſtrum data affertur à P. EMMANUELE IGNATIO DE LA REGUERA, Societatis JESU, in Notitia vitæ ipſius P. GODINES, præfixa tomo priori grandis Operis Romæ editi apud Antonium de Rubeis anno 1740. cui titulus *Praxis Theologiæ Myſticæ, &c,* ſeu Commentaria eruditiſſima in Opuſculum celeberrimum de Myſtica Theologia à P MICHAELE DE GODINES, Mexici ſcriptum. Atqui prætereundum non eſt, quod memoratus P. REGUERA, Theologus Hiſpanus egregius, ibidem Noſtro texit elogium inquiens: *Illmús. & Rmús. D. Ildefonſus de Cuevas Davalos, prius Epiſcopus Oaxacenſis, mox Archiepiſcopus Mexicanus, vir extraordinariæ virtutis, & ſingularis perfectionis famâ notus in illis regionibus: putatur eſſe ille, de quo ſupreſſo nomine loquitur Author* (Godines) *lib. 9. cap. 11. penultimo loco: & ad quem ſuam Epiſtolam dirigit, de qua mox.*

65 Locus autem ille penultimus cap. 11. lib. 9 ſic habet latine apud ipſum P. REGUERA tom. poſteriori pag. 560. citati Operis editi Romæ anno 1745. *Annos ultra quinque ſupra viginti* (inquit P. Godines) *cum alio communicavi ſpiritu, qui dono contemplationis infuſæ præditus erat, dono actuali miraculorum, luce prophetica, ſummæ pœnitentiæ dono & mortificationis, magnos inter raptus, favores & lumina divina: & cum publico munere teneretur, cujus cauſâ ſerico, & holoſerico indutus; cum doctis & indoctis, cum amicis & inimicis, cum domeſticis & cognatis agebat; nemo ullus (præter Patrem ſpiritualem, cui nota erat ejus anima) pluſquam pro bono quodam Chriſtiano illum habuit.*

O raram humilitatem! sed rariorem prudentiam, & rarissimam simulationem! quæ per annos ultra sex supra triginta potuit tales occulere gratias, quin unquam nisi soli Deo, & Patri spirituali, alicui mortalium innotescerent. Hactenus vir gravissimus.

66 Et ne hoc dissimulemus, ægre patimur Alphonsi res omnes pœnitus latuisse oculatissimum CARDINALEM DE AGUIRRE, cujus eruditione eximiâ, incomparabilique labore Concilia Hispaniæ omnia, & Americæ fere cuncta bono in lumine collocata auspicatissime fuere. Debemus Eminentissimi calamo purpurati, post Acta Mexicani Concilij postremi, Cathalogum Præsulum Ecclesiæ Mexicanæ, quorum meminerat ÆGYDIUS GONZALEZ, in suo Theatro, quibus Cardinalis ipse eorum monumenta adjecit, quæ Romæ habuere potuit, ijs missis nominibus quorum rescire gesta nequivit, uti conceptis verbis testatur tom. 4. p. 415.

67 Noster Theologica quavis scripserit plura, quæ suis in Gymnasio auditoribus instillavit, comparent nulla, & quæ fuerint illa nescitur, quòd id temporis non dum moris fuerat Academici, ut novis deinceps statutis cautum est ab anno 1668. in Archivium scripta ab Antecessoribus reponi, & in Libro pro notandis Lectionibus destinato singularum Titulos & Authores inscribi. Edidit idiomate hispano

Juridicam Allegationem:

A se elaboratam cùm Archidiaconum ageret Ecclesiæ Angelopolitanæ, diebus aliquot, quos à publica in Choro Officij divini recitatione abstinuit, ob causas in ejusdem Operis procemio relatas. Porrò, quantum fuerit versatus in jure Canonico, atque in Theologia doctus, Opus hoc exhibet, excussum, pro illius temporis usu in his Allegationibus imprimendis, tacitis Typographi nomine, & loco editionis, anno 1651 in folio. Extat tom. 45. Collectionis D. LUDOVICI DE MENDOZA.

Aliam à se editam Juris Consultationem in eumdem colliman-tem scopum, Author in præcedenti ipse testatur, quam hactenus nobis invenire non licuit.

Edidit etiam patrio itidem sermone:

Funebrem declamatienem in obitu Catholicæ Hispaniarum Reginæ Elisabeth Borboniæ, à se habitam Angelopoli, ibidem typis Emmanuelis de los Olivos 1645. in quarto: Quæ ingenium viri solidum prodit, nec sine acumine, gravem eloquentiam, Sacrorumque Bibliorum ac Patrum eruditionem minime vulgarem. Extat inter curis nostris compaginatas in 4. tom. 26. Scimus scripsisse dictos à se è sacro suggestu plures *Sermones panegyricos & morales*; An verò sint alicubi, an omnino perierint, deffinire non est in animo.

68 M. FR. ALPHONSUS DIAZ

de Priego, Natione Mexicanus, Patriam sortitus est Angelopolim, Patresque claros sanguine: Illmûm S. Dominici Ordinem Prædicatorum in Patriæ Conventu professus, postquam Philosophiam suis & Theologiam alumnis explicuit annos ejusdem Ordinis statutis præscriptos pro his qui Magisterij coronandi sunt infulâ, Magister jure fuit auguratus: Quem etiam assecutus honorem in Regia ac Pontificia Universitate Mexicanensi, ad Cathedram Angelici Doctoris in ea regendam Proprius Moderator allectus est: Cùm verò ea demum tempestate Angelopolitana à Mexicana S. Jacobi Provincia divisa fuerit, concessaque Angelorum Provinciæ altera in eâdem Academia pro tradenda doctrinâ S. Thomæ Cathedra, quæ Vespertina foret, Primariâ manente quam jam diu Mexicanæ Provinciæ Alumni tenuerant; Noster Primarius S. Thomæ Antecessor fuit habitus. Illustrissimi Collegij Dominicani de *Porta-Cæli*, quod & antiquitate & Privilegijs, &, quod potius est, sapientiâ Alumnorum & probitate Mexici fulget, Seminariumque est fœcundissimum Philosophorum juxtà ac Theologorum Jacobeæ Provinciæ, studia rexit. Egerat Vicarium Familiæ suæ ditionis Mexiceæ, non dum, quam mox diximus, divisione secutâ. Inter probatissimos S. Inquisitionis Censores à Supremo Hispaniarum Consistorio Fidei meruit adscribi: Nec tot sine laude gessit injuncta sibi munera, doctrinâ conspicuus atque pietate. Quæ in Sanctum Thomam scripsit Commentaria annua nominare nobis non licet destitutis notitia, pro illius temporis, quam nuper dicebamus, incuriâ: qua non absimiliter præpediti multas, quas in theatris gravissimis habuit, Conciones prætermittimus, his contenti, quas prælo datas scimus, sunt porro:

Oratio panegyrica in funere Hispaniarum Reginæ Catholicæ Elisabethæ Borboniæ, ipsi parentante S. Inquisitionis Mexiceo Consessu. Mexici, ex Officina Joannis Ruiz, 1645. in quarto.

Oratio de SS. Eucharistiæ Sacramento, eidem Apostolico Tribunali nuucupata. Mexici, Formis Viduæ Bernardi Calderon 1657. in quarto. Prima extat tomo 26; altera tomo 66 Collectionis nostræ in quarto.

69 Alphonsus de Ena, Mexicanus Domicilio, utrum Natione Patriaque incertum: vernaculo Hispanorum idiomate publicavit

Descriptionem advectæ solemnissimâ pompâ è Sanctuario suo, reductæque pari supplicatione, Imaginis Deiparentis, titulo à Remedijs sumpto, novem milliaribus prope Mexicum cultæ. Mexici ex Typographia Joannis Ruiz 1668. in quarto.

70 Fr. Alphonsus de Escalona, Natione Hispanus, ortus est in sui agnominis Villa prope Toletum celeberrimam Urbem, nactusque, postquam pa-

trium deſeruit ſolum, longum ad mortem uſque Mexici domiciliū. Ordini S. Franciſci adſcriptus in Provincia Novæ Carthaginis, firmiſſime ab initio decrevit perpetuum Deo agere famulatum, â quo nunquam in ætate benè longa deſcivit. Operam dabat audiendæ Philoſophiæ in eo ipſo Cœnobio, ubi Religioſum induerat habitum, cum ad ſtrictiora vocari advertens animo, alium ejuſdem Provinciæ Conventum petijt annuentibus Superioribus, in quo orationi virtutumque exercitijs totus aliquibus annis incubuit, donec auditis recèns detectis ac ſubjugatis Mexicanis, quos penes innumeros pauci admodum Apoſtolici operarij degebant, qui eorundem curarent ad Eccleſiam ingreſſum, illùc convolare ſecum ſtatuit, & porro facultate Prælatorum, anno 1531. in Novam Hiſpaniam acceſſit.

71 Se ut idoneum edocendis Indis Miniſtrum redderet, eorum à primis rudimentis idioma perdiſcere incœpit, ſecutusque eſt admodum fœlici conatu, juvante ipſum memoriâ, qua tenaciſſima in retinendo præditus erat: tanto quidem ſucceſu, ut non multo poſt Sermones vernacula Mexicanorum lingua conſcripſerit, qui eorundem Magiſtris in Fide & Pietate uſui fuere primùm, deinde etiam Goatemalenſibus, in quorum idioma tranſlati Prædicatores Evangelicos egregiè juvarunt. Tlaſcalæ Urbe in Nova Hiſpania tunc quidem ampliſſima, & etiamnum clara (& inde eximia laude digna, multisque à Catholicis Regibus aucta honoribus, quòd Ferdinando Corteſio, inclyto Belliduci, ubi poſt cruentas congreſſiones adhæſit, fideliſſima hactenus, Hiſpanisque addictiſſima fuerit) pueros fere ſexcentos ſingulis diebus deſtinatis horis in ludum litterarium trahebat, quos legere, ſcribere, & Chriſti doctrinam canere etiam docuit accuratiſſimè, magno Religionis emolumento ſeſe â pueris ad adultos facile propagantis.

72 Quòd verò prudentiam induſtriamq in gerendis rebus minime vulgarem Prælati in ipſo dignoſcerent, eundéNovitiorum inſtitutioni præfecerunt non ſemel, & optimis quidem Familiæ emolumentis, quæ multos frugi viros religioſiſſime educatos ab illo ſuſcepit, miniſterijsque aptavit varijs: Præfecturas etiam Monaſteriorum geſſit multas, nec ſemel Deffinitoribus adſcriptus, qui unà cum Provinciæ Præſide pro rebus ejuſdem omnibus accurandis ſunt conſtituti. Quamquam tamen Provincia hæc, dicta àS. Evāgelio, quod latiſſimè in Americæ Regionibus publicavit, eximio innumerabilium fructu animarum, ejuſmodi dedita muneri, tam eſſet auſtera, ut obſervantioribus non concederet; veritus Noſter, ne multitudine Religioſorum, qui augebantur in dies, rigor ille primitivus tepeſceret, & paupertas, cujus erat cultor

tor eximius, paululum declinaret, novam meditatus est & agressus paucis cum socijs, quam dixere Insulanam, à cognomine Generalis totius Ordinis Franciscani Ministro, Andræa de Insula, cujus suffulti Litteris, & Alphonsus, qui cæterorum Provincialis fuit consentientibus votis electus, & qui ei parebant, omnes duodecim numero, zelo, omnibusque conspicui virtutibus, iter capientes, hàc illàc sedem pro nova locanda Provinciâ inquirentes, tot ubique offenderunt dificultates, ut coacti fuerint in Mexicanam regredi, maximo religiosæ observantiæ incremento, & Indorum quotidie in Fide proficientium solatio.

73 Vertebatur interea annus 1554, & Religiosis, qui apud Goatemalæ Regnum agebant, egentibus auxilio Sociorum, ut copiosam in horrea Dominica messem inferent; Noster ad id laboris oblatus sponte, atque à Prælatis Superior datus Sodalibus novem, arduam oppido viam inivit trecentis, ut minimum, leucis constantem, quas nudis omnino pedibus confecit, nihil ipse moratus asperitate, auditu etiam horrenda, montium, anfractuum, & scopulorum, aut fluviorum profunditate, Solis ardore, clymatumque intemperie, queis superatis omnibus Goatemalam pervenit, suamque ibi operam posuit, donec Mexicum evocatus, iter pedes ipsum repetijt, comitatus FRANCISCO GOMEZIO, ejusdem Instituti Professore, & Goatemalensis Provinciæ Alumno, viro quidem Nostro simillimo. Sed ecce non ita multò post uterque jubentur à Commissario Novæ Hispaniæ anno 1562. rursus Goatemalæ se sistere, subsidium Ministris iterum allaturi: Pergunt eâdem qua nuper venerant dificillimâ viâ, eodem præparati viatico, id est, nullo, victum mendicatò semper quærentes, sine calceis, baculo, aut galero, incredibiles perpessi labores, quousque Goatemalam venientes, illos exantlare cœperunt qui & Familiá concernebant & Indos. Noster illorum ut posset confessiones audire, quamvis ferme septuaginta quinque annos natus, barbarum gentis idioma didicit, totoque sexcennio impigrè hoc in munere alijsque laboravit. Tandem Mexicum revocatus, devexâ licèt ætate, nihilo dissimilis sibi, toties repetitum iter eâdem ad extremum austeritate perfecit.

74 Minister Provincialis Mexicanæ Familiæ datus, mirum est quanto in gravissimâ annis ætate pro ejus regimine laboraverit: lustravit illam totam, quæ vastissima est, nunquam rheda usus aut equo, sed pedibus nudis, remissâque minime austerissimâ itinerandi, quam nuper dicebamus ratione. Numerosum, cui præpositus erat, gregem heroycis virtutum exemplis efficacius longè quam verbis pascebat. Profectò, quas hactenus habuerat in delicijs vir-

virtutes, Superior factus, funerique proximus, minore nihilo diligentia fervoreque exercuit. Paupertati addictissimus, etiam Provincialis munere fungens, præter Breviarium, duos tresve asceticos Libros, nihil secum habebat: habitum è vilissimo panno ipse sibi consuebat, lacerisque intus vestibus utebatur, si tamen vestes dicendi sunt panni malè consarcinati, nullaque tunica, quam subuculæ loco cùm induere posset, ipsâ sibi pænitus interdixerat: lectulus nulla super tabulam lodice instructus, in quo vix cubare dicendus, soloque obtegebatur pallio. Unica meridiana refectione contentus, nocturnæ supersedebat, Præsesque Provinciæ dum esset, ea hora qua Fratres in triclinium pro jentaculo conveniebant, ipse abstrusus in cella, verberibus sese acriter multis cruentabat: vino nisi aquâ mixto, aliquando dum iter ageret, Socijs ipsum urgentibus, utebatur nunquam.

75 Feria quinta majoris hebdomadæ, in patientis Servatoris nostri memoriam solenne habebat scapula pectoreque nudatis, & fune ad collum alligato, suggestum ascendere, ibique coram spectantium & audientium multitudine Indorum, crudelissime flagellari, ac fussis ubertim lachrymis Jesu-Christi tragædiam dicendo exponere. Eximium illi studium orandi, tanta equidem in Deum reverentiâ, ut horas Canonicas in itinere persolvere detrectaverit, ipsasque dicturus substiterit. Media perpetuò nocte priusquam æs campanum sonaret pro vocandis ad matutinas preces Sodalibus, ipse è lecto surgebat, aliosque quandoque excitabat. Vocali orationi adjiciebat mentalem, cùm ea concubiæ noctis hora, tum etiam alijs; atque hac de causâ mirè gaudebat loca ab hominum frequentia remota, incolere, secedens quandoque in aspera collium, uni ut cœlestium contemplationi, castigationiq; corporis solus vacaret. Nec propterea commercium hominum recusabat, cùm animarum saluti, quarum flagrantissimo æstuabat zelo, congruebat. Ad aras semper devotissimè operabatur, nec unquam nisi invitus â sacrificando abstinuit, deficientibus scilicet in itinere paramentis, aut simili præpeditus impedimento. Tot porrò virtutibus cumulatum, alijs etiam charismatibus Deus conspicuum reddidit, ornavitque cœlesti eo lumine, quo arcana humani cordis vestigare, & loco remota intueri non semel est visus, ut testibus exemplisque datis scribit accuratissimus TORQUEMADA, qui & in vivis agentem tractavit Alphonsum, ministravitque ipsi in ultima senectute auxilio indigenti.

76 Id tamen prætereundum non judicamus, quod cùm Dei eximiam in suos Providentiam commendat, tum & spem acuit, & paupertatis professoribus pro

ea colenda ſtimulos addit. Scilicet Noſtro, cum Provincialis eſſet, iter agente per aſperos Zacatlani montes, deſtitutoque viribus, & pene deficiente præ laſitudine, inedia, atque dificulrate; proptereaque Socium interrogante, num cibi aliquid haberet in promptu; nihil ſecum ferre, ille repoſuit, pro ut in mandatis acceperat (juſerat enim Alphonſus Socio, ne unquam viatici loco quidquam portaret, inhoſpita quamvis & latiſſime protracta loca eſſent peragraturi) ſtatim verò ſe illis ignotus homo præſentem dedit, qui panem unà vasque plenum aqua ubi porrexit, illicò evanuit, neſcientibus illis unde emerſiſſet, aut quò avolaſſet, Deoque mirabiliter pauperrimos enutriente, curante que eos qui ſuam in ipſius Providentia ſpem omnem reponunt. Traditur etiam, nec dificile eſt creditu, venientem è Goatemala Noſtrum miſerrimam Indam conveniſſe, lachrymis madidam ſuper filiolum nuper mortuum defluentibus, quam ille ſolatus eſt verbis, moxque fuſis ad Deum precibus impetratâ pueruli vitâ, ſtupentibus qui aderant, Matrem præ gaudio geſtientem dimiſſit.

77 Alijs parcimus, vocante jam nos Alphonſi obitu, quem, Deo revelante, præſciviſſe creditus eſt, quòd in Maximum S. Franciſci Cœnobium Mexicanum adveniens, quærenti janitori ab eo, Quid hoc eſſet? conceptis verbis dixerit, inſtare prope funus. In Valetudinarium Religioſis deſtinatum delatus, recuſatisque mollibus lectuli tegumentis, quo erat indutus, habitu cubabit, totosque quinque aut ſex dies venturum Dominum præſtolatus, Eccleſiaſticis Sacramentis munitus, orationibus longè protractis, fervidisque virtutuum actibus animam egit 10 Martij 1584 ætatis 88, ê quibus 70 Deo in Ordine Franciſcano egregie ſervierat, 52 in Novæ Hiſpaniæ Provincia S. Evangelij traductis; Indorum & Hiſpanorum, quos doctrina & exemplo informarat, eximijs quidem emolumentis. Cadaver magna quidem, & minime procuratâ frequentiâ, ſepulturæ mandatum, concurrèntibus ultrò multis ex omnibus Ordinibus Religioſis, ipſorumque Prælatis humeros feretro ſupponentibus, & circunfuſſâ populi multitudine, quorum tanta erat omnium adverſus defunctum reverentia, ut certatim ambierint tumulum, atque in fruſtrâ partitum habitum ſurripuerint, tanto quidem conatu, ut cum tertiùm id fieret, veriti Superiores confuſſionem & murmur, juſſerint nudum terræ mandari corpus, quod & ſi illa obrutum & calcatum, tertio poſt die inventum eſt tractabile pœnitus, & minime læſum, aut odore grave, tumque, ut par erat, mortualibus conveſtitum linteis, & rurſus incluſum.

78 Vitam ejus ſcripſère citatus TORQUEMADA in Monarchia

chia Indica tom. 3 lib. 20. cap. 48. usque ad 51. BETANCURT in Menologio Franciscano Provinciæ suæ die 10. Martij. UVADINGUS, p. 14. ARCTURUS in Martyrologio Franciscano 10 Martij: GONZAGA, p. 4. fol. 1240. quibus accedunt ejus memores JOANNES A S. ANTONIO in Bibliotheca Franciscana t. 1. p. 43. FERNANDEZ Dominicanus in HistoriaEcclesiastica nostri tempotis lib. 1. cap. 13. ANTONIUS DE LEON PINELO, in Bibliotheca Occidentali nuper aucta col. 720. GRAVINA item Dominicanus in Voce Turturis part. 2. p. 214. penes quos fere omnes scriptas à Nostro habes

Conciones Evangelicas idiomate Mexicano, in Goatemalense postea translatas.

Commentaria in Decalogi præcepta.

Alia verò, quæ NICOLAUS ANTONIUS adjunxit Opera, ALPHONSO â Molina debent adjudicari, haberique præ oculis Nicolaum ex duobus Alphonsis unum fecisse, deviasseque â vero, contendente ESCALONAM ET MOLINAM unum fuisse hominem, quē in duos Scriptores alij secaverint. Molina siquidem puer in Americam nostram advectus, Mexici studijs incubuit, Religionique Franciscanæ nomen dedit; Escalona alibi, ut diximus, litteras & Institutum est amplexatus, oras que nostras legit post quam totos antea annos viginti religiosam vitam duxerat in Hispania: Ille denatus est 31. Martij 1558. hîc & die & anno longe alijs: Et nè Solem facibus adjuvemus, sat fuerit legere & TORQUEMADAM, ET BETANCURTIUM utriusque Vitas Alphonsi texentes, Escalonæ, quo supra insinuavimus loco; Molinæ verò Torquemadam tomo eodem & libro, ast alio capitè, scilicet 59: Betancurtium in Menologio ad diem Martij 31.

79 D. ALPHONSUS DE ESPINOSA ET CENTENO, Natione Mexicanus, in Americæ Insulâ Jamaica natus est. Doctorem ipsum nominant ANTONIUS DE LEONE in Bibliotheca Occidentali aucta col. 585. Itemque JOANNES DIES DE LA CALLE in suis Indiarum monumentis fol. 12. & 15. in ejusdem Insulæ descriptione; qui scripsisse tradunt

Supplicem Libellum:

Seu potius, ut conjicimus ex his quæ Pinelus subjicit, Monumenta Descriptionemque Patriæ, quam & si Calle dicat typis excussam, locum editionis & annum reticet, forteque opus prodijt circa annum 1645 quo Acta ab Regio Dominicopolis Auditorio missa dicit ad supremum Indiarum Consilium, Nostri simul & ejus Operis mentionem habens.

80 FR. ALPHONSUS DE ESPINOSA, Natione Mexicanus, ortus est Antequeræ, quæ Urbs Primaria est Vallis Goaxacensis, & universæ Provinciæ nomen fecit: Parentes habuit nobili satos sanguine Hispanos Damianum Sanchez de Espinosa, ex Illustri de los Mon-

Monteros nuncupata familia ducentem originem, & Agnetem de Sossa clara etiam stirpe Fœminam, cives Antequerenses, ex quo patrium in Asturibus solum mutare in Americanum voluere conquirendarum gratiâ opum, quas & sibi polliciti fuerant in Regionibus prædivitibus, & facili coacervarunt negotio, ut pro inde remeare cogitaverint & Patriam repetere. Alphonsum primis litterarum rudimentis instructum secum duxerunt, qui eo tempore quo genitores Toleti constitère grammaticam inibi didicit: ubi verò Asturum montana incolere illis arrisit, non ita juveni, qui pro suo illa genio neutiquam futura conjectabat, bona Parentum venia discessit, haud exiguâ donatus substantiæ portione, natalitiam quæsiturus terram atque in ipsa degentes propinquos. Se illis junxit annos natus circiter 17. cogitareque occæpit mundi pericula, meditarique æterna, ac subinde caducis valedicens omnibus, Deo ut tutius inserviret atque ferventius, Ordinem Prædicatorum amplexatus est in Conventu Antequerensi Provinciæ S. Hippolyti Martyris, in quo, exacto præfervidè tyrocinio, Religiosis ex animo suffragantibus, votis demum se adstrinxit. Latine cùm sciret, statim audiendæ Philosophiæ, & hac absolutâ, Theologiæ, Superiorum jussione applicitus, Cursus exègit solitos pro his qui docturi alios sunt, vel in Scholarum palestris, vel è sacro suggestu in Templis. Multis ille progressibus in litteris auctus & in virtutibus pro capessendo Sacerdotio, auguratus eo fuit, & cùm modestiæ comitatem & humanitatem sociaret eximiam, & adjuvandi Proximos, in primis Indos, studium singulare, huic â Prælatis ministerio fuit destinatus, quo ut fungeretur, Zaapotecarum imbibit idioma non absque labore conatuque insignibus, similiter adlaborans ut ritus, cerimonias, & antiqua superstitiosæ gentis instituta dignosceret.

81. His paratus armis, egregioque potissimum Dei gloriæ & animarum salutis zelo, mirum est quanta pro illis fecerit & pertulerit. Incolit Zaapotecana gens, cui instruendæ Minister datus fuerat, montes oppido asperos, loca que multis difficillima mæandris atque vastissima, in quibus subinde spelæa plura, magnitudine horrida, tenebris fœda, & saltibus circumsepta, Hispanis ferme invia, in quibus idolorum cultores, qui non ita pridem Ecclesiæ se adjunxerant, non quidem omnes, sed multi tamen, mali dæmonis suasu, opportuna colendis ejusdem simulacris invenientes latibula, turpissime in abjurata relapsi nefaria sacra, illis abutebantur. Noster, quà concionibus præfervide habitis & sępissime ad Indos, quà mansuetudine & amore omnique beneficiorum genere in ipsos effusus, sic eorum aliquos

quos emollivit, ut sæpius convenientes ipsum secretò, hæc aperuerint, conscientiâ & præteritorum odio jam ducti. Hæc ubi ille resciebat, multis apud Deum precibus cùm alias, tum validius ingeminatis dùm operaretur ad aras, seductarum remedium animarum solicitabat, cœlestique communitus robore, multos secum deferens Indos, ejusdem forsitan participes criminis, ipsorum nunquã metu perterritus, indicata sibi antra ut tandem inveniret atque lustraret, ardua quæque arripiebat itinera, nullique diligentiæ parcebat quo usque illùc accederet. Porrò molientem ista pluries tot unum & inermem criminosi circumcinxerunt, ut aperto versaretur in discrimine vitæ, quod tamen Dei Fide zeloque obarmatus contempsit semper, & quandoque mille inter Indos impavidus, speluncas ingressus, idola offendit, magnasque pro nefarijs sacrificijs rerum sarcinas, quæ omnia extrahi jussit, & ingenti cremari rogo, multis ex proximo nemore lignorum fascibus ad id traductis, operis adstantium & humeris. Quòd verò pœnitentiam delusæ à cocodæmone gentis quærebat, deductis in vicinas Colonias sceleratis hominibus, & ipsos & cæteros in Ecclesiã convenientes arguebat concionibus, instruebat, agebatque multis, ut totius vitæ Confessione sacra, Cómunione, & alijs Christianis officijs, se expiarent, relapsusque caverent.

82 Ad hæc, & pueris lustralibus aquis tingendis, & non nunquam adultis operam dare, paterna omnes charitate fovere, adesse ipsis in calamitatibus in more habuit. Sanè egregijs exantlantis laboribus, de cunctis illius Nationis Populis benemeritus, ipsis continuò Parochus datus, Conventibus etiam præfuit Religiosorum Vicarius Provincialis. Hæc cùm Provinciæ Patres animadverterent, Alphonsumque gradu Prædicatoris Generalis jure donatum, Comitijs pro eligendo Provinciali indictis, hoc illi munus ultrò detulerant, cui tamen se ipse subduxit, agens ut alium, qui dignissimus erat, assumerent. Ipse in Oppido Etla Cœnobij Prælatus, attritus laboribus, biennio languens, morti, quam non longè præsentiebat distantem, se accinxit, cellæ inclusus, orationi insistens, alijsque exercitationibus pijs, queis ut vacaret, à colloquijs & commercio abstinebat humano: sacra ferme quotidie confessione purgabat animam, ad Aras faciebat madidus lachrymis, & si quando valetudine impediretur sacrificare, pascebat se tamen Eucharistico epulo, quod demum ut pro Viatico acciperet, generali conscientiæ expiatione præventus fuit.

83 Decumbebat quidem viribus destitutus, sed venientem, qui delitescit in specie panis, Servatorem excepturus, habitum induit, & ad cellæ januam obviam accur-

accurrens, Centurionis verba, *Domine non ſum dignus*, repetebat ex animo. In genua provolutus, eximios amoris & demiſſionis actus tanto ingeminabat fervore & lachrymarum impetu, ut & Religioſos & qui aderant Indos ſuo ad ſimilia provocaret exemplo. Et quamvis ſumpto Viatico, convaleſcere multis ſit viſus, neutiquam ſibi, cæptam pro morte præparationem haud intermittenti, imò, quòd quadragenarij tempus Jejunij ſuccederet, ferventius & alacrius urgenti, quo uſque ad diem Cenæ Dominicæ, ipſâ devotiſſimè ſumptâ, & quæ proxime ſequitur die hiſtoriâ patientis JESU ſimiliter auditâ, Sabbato demum quievit in Domino, cùm ipſo, ut pie creditur, ſurrecturus magnâ cum gloriâ, effuſa inter Eccleſiæ gaudia de redivivo Chriſto, die ſecunda Aprilis anno 1616 ætatis 54, religioſæ profeſſionis 35. Vitam ejus fuſe deſcribit M. FR. FRANCISCUS DE BURGOA, in Chronicis Provinciæ ſuæ Dominicanorum de Goaxaca, queis titulus *Paleſtra hiſtorialis* tom. 1. cap. 32. & ſequentibus. Scripſit (pro ut habemus ex miſſâ ad nos notitiâ Scriptorum ejuſdem Provinciæ) hiſpano ſermone

Hiſtoricam narrationem multorum, quæ ad Dei gloriam & Indorum Nationis Zaapotecarum ſalutem, evenère, detectis idolis, eorumque cultoribus profligatis.

Aſſervatur Mss in Tabulario Antequerenſis Cœnobij Dominicani, citatusque BURGOA non nulla inde in Hiſtoriam ſuam Vitamque inſuerit Noſtri.

84 FR. ALPHONSUS DE ESPINOSA, Natione Mexicanus, & Patria Dominicopolenſis, ſi verum habet quod de ipſo ſcribit ÆGYDIUS GONZALEZ DAVILA, in Theatro Eccleſiæ Inſulæ Hiſpaniolæ, quæ primatum agit Americæ Mexicanæ, ſeu Septentrionalis, qua in Inſula natum fuiſſe teſtatur; ſi verò cunabula ei Complutum præbuerit, ut MARIETÆ placuit, & eunti poſt ipſum NICOLAO ANTONIO in Bibliothecâ Hiſpaniæ novâ, Natione quidem Patriaque Hiſpanus, Domicilio tamen Mexicanus, quod ad unum omnes de eo memoriam facientes habuiſſe concedunt apud Goatemalenſes, in Provincia Dominicanorum jam pridem inibi florentiſſima: An in ea Prædicatorum amplexatus ſit Inſtitutum, ut ipſe NICOLAUS ANTONIUS tenet cum ſuo MARIETA, an potius in Provincia Bæticæ, ut arriſſit Dominicanis ALTAMURÆ ET FERNANDEZIO res eſt in ancipiti, qua de ſententiam ferre noluere Critici Doctores Scriptorum Ordinis Prædicatorum ad annum 1541. hunc illumque nodum nobis exolvendum ſinentes: qui tamen, ut eſt, implicatum, alijs remittimus, inſtrumenta forſan ad manus habituris pro eo vel extricando, vel etiam rumpendo. Id unum ad notare non piget, arduum nobis videri ÆGYDIUM GONZALEZ DAVI-

VILAM tam fuiſſe deluſum, aut eos à quibus notitias fuit mutuatus pro Hiſtoria Hiſpaniolæ texenda tam cæcos exitiſſe aut mendaces, ut in unico, quem ex ibi natis laudat, Scriptore, ESPINOSA, turpiſſimè erraverint. Accedit, facillimo quidem negotio capi Alphonſi ad Fortunatarum Primariam Inſulam navigationem, qua de NICOLAUS ANTONIUS non ambigit, ipſum aliosque movente, quem mox dicemus Libro de Imagine Deiparentis in ea Inſula ſatis inſigni; ſi in Hiſpaniola natus dicatur minùs à Fortunatis diſſita, quam ſi Compluti ortum, aut rectà in ipſas, aut quod acclivius multò, in Goatemalam prius navigaſſe credamus, rurſus que illas, ſuperato Oceano, petijſſe. Quòd ad ſcripta attinet, hæc illi à citatis Nicolao & Criticis Gallis alijsque tribuuntur hiſpano idiomate concinnata

De origine & miraculis Imaginis Deiparentis, de Candelaria nuncupatæ. 1541. in octavo.

Pſalmus XLI. Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum hiſpanis carminibus traditus, pro cujus editione facultatem à Regio Senatu petijſſe ijdem teſtantur; an autẽ ediderit hactenus ignoramus.

Commẽtarius in Pſalmum XLIV: Eructavit cor meum verbum bonum; de quo nil præterea ijdem Doctores tradunt aut Ægydius Gonzalez, indicantes certè eſſe Mss.

85 P. ALPHONSUS FERNANDEZ, Natione Mexicanus, Societatis JESU Vexillum in hac Novæ Hiſpaniæ Provinciâ ſecutus, in Maximo SS. AA. Petri & Pauli Collegio Rhetoricam profeſſus, ſcriptam reliquit, quæ extat in Libris ſimilis Argumenti multa complectentibus, atque in Bibliotheca dicti Collegij aſſervato, idiomate patrio

Concertationem poeticam, Jeſum puerum Narciſi ſymbolo adumbratum Muſarum cultoribus exponentem; anno 1690. in folio.

Pro Rhetorica addiſcenda Artem, quam Mss penes ſe retinebat D. D. Nicolaus de Eſtrada, Medicinæ Profeſſor, ejus Diſcipulus.

86 D. ALPHONSUS FERNANDEZ OSSORIO, Natione Mexicanus, primam Mexici lucem aſpexit, illuſtriorem redditurus Patriam eximijs plane litteris & pulcherrimis: In ejuſdem Univerſitate Medicinam profeſſus, Doctoratus que redimitus inſignibus, Cathedras rexit diſcipulorum utilitati imprimis attentus, Sapientum que judicio virorum probatus. Philoſophiam è ſuggeſtu poſtquã tradiderat, ad Primarium Medicinæ traductus, perpetuus Anteceſſor eſt renunciatus. Hanc ita ipſe facultatem excoluit, ut cùm nulli in ea eſſet ſecundus, in alijs ita porrò floruerit, ut ſcribere non dubitaverit graviſſimus Magiſter P. ANDREAS DE VALENCIA, Primarius Sacræ Theologiæ Moderator in Collegio Maximo Societatis JESU Mexiceo, Cenſor Operis mox dicendi, meritò dici poſ-

ſe

ſe Muſarum filium, ut Ariſtophanes quondam audijt, omnigenâ & exquiſitâ quòd polleret eruditione; adjicique citra injuriam valere, Suadæ parentem humanioribus litteris excultiſſimum, nulli que hinc non notum, ſimiliter & à Medicâ ſcientiâ, cujus ob peritiam Æſculapio ſimillimum Andreas illum ipſe commendat. Eum id circo ſibi à ſalute elegit Excellétiſſimus D. D. JOANNES DE PALAFOX, Mexicani clavum Regni vice Catholici Regis tenens, Antiſtesque electus Eccleſię Metropolitanæ. Cùm item Deceſſoris ſui optimi, Illuſtriſſimi D. FELICIANI DE LA VEGA, funus ampliſſimâ pompâ inſtaurare decrevit, latine dicere Alphonſum juſſit (ut moris eſt Noſtrùm in Principum & Magnatú juſtis) qui veſpertino tempore coràm frequentiſſimâ & graviſſimâ omnium ordinum aſiſtentium corona egregias defuncti virtutes tornata ad Rhetorum normam oratione cóplexus eſt. Senatus quoque Academici juſſu pro ſtudiorum inſtauratione non ſemel, & ſemper plaudentibus auditoribus ſapientiſſimis, publicè oravit: luſuris in honorem intemeratæ Virginis Conceptionis Poetis feſtivam Cócertationem Paleſtrita deſignatus eſt, argumentum qui daret, politiſſimisque ſcriptionibus cuncta diſponeret; atque id genus opellas amœniſſimas fauſtis ſibi Muſis, nec invitâ Minervâ multas confecti Gravioribus pro inſtituto & munere incumbens, utiliſſimos rei Medicę Tractatus ſcripſit, diſcipulisque dictavit è Cathedra, à quibus in alios & alios tranſcriptionibus propagati, poſt multos etiam annos uſui fuiſſe Scholaſticis & alijs Apollineæ Facultatis Profeſſoribus Author eſt Plaza in Chronicis Univerſitatis lib. 4. c. 29. ubi & hominis Opuſcula & elogia habet. Ex ijs vidimus apud amici noſtri D. Ludovici de Mendoza Bibliothecam

Tractatum de differentijs, cauſis, ſignis, & alijs circunſtantijs criſium. in quarto. Scriptum anno 1650. Extat in tomo cui titulus: *Varia Variorum.*

Pręter mox dictos idiomate latino ineditos, ſcripſit & edidit.

Orationem funebrem ad poſthumam parentationem Illmi. D. D. Feliciani de la Vega Archiepiſcopi Mexicani. Mexici, ex Typographia Joannis Ruiz anno 1642. in quarto. Habetur t. 29 Collectionis noſtræ.

Hiſpano ſermone dedit *Enarrationem brevem ſolenniſſimæ pompæ, quâ in Eccleſiam Metropolitanam Mexiceã elatum fuit corpus Illmi. D. D. Feliciani de la Vega, ejuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopi, pridem in itinere ad ipſam denati.* Mexici, Formis Joannis Ruiz 1642. in quarto. Extat in tomo mox dicto noſtræ Collect.

In hac narratione quoniá Poemata in elogium Feliciani à varijs cópoſita exponit; ex illis quę proprio ipſe Marte latinè ſcripſit, ſequens placuit Epigramma hîc tranſcribere in ſpecimen numinis

 &

& ingenij, non ita facilè expiscandi in ipsius codice, admodum raro.

Nil est re fœlix, quod non sibi duret in ævum;
Quique perit, solùm est nomine faustus honos:
Fœlicianus erat fœlix Pastoris honore,
Falce sed, ah, secuit mors peracerba decus.
Fœlicianus obijt, fuerat qui nomine fœlix.
Non re, dum steterat non sibi jugis honos:
Nunc sed fœlici cùm duret honore per ævum;
Nomine reque simul Fœlicianus erit.

87 D.D. ALPHONSUS FRANCISCUS MORENO ET CASTRO, Natione Hispanus, Patria Granatensis, Domicilio Mexicanus, clarissimis satus genitoribus, & nobili ingenio præditus, Latinis, Philosophicis, & Theologicis litteris apprime instructus in Patrio Societatis JESU Gymnasio, Salmanticam profectus, in Majori Conchensi Collegio Togatus, atque in celeberrima illa Hispaniæ & Orbis Universitate Theologi Doctoris infulis redimitus, in petendis Ecclesiarum Sacerdotijs periculum multâ cum laude fecit, quam â sapientibus reportavit prælectionibus & concionibus de more habitis prefinito pro eis lucubrandis dicendisque tempore. Canonicus, ut dicunt, Lectoralis, seu pro sacris legendis Biblijs, alios inter Candidatos apud Brugentinos electus, dein Legionensibus Magistralis ad conciones habendas similiter destinatus, & id munus explevit, & insimul alia satis conspicua, Vicarij nimirum Generalis Episcopi Diœcesis, ipso vivente & designâte, Visitatoris & Gubernatoris, atque etiam Synodalis examinatoris. Inde à Catholico Rege pro Ecclesia Metropolitana nostra Mexicea à Thesauris primùm adlectus, deinceps Dignitatibus Mesochori, & Archi-Diaconi, ac tandem Decani auctus, sede etiam plena Gubernatoris Archiepiscopatus onus sustinuit, quo usque Excellentissimus D. D. JOANNES DE VIZARRON ET EGUIARRETA, Archiepiscopus unàque Pro-Rex, hac liber Provinciâ, vastissimæ Diœcesis expediendis negotijs manus iterum admovere potuit & curas. Suas noster omnes in Ecclesiæ decus impendit, de ipsa propterea multum meritus, nec de Republica minus humanitate erga cunctos insigni & comitate, in miseros præsertim quo tempore sævissima illos pestis invasit anno 1737, excitato S. Archangeli Raphaelis nomine Valetudinario è regione Parochiæ S. Pauli, pro ijs qui mortem effugerant, morboque recreari oportebat, & valentiores fieri: hîc supra duo millia proprijs sumptibus aluit, & omnibus, tam ipsos quam plurimos alios in vicinia ægrotantes aut recidivos, officijs & curis refovit. Mox dicto S. Archangelo anniversarium in Cathedrali Ecclesia se-

festum solenniter agendum ære suo instituit. Multis præterea clarus nominibus nos licèt ad totidem invitet ei texendum elogia, supersedemus tamen, quòd vivat nos inter, contenti annos eidem apprecari nestoreos, altioresque pro meritis sedes. Edidit, quas subjungimus panegyricas Orationes eruditorum haud exiguo plausu susceptas:

Cathedra S. Petri Mexicea & America Christi luce ab Apostolorum Principe D. Petro primo Ecclesiæ seculo donata. Mexici typis Josephi Bernardi de Hogal anno 1735. in quarto.

Diva Hispanorum agminum ductrix Italiam petentium; in auguratione Caroli Regis Neapolitanorum. Mexici ex Officina Josephi Bernardi de Hogal 1734. in quarto.

Rex pacificus præclare martialibus redimitus trophæis. In proclamatione Ferdinandi VI. Catholici Hispaniarum Regis. Mexici unà cum alijs ejus argumenti operibus in Libro cui titulus *Sol in Leone* à P. JOSEPHO MARIANO DE ABARCA edito in Typographia D. Mariæ de Ribera 1748. in quarto.

Momentanea Archi-Seraphini SS. Michaelis vita. Mexici apud Viduam Josephi Bernardi de Hogal 1750. in quarto.

Orationes panegyricas & morales, Prælectionesque scholasticas in schedulis habet.

Meminit ejus CABRERA, in *Gentilitijs Insignibus Mexicanis* p. 85. num. 190. & p. 433. num. 853. & 854.

88 M. F. ALPHONSUS FRANCO, Natione Mexicanus & Patria, Prædicatorum Ordini in Provincia S. Jacobi Mexicea solenniter nuncupatis votis adscriptus, eandem multis illustravit, continuatâ ipsius Historiâ, cujus primam partem scripsit & edidit Illustrissimus D. FR. AUGUSTINUS PADILLA DAVILA, eximio eruditorum plausu. Optaremus sanè, ut quemadmodum hujus acta diligentissime litteris mandavit Noster in secunda, quam concinnavit Historiæ parte, tertius adjectus fuisset continuator alius, qui secundi gesta memoriæ commendasset: cujus destitutos esse notitia dolemus, interea judicantes virum fuisse haud mediocriter doctum & religiosum, pro ut Libri, quem legisse gaudemus, nec sine fructu pro Bibliothecâ hac nostrâ, stylus ac methodus indicant: sapiunt etenim spiritum hominis Deo devoti, judiciumque monstrant solidum, atque eloquentiam fucatam minime, uti decet scriptorem Historiæ, cujus observare leges sibi proposuisse videtur, & verò etiam servasse. Prædicatoris Generalis infulam, quæ meritò à Familia sua probatis & expertis multos annos viris conceditur, emeruit, tantique est habitus, quanti Acta in Comitijs Provincialibus Mexici anno 1637. celebratis scripta subindicant: *Committimus*, sic adverbum illa ha-

bent; Nosterque in Proœmio operis sui affert, *Commitimus R. P. Fr. Ildephonso Franco, cujus Religionis zelum sumus experti, ut Historiam hujus nostræ Provinciæ conscribat, & qua poterit diligentia typis excudi procuret.* Navavit Ille quidem strenuam pro injuncto sibi munere operam, & octavo post anno, scilicet 1645. Librum absolvit, quem Mss. reliquit, ut fere semper Americanis accidit, ære non suppetente pro impensis edendo magno operi multis, quas ne ipsa ministrare Provincia potuit, nec Author aliunde conquisitas habere. Extat in Tabulario Imperialis Mexicani Cœnobij S. Dominici Liber hispano sermone hunc præseferens titulum

Historiæ Provinciæ S. Jacobi Mexicanæ Ordinis Prædicatorum in nova Hispania secunda pars. in fol. volumine justo.

Meminit Authoris & operis P. MICHAEL DE VENEGAS, Societatis JESU, in Vita V. Doctoris & Canonici Mexicani D. JOANNIS GONZALEZ.

89 ILLMUS. D. M. ALPHONSUS GALDO, Natione Hispanus, Pinciæ natus anno 1569. die Junij 17, & ejusdem mensis 26 lustralibus aquis intinctus, Domicilio tandem Mexicanus: Prædicatorum amplexatus fuit Ordinem Salmanticæ anno 1583 die sexta Maij, ut Critici ejusdem Ordinis Scriptorum collectores ÆGYDIUM GONZALEZ DAVILA secuti testantur. Reticent viri gesta totos 29. annos priusquam Episcopalibus fuisset infulis redimitus; illa tamen religiosi admodum & sapientis non dubitamus, quæ Catholicum Regem Philippum III. facile moverint, uti ipsum ad regendam Ecclesiam Comayaguæ, cujus primaria Civitas est Vallisoletum in Regno Goatemalensi, destinaverit. Apostolicis à Paulo V. Pontifice Maximo acceptis Litteris pro Episcopali inauguratione, Americam nostram petivit, Goatemalæque ab ejusdem Urbis Præsule D. JOANNE CABEZAS rite initiatus, ad propriam regendam Ecclesiam se contulit vigilantissimi officia Pastoris adimplens. Diœcesim, quæ vasta quidem est, & viarum difficultatibus impedita, decem & octo mensium spatio vix totam peragrare & inspicere potuit. Sacramentum Confirmationis Fidelibus amplius septem mille & ducentis administravit, alia insimul multa Dei cultū & animarum salutem concernentia gessit atque decrevit, tanto quidem labore, ut ægra subinde valetudine fatigatus nimis & impeditus, Coadjutorem postulaverit anno 1628, nec multo post è vivis abierit. Visitationi, quam diximus, Ecclesiæ suæ intentus, totam accurate descripsit Diœcesim, Philippo III. Rege poscente, ad quem misit hispano compositam idiomate

Narrationem historicam Episcopatus, seu Diœcesis de Honduras.

Quam à se lectam Matriti testatur citatus ÆGYDIUS GONZALEZ DA-

DAVILA, beneficio clari Equitis D. FRANCISCI DE LA REGUERA SERNA, Nostri consobrini, schedulas jure magni facientis.

90 M. F. ALPHONSUS GIL, Natione Mexicanus, in antiqua Civitate Cholula ditionis Angelopolitanæ ortus, Ordinem Prædicatorum in Provincia S. Michaelis & SS. Angelorum amplexatus, multa in ea sapientiæ & gestorum laude floruit. Cathedram Philosophiæ strenuè moderatus, qua erat doctrinâ imbutus, alios inter discipulos, egregium erudivit FR. ANTONIUM LOPEZ CORDERO, gentilem suum, qui postea eidem præfuit suggestui multo cum plausu, ut suo infra loco dicemus. Theologiam dein coluit jureque ejusdem redimitus Infulâ Magisterij, obeundis in familia & extra munijs præclaris iter aperuit: in Mexicano S. Fidei Senatu à Censuris Theologicis fuit designatus, & Cœnobiũ Ordinis in Provincia sua primarium rexit. E multis scriptis ejus superest edita idiomate hispano

Oratio eucharistica in natali Ludovici Hispaniarum Principis. Angelopoli....

Inter Mss credimus servatur à suis, quem auditoribus tradendum è cathedra scripsit

Cursum Philosophiæ ad mentem S. Thomæ,

Forsanque alia Theologiam concernentia Oratoriamque sacram, quæ nos latent. Meminit ejus BERMUDEZ, in Mss de Scriptoribus Angelopolitanis, & M. VILLA in Vita edita M. Antonij Lopez Cordero, pag. 228.

91 P. ALPHONSUS GUERRERO, Natione Mexicanus & Patria, ortus est anno 1576 nobilissimis sane Parentibus, Augustino Guerrero de Luna, & Mariana de Villaseca filia Alphonsi de Villaseca, viri non à pietate minus reliquisque virtutibus, quam à divitijs notissimi, quarum partem haud modicam erigendo & dotando Collegio Maximo SS. AA. Petri & Pauli Societatis JESU destinavit, eximijs inde fructibus ad Dei gloriam, animarum salutem, & Americæ nostræ decus relatis, in dies que crescentibus. Noster primogenitus ut erat familiæ, atq̃ hæres non modò multi æris paterni, sed longè plurimarum avi opum, quas Mariana mater primogenias habebat; à multis sanguine præclaris & alijs dotibus insignibus fœminis expetitus inconjugem, nuptias constanter renuit, litteris in tanta domus opulentia unice delectatus, pro quibus conquirendis largas quidem fecit expensas, eruditissimos quotidie in suas ædes Magistros conducens, quorum opera maximam sibi eruditionis paravit seggetem, Latinæ non tantùm linguæ, sed Hebraicæ etiam & Græcę. Mathematicarum his adjecit studium, in quibus magnos fecit progressus, ingenio & labore discipuli Præceptores egregie juvante. Annos natus 35. prima Februarij

1611.

1611. JESU Societatem petivit, unam quæsiturus Dei gloriam, respuensque caducam & fluxam, quæ facili negotio sibi in promptu erat, nobilitate generis, divitiarum copiâ, & ingenij excellentiâ blandientibus. Sacerdos factus, non dum religioso tyrocinio absoluto, dein secunda Februarij 1613. Scholasticorum votis se Deo adstrinxit, & tandem 17 Octobris 1621 quatuor solenni Professorum ritu vota in Collegio suo nuncupavit. Philosophiam per triennium, de more, in eo publice docuit, & Sacrorum Bibliorum postea Interpres datus est confluentibus ad aulam Scholasticis multis.

92 In his alijsq ex obedientiæ præscripto gestis muneribus supra viginti annos inibi traduxit, virtutibus clarior quam litteris, egregias licèt ipse possederit gazas eruditionis. Humilitatem ita sibi in delicijs habuit, ut & mundum contempserit & semet, immemor nedum opum, quas dimisserat & commoditatum domus paternæ, sed ipsorum etiam Parentum & sanguine junctorum. Paupertati supra modum addictus, pro victu & vestitu etiam necessaria videbatur stomachari, à superfluis cogitandis dissitus quam longissimè. Parente ad plures abrepto tum temporis cùm Alphonsus ipse non dum secuta professione, hæreditaria bona capessere, & disponere de eis pro libito poterat; grandem tamen, quæ ipsi obtigit, summam ducentorum mille uncialium argenteorum in manus Præpositi Provinciæ deposuit, ejus sic arbitrio relinquens, ut nec sibi, nec propinquis, aut alijs quidquam voluerit, testatus, si liceret, in id unum propendere, Collegio ut Avi sui pietate & munificientiâ constructo, bona illa cederent, quæ à conditoris potissimum industria fuerant profecta. Quo tamen arbitrio, pro ea qua solet uti modestia Societatis familia, in Alphonsi Fratrem remisso, quartam vix hæreditatis partem, imò minorem longe summam Collegium accepit.

93 Noster his jam diu valedicens omnibus, etiam à semetipso desciscere satagebat, tanta insignis corporis & animi puritate, ut æmulari Angelos videretur, quibus obedientiâ ad nutus & signa Superiorum promptissimâ evaserat quam simillimus. Cubiculi latebras deperibat, haud inde unquam discedens, nisi vel charitas pro invisendis ægrotis, vel aliud virtutis officium egredi eum cogeret, ut propterea hac in parte similem non habuisse in Provincia sua, plurimorum feracissima Religiosorum omnibus pollentium virtutibus, affirmaverit gravissimus ejusdem Historiagraphus P. FLORENCIA. Scilicet contemplationi deditus rerum cœlestium, cujus in secreto quiete fruebatur, ægre ab ipsa divelli poterat aut interturbari: tanto siquidem ignescebat orans fervore, ut

ut frequentissimè in aera sublatus visus fuerit, jusseritque proinde Collegij Rector ijs qui pro munere circumibant conclavia, quo tempore Socij orationi vacare solent ex regulæ præscripto, ipsumque in extasim raptum conspexerant, silerent id penitus, ei que visitando deinceps supersederent. Sanctam porrò vitam similis, nec inopina quidem excepit mors: cujus prophetico præscius lumine Sacramentis armatus, inventus est in lectulo mortuus, & perinde ac si quiesceret comparatus, qui obdormierat in Domino die 18 Martij 1639 ætatis 63. Vitam ejus atque virtutes scriptis mandavit præcitatus Florencia, in Historia Provinciæ Novæ Hispaniæ Societatis JESU tom. 1. lib. 5. cap. 5. à pag. 318. Et in Menologio die 18. Martij. Quàs scripsit & è suggestu exposuit

Prælectiones Biblicas,

Hactenus sine fructu quæsivimus; non ita Philosophica Opera, quorum in Bibliotheca Congregationis Oratorij Mexicanæ extant Mss

Commentaria in Aristotelis Libros de Physica, in quarto.

Commentaria in Aristotelis Libros de Anima, anno 1622. in quarto.

Et quamvis alia pro integro Philosophiæ Cursu non adsint, dubitare non licèt, cuncta, nostratum more, absolvisse, addique inventis debent quæ *Summulas, & Logicam, Librosque de ortu & interitu, de cœlo & similibus* Commentaria desiderantur.

94 M. Fr. Alphonsus Guirao, Natione Hispanus, cujus Patria nos latet, Domicilio Mexicanus, Goatemalæ in Provincia S. Vincentij Ordinis Dominicanorum floruit, in quam se transtulit, habitum in S. Stephani Salmanticensi Conventu clarissimo indutus: Provinciæ de Chiapa & Goatemala præfectus, alijs que religiosis incumbens muneribus, contemplationem in primis coluit, vir extaticus dictus, & qui sanctitatis fama apud suos exterosque clarus obierit. Pijssimos duos Libros scripsit, alterum vernaculo idiomate

De SS. Rosarij Mysterijs,

Quem non dum vidimus editum, scimus tamen elaboratum à Nostro ex Sodalium Goatemalensium syllabo ad nos transmisso. Alterum habemus typis excusum in octavo, Mexici, ut videtur (nam exemplar, quo utimur, fronte caret, ubi editionis solet locus patere) annus facile conjici potest ex Approbatione Ordinis data apud Xuxuicapam Goatemalensis Regni Oppidum 8. Julij anno Domini 1625. in octavo. Titulum Operi fecit

Soliloquia de difussione divinæ Bonitatis.

Latino sermone, nec ineleganti, compactum opusculum, redolet viri spiritum admodum religiosi, anhelantisque ad cœlestia, & multo charitatis igne ferventis:

quo Nuncupatoriam etiam aspergit ad Illustrissimum Goatemalæ Episcopum D. JOANNEM A SANDOVAL ET ZAPATA, Augustinianum, qui & ipse multis à Parentis corde flammis mutuatis, haud parum ardebat, prælucebatque insigni Diœcesanis doctrinâ.

95 ILLMUS. M. D. ALPHONSUS HENRIQUEZ DE ARMENDARIZ, Natione Hispanus, Patria Hispalensis, Domicilio Mexicanus & munere. Genus illi præcellens, ut à Navarræis Regibus ductum. Ordini Regio itidem & Militari SS. V. MARIÆ de Mercede professione religiosâ se tradidit. Granatensi postquam Cœnobio præfuit, in Americam missus Vicarij generalis & Visitatoris Provinciarum sui Ordinis apud Peruanos vigentium functus est munere, egregijs relictis monumentis pietatis, quòd idolis etiamnùm alicubi vastissimarum regionum stantibus bellum indixerit, comminutisque ipsis, uni Deo Templa ædificari curaverit, cujus devotus ex animo cultui honorem & gloriam promovit. Redux in Hispaniam, Sidoniæ Episcopus initiatus fuit anno 1603. Dein in Ecclesiam Cubensem Americæ nostræ Septentrionalis assumptus, ejus prospicere bonis, ut Pastorem decet strenuum, nulli parcens labori curavit. Primarium Templum, ipso sedem tenente, constructum fuit, alijsque accuratissimi Præsulis actis inclaruit. Hæc porrò Regi ejusque Indiarum Consilio nota, facile egerunt, ut in Michoanensis Diœcesis infulas evolaret, cujus clavum tenuit sex annos.

96 Quantum porrò ovium suarum bonis consuluerit vivens, conjici hinc valet, quòd post funera quoque earundem vigilaverit commodis: nam ex proventibus annuis aliquot argenteorum millia reservans, parce sibi vivens & religiosè, ea Alumnis sui Ordinis Mexicanis commissit, ut Collegium S. Raymundi Nonnati titulo insigniendum ædificarent, pro alendis octo ex natis in Provincijs Cubensi & Michoacanensi, qui Jurisprudentiæ operam darent in Universitate Mexicana, eo quidem consilio, ut ditiones illæ, ceteroquin Theologis scatentes hominibus, jurisconsultis etiã haud paucis gauderent, ad varia Reipublicæ sacra & prophana munera non utilibus tantùm, sed necessarijs. Impares tanto operi erant pecuniæ ab Illustrissimo Præsulæ destinatæ; sed verò diligentiâ & industriâ religiosorum Patrum, quibus commendatum negotium erat, jusque Patronatus relictum, nonnullis post Alphonsi obitum annis, faustè tandem ac fœliciter erectum Collegium fuit, quod eximie floruit, vigetque etiamnum, doctissimis ex eo viris quotidie prodeuntibus, qui & illi, & Academiæ, & Patrijs splendorem augent, obeuntque scitissimè officia præclara, Rectoribus perpetuò Primarijs Mexicanæ Provinciæ Mercedensis Patribus, multis in-

insignibus & in Ordine suo & in Academia nominibus, quorum id etiam providentiæ fuit, ut vetustate prope collabentes ædes nuper instaurare à fundamentisque restituere incæperint. Nostri hercle gloriæ monumentum istud Mexici viget, nec gloriosum minus Hispali aliud perennat, Collegium sui Ordinis â S. Laureano nuncupatum, quod & condidit, & redditibus annuis locupletavit. His haud concedens tertium proprio ipse calamo descriptum reliquit, ut Author est ÆGYDIUS GONZALEZ DAVILA, in Theatro Ecclesiæ Michoacanensis, itemque Cubensis, qui authographum se vidisse testatur anno 1646 accuratissime scriptum, videlicet

Narrationem historicam rei spiritualis juxtà & temporalis Diœcesis de Cuba, vitam moresque Ecclesiasticorum ejus complectentem.

Meminit Authoris & operis D. NICOLAUS ANTONIUS in Bibliothecâ Hispaniæ novâ, multisque illum commendat meritò M. PAREJA, in Chronicis Mss Provinciæ Mercedensis Mexiceæ. Habet quoque memoriam ipsius & scripti LEON PINELUS, in Bibliothecâ Occidentali additâ tom. 2. col. 582 & 587. asserens servari Mss opus quod diximus in Bibliothecâ Barciæ Madritanâ.

97 D. ALPHONSUS HENRIQUEZ DE VARGAS, Natione, ut videtur, Mexicanus, Patria Goatemalensis, ejusdem Ecclesiæ Canonicus, Synodalisque Examinator, publici juris fecit

Concionem S. Petri Paschasij.

Habetur cum alijs ejusdem argumenti in Libro edito Goatemalæ, typis Josephi de Pineda Ibarra 1637. in quarto.

98 F. ALPHONSUS DE HERRERA, Natione Hispanus, non longe à Burgensibus natus in veteri Castella, Domicilio Mexicanus. Juvenis Legum studio civilium in celeberrima Salmanticensi Academia se dedit, in quo quávis multum profecerit, subindeq̃ fortunam, ut dicitur, polliceri sibi potuerit ridentem; consultius longe duxit æternam, Dei famulatu, salutem comparare, religiosumque statum capessere professione factâ solenni in Conventu Franciscanorum Salmanticensi. Inde cum alijs strictioris observantiæ & austeritatis cupidis in Provinciam S. Gabrielis transivit, unde in Mexicanam S. Evangelij nuper institutam, sanctitateque pollentem eximiâ devenit. Quòd, verò timeret sibi dæmon multa quæ in Dei gloriam & animarum salutem bona in America nostra agere poterat vir strenuus, bene in illum fucatam tentationem injecit, pristinæ desiderio solitudinis, qua in secessu Hispani Cœnobij gaudebat, quietiusque orationi vacabat, diu multumque sollicitans, ut ipsam repeteret, quodque deterius erat, Sodales non nullos secum deferret. Illustratus tamen, orans, cœlesti lumine

mine, technasque illas diaboli internoscens, Prælatum adivit, à quo prædicandi ministrandique Indis sacra mandatum postulavit obtinuitque, & deinceps molestiâ & scrupulo liberatus, idiomateque Mexicano optime instructus, totum se Indorum atque Hispanorum procurandæ saluti dedit. Cœnobijs præfuit gravioribus, totique Provinciæ, eo biennio quo Apostolicus vir P. MARTINUS DE VALENCIA, Custos ejusdem, negotio tenebatur in Philippinas nuper detectas Insulas navigandi. Litteris, virtutibus, consilio, & urbanitate, quibus fulgebat, Episcopis Religiosisque cũ primis acceptus, eorum evocatus comitijs & consultationibus frequenter intererat, qui ejus multi habebant sententiam. Tandem, vitâ religiosè admodum & sanctè traductâ, in senectute bona, in cœlum, ut pie creditur, evolavit die 6 Aprilis anno 1565. Reliquit scriptos idiomate Mexicano optimos

In omnes Dominicas & Sanctorum festa Sermones.

Acta ejus memoriæ commendarunt Arcturus, in Martyrologio Franciscano, atque in Menologio Provinciæ Mexicanæ Betancurtius die 6 Aprilis pag. 41. & Torquemada, in Monarchia Indica tom. 3 lib. 20. c 36 p 464. Item Gonzaga, Uvadingus, & Bibliothecæ Hispana & Franciscana, atque Indica Occidentalis Antonij de Leon tom. 2. col. 732.

99 FR. ALPHONSUS DE HITA, Natione, si conjectare fas est, Patriaque Mexicanus, Ordini S. Francisci in Provincia S. Evangelij se dedit, in qua transactis annorum curriculis ab ejusdem statutis mandatis pro Emeriti Concionatoris titulo nanciscendo, frequentissime habitis sermonibus, illam lauream promeruit, Deffinitoris etiam & Custodis, quæ è primarijs sunt, munera obtinuit. Edidit idiomate hispano

Panegyrim S. Patris Dominici,

Quem videre nobis non licuit; referunt tamen Betancurtius in Theatro Mexicano part. 4. post Menologium pag. 143. n. 42. & Bibliotheca Franciscana pag. 45. t. 1. quamvis pro S. P. N. Dominici scripserit S. P. N. Francisci.

Panegyrim de Immaculata Deigenitricis Conceptione ad Regiam Universitatem Mexicanam. Mexici ex Typographia Viduæ Francisci Rodriguez Lupercio anno 1692. in quarto.

Panegyrim de S. Petro Regalato. 1696. in quarto.

100 FR. ALPHONSUS JOSEPH ARANDA, Natione Hispanus, Patria Saldaniensis, Ordinis S. Francisci in Provinciâ SS. Nominis JESU Goatemalensi alumnus Cõcionatorque generalis, & Custos ac Parens, anno 1690. Regio S. Jacobi Cœnobio de Momostenango dicto Rector datus, inibi, loci silentio illectus ab hominum turbis longe semoti, opus auspicatus fuit eruditum & pium, faustè

que

que absolutum & prælo paratum, indiceque alphabetico instructum, Mexicum transmisit, ut videtur edendum, cujus extat authographum à nobis visum in Bibliothecâ Conventus Primarij Mexicei S. Francisci, hocce hispano titulo

Musæ gratiarum in sacro Hispaniæ Parnaso, seu Compendium historicum novem insignium pietate & martyrio sororum, SS. Liberatæ & aliarum, in quarto.

101 Fr. Alphonsus de Leon, Natione Hispanus, ignota nobis Patria, Observantiæ S. Francisci alumnus in Provincia S. Evangelij Mexicana, Lector Emeritus, & ejusdem Capitis munere decoratus, ac S. Inquisitionis Officij à Censuris Theologicis, typis commisit à se dictam in funeris instauratione Excellentissimi Ducis de Vejar solenni pompâ Mexici factâ,

Funebrem Orationem, seu ejusdem Ducis Panegyrim. Mexici, formis Viduæ Michaelis de Ribera 1719. in quarto.

102 Alphonsus Lopez de Hinojosa, Natione Hispanus, Patriam in Diœcesi Conchensi, Mexici Domicilium sortitus, JESU Societatem amplexatus est in Provinciâ Novæ Hispaniæ anno 1585. quinquagesimum ipse ætatis agens, eo consilio, ut Coadjutoribus temporalibus adscriptus, humilitati in primis deditus, reliquis & ipsâ Deo inserviret virtutibus, quas equidem ad mortem usque religiosè traduxit. Doctus Medicinæ & Chirurgiæ priusquam valediceret Mundo, eisdem etiam Religiosus factus, usus est opportunè pro adipiscendo cœlo: nam quòd Medici ea tempestate non plures essent pro frequentissimâ Civitate, pauperibus ut subveniret ac mederetur visum est charitati maximè consentaneum. Ad hæc, cùm Nova isthæc Hispania herbis abundet oppido salutaribus, quarum ille dotes callebat, usui ut essent, scripto medicamenta ex eis conficienda proposuit, morbosque in his regionibus frequentiores descripsit, additis medendi rationibus, quæ cùm alijs, tum potissimum Familiæ suæ Missionarijs loca incolentibus remotissima, nullique pervia Medico, utilissimæ sunt pro se suæque curæ commissis Indis. Obiisse pio in Domino majorem sexagenario, mense Martio 1597. scribit Bibliothecâ Societatis JESU, ubi quæ dicimus acta ejus non sine debita laude refert. Meminit ejusdem, immemor Religiosi, quod capessivit, Instituti, D. Nicolaus Antonius, in Bibliothecâ Hispaniæ novâ. Liber autem hispano conscriptus idiomate in latinum versus sic habet (quamvis citatus P. Sotuelus aliter ipsum tradat minus exactâ ductus operis, quàm acceperat, narratione):

Summa, seu Breviarium Chirurgiæ: Ars pro incidendis venis, & tonsorum Examen. Ita in editione prima. In secunda verò, *Adjicitur origo rheuma-*

matum & plurium aliorum morborum. Mexici typis Petri Valle, anno 1595. in quarto.

Editionem istam, tacito nomine Typographię, refert D. NICOLAUS ANTONIUS, quam vidimus in Bibliothecâ Collegij S. Bonaventuræ Franciscanorum ad Sanctum Jacobum de Tlatelolco.

103 FR. ALPHONSUS MALDONADO, Natione Hispanus, cujus incomperta nobis est Patria, Domicilio Mexicanus: In Provinciam SS. Nominis JESU Regularis Observantiæ S. Francisci Goatemalensem è Sanjacobæa ejusdem Ordinis translatus, duos post se reliquit Mss Libros in Bibliothecâ Primarij Conventus de Goatemala hactenus custoditos, quorum hispani tituli sic vertuntur latinè, primi quidem:

Loci communes, in queis alphabetico ordine multa de vitijs & virtutibus naturalia juxtà & politica, sacrâ prophanâque eruditione continentur.

Alterius verò,

Panegyrici Sermones 41. in quarto, ut ab ejusdem Provinciæ Patribus, datis humanissimè ad nos litteris, certum habemus.

104 FR. ALPHONSUS MARIANUS DEL RIO, Natione Mexicanus, Patria Angelopolitanus, Instituto Franciscanus, quod in Provincia S. Evangelij Professus est: Magistri, ut vocant, Theologorum studentium munere functus, concionandi suscepit provinciam, gradumque Prædicatoris generalis obtinuit egregijs planè meritis: nam assiduitati sermonum & facilitati dicendi, zelus Dei gloriæ & animarum salutis accedebat, doctrinæque & eruditionis copia, quibus mirè auditoribus arridebat, non popularibus modò, sed verò etiam doctis hominibus. Tertium, quem dicunt, Ordinem Pœnitentium Mexici dirigendum suscepit ejusdem titulo Commissarij, eximio quidem Sodalium & Ordinis fructu, propterea quòd eorumdem in spiritu progressus suis ita procuravit exhortationibus publicis & privatis, ut divino etiam cultui prospexerit, multisque devoratis molestiis egerit, ut Sacellum instaurari à fundamentis cœperit, quod deinceps magnificum adeò pulchrumque evasit, ut cum elegantioribus & ditioribus Templis, non Americæ tantùm, sed Europæ etiam componi possit. Quæsitoribus Fidei acceptus ob Theologiæ peritiam vitæque probitatem, inter Censores relatus est. Scripsit sanè Conciones multas, ex quibus tomi compingi possent aliqui; quas tamen habemus impressas idiomate hispano, subjungimus:

De S. Galliarum Rege Ludovico. Mexici typis Viduæ Michaelis de Ribera 1713. in quarto. Extat tom. 21. Collect. nostræ

In Dedicatione primarij Templi S. P. N. Francisci Mexicani. Mox dictis formis 1717.

In Anniversario Dedicationis Templi Metropolitani Mexicei festo. Eisdem

dem litteris 1719. Habetur tom. 11. Collect. nostræ.

Exclamationem epidicticam in obitu D. Joannis Josephi de Veitia Linage, Catholicæ Majestatis à consilijs. Mexici in Typographia Francisci de Ortega Bonilla 1723. in quarto.

In Funere nobilissimæ piæque fœminæ D Franciscæ Antoniæ de Gorraez Beaumont & Navarra. Mexici apud Viduam Michaelis de Ribera 1717. in quarto.

In festo S. Dominici, Prædicatorum Ordinis Fundatoris. In Officina Viduæ Francisci Rodriguez Lupercio 1720. in quarto.

De Beato Philippo à JESU, Mexicano, Japoniæ Proto-Martyre, Urbisque Mexicanæ Patrono. Mexici, Prælo Francisci de Ribera Calderon 1715. in quarto. Extat tom. 60. Collect. nostræ.

Et hac quidem Panegyri tam fuit cohortatus amicè & vehementer gentiles nostros pro inclyti gloria Martyris adaugendâ Canonizatione, ut multa inde agere incœperint in eum finem, cui assequendo utinam adsint alij fervidi viri, qui ulteriores Mexicanis addant faces & ignes. Meminit Authoris D. Antonius de Leon Pinelo tom. 2. col. 925.

105 ALPHONSUS DE MATA, Natione Hispanus, & è primis qui Mexicanum sibi Domicilium plusquam mille vitæ periculis nunquam interituri gloria nominis promeruerunt: Inter Ferdinandi Cortesij, inclyti Imperij Mexicei debellatoris, fortissimos milites stipendia meruit, gestisque rebus clarus, ut conjectare fas ex paucis quas in tabulas legimus à Torquemada redactas in Monarchia Indica tom. 1. lib. 4. cap. 78: Socios itidem ut bono collocaret in lumine, symbolum quoque suum posuit scriptis mandans paterna lingua,

Res gestas in Novæ Hispaniæ expugnatione:

Ut testes sunt D. Antonius de Leon Pinelo, in Bibliothecâ Occidentali editionis antiquæ pag. 75. Laudans D. Antonium de Herrera: itemque citatus Torquemada cap. 79. mox dicti lib. pag. 523. edit. novissimæ.

106 P. ALPHONSUS DE MEDINA, Natione, ut videtur, Mexicanus, Societatis JESU, publici juris fecit geminum opus, è quibus primum ejusdem in amœnioribus litteris peritiam ostendit, solutâ ligatâque numeris oratione pompam expendens, qua Ecclesia Metropolitana Mexicea fornice erecto Pro-Regem Novæ Hispaniæ venientem excepit Marchionem de Villena, Excmûm. D. Didacum Lopez Pacheco, deditque hunc titulum Libro:

Speculum catholicorum Principum & politicorum Gubernatorum. Mexici typis Francisci Robledo 1642. in quarto.

Secundum porrò Authoris opusculum Jurisperitiam, qua mire pollebat, ob oculos ponit in

Allegatione pro JESU Societate in

in causa ipsam inter & Eleonoram de Ribera venente. In fol. tacitis pro illius temporis consuetudine, in similibus scriptionibus typographo & anno. Habetur tom. 46. Collectionis D. Ludovici de Mendoza.

107 P. ALPHONSUS DE MENENDEZ, Natione Mexicanus, Patria nobis incerta, JESU Societati ex animo datus, quatuor nuncupatis votis, probatorum non modò in virtutibus religiosum virum decentibus, sed pro Philosophiâ & Theologiâ in publica Universitate tradendis gradum meritò tenuit. Postquam Grammaticæ incubuit edocendæ & Rhetoricæ, Philosophiam in Collegio Queretarensi professus est; alijsque deinceps ministerijs Deum & animas concernentibus in Maximo Provinciæ Collegio operam dedit, ægra etiam valetudine non parum vexatus. Scripsit præter

Latinas Prolusiones, & Conciones hispanas, hoc eodem sermone,

Concertationem poeticam in nascentis JESU plausum Favi symbolo expressi Anno 1713. Extat in Libro ad id argumenti destinato in Bibliothecâ dicti Collegij Maximi

Cursum Philosophiæ, Summulas, Logicam, Physicam, Metaphysicam, Animasticam complectentem. Exemplaria Mss apud Discipulos inveniuntur.

108 FR. ALPHONSUS DE MOLINA, Natione Hispanus, cujus Patria nos fugit, reticentibus ipsam TORQUEMADA & BETANCURTIO, qui res ejus accuratè scripsère: Domicilio & studijs Mexicanus: Admodum puer in Americam nostram adductus â parentibus, paucis à subjugata Mexico annis, quo tempore innumeros inter Indos Urbem inhabitantes nesciosque idiomatis hispani, Mexicano uterentur necesse erat, qui cum eis agebant Hispani; quotidiana ille facile consuetudine Mexicanorum linguam imbibere potuit, & verò etiam adeo breviter ea uti cœpit & eleganter, ut, teste BETANCURTIO, infusa cœlitus quam usu potius comparata à multis dicta fuerit. Recèns appulsi Mexicanas oras Apostolici primi duodecim è Franciscanorum gremio Prædicatores, ubi docendi vastissimos Populos provinciam suscepère, interpretibus cùm egerent, Alphonsumque puerulum observarent extranei idiomatis peritissimum, matrem ejus rogarunt, eum ut ipsis tradere vellet, quandoquidem alter sibi filius domi manebat; à qua libentissime oblatus Religiosis deprecatoribus, ductus in Monasterium fuit, habitumque induit Franciscanorum more. Convenientibus in triclinio Patribus lector ipse aderat, exeuntes pro Indorum catechesi comitabatur, Magistros Fidei linguam docebat, ut subinde ab hoc in alium aliumque Conventum duceretur, pro ut ministerio illi opus erat, quo fungebatur.

109 Votis suo tempore solenniter nuncupatis in Cœnobio Me-

Mexiceo, Religionem professus, doctusque sacras litteras, & Sacerdos effectus, egregiè de Provincia S. Evangelij, quæ tunc coalebat, & de tota Mexicana Natione meritus est. Nam & Indos è suggestu sacro supra quinquaginta annos docuit, maximo ipsorum profectu, qui mores Magistri doctrinis admodum conformes cernebant, austeramque vitam admirabantur: Et eorundem Doctores, scilicet Apostolicos viros, pro addiscendo idiomate multis quidem adjuvit, & viva voce & scriptis subsidia ipsis præbens opportunissima, primus omnium qui in Artem redegerunt Mexicanum idioma, Dictionariaq; conscripsèrunt. Orationem in delicijs habuit, humilitatem in tanta doctrinæ copia ex animo coluit, paupertatis amator divitias cœteraque Mundi bona nihili fecit: uni Dei gloriæ inhiabat, salutemque proximorum quærebat, propriæ insimul studio virtutum incumbens. Tandem longâ infirmitate probatus, ad cœlum, ut piè creditur, evolavit 31 Martij 1558. ut in BETANCURTIO legimus; sed corrigendum existimamus errorem Amanuensis, aut Typographi, forte pro 1585. scribentis 1558. Nam quòd & ipse BETANCURTIUS, & pridem TORQUEMADA constanter teneant, annos quinquaginta Nostrum prædicando insumpsisse, quorum initium ante 1535. vix capi potest, cùm venientibus Provinciæ Fundatoribus 1524 puerulus esset, nec statim Religiosis adscriptus, habitum licèt indutus, ut in ætatula illa solet devotionis officio; fit quinquaginta prædicationis annos ante 1585 neutiquam absolutos, emortualemque proinde hunc eumdem habendum Nostri, cujus corpus in Maximo Franciscanorum Mexicano Conventu quiescit. Multa, eaque utilissima scripsit & edidit, videlicet

Artem linguæ Mexicanæ. Mexici, apud Petrum Valli 1576 in quarto.

Aliam editionem Mexicanam affert Bibliotheca Franciscana, scilicet de anno 1571. in octavo, tacito nomine Typographi, quæ nos latet.

Dictionarium Hispano Mexicanum. Mexici 1555. in quarto, & ibidem typis Antonij de Espinosa 1571. in fol.

Dictionarium Mexicano Hispanum. Eodem Typographo, & anno in folio.

Confessionale maius. Mexici, ex Officina Antonij de Espinosa 1565 in quarto.

Confessionale minus utrâque linguâ Mexicanâ & Hispanâ. Eisdem typis & anno, in quarto, ut habentur in Bibliothecâ Regij Augustiniani Collegij Divi Pauli.

Doctrinam Christianam, seu Catechismum idiomate Mexicano. Mexici Formis Petri de Ocharte 1578. in quarto, & iterum Hispali, ex Typographia Francisci Perez 1584 in quarto cum Approbatione Cardinalis de Quiroga, Archiepiscopi Toletani, Quæsitoris Generalis

Fidei in Hispania. Extant in eadem Paulianâ Bibliothecâ. Alias adducit editiones Franciscana, nimirum Mexiceas 1564 & 1606. in quarto. Quæ sequuntur opuscula etiam edita fuisse testatur TORQUEMADA, & ex eo F. JOANNEI A S. ANTONIO, quarum exemplaria non vidimus, scilicet

Vitam Seraphici Patris Francisci.

Pro Eucharistiæ receptione præparationem.

Evangelica totius anni.

Officium Beatissimæ semper Virginis Mariæ.

Orationes precesque multas.

Meminerunt Authoris, præter citatos & D. Nicolaum Antoniũ, Gonzaga, Arcturus, Uvadingus Franciscani, quos in suâ Bibliothecâ adducit citatus Fr. Joannes à S. Antonio, queis addimus Dominicanum P. Fernandez, in Historiâ Ecclesiæ nostri temporis pag. 67. & Abarêam in Orbe terrarum Scriptorum calamo delineato, verbo *Mexicus*. Item D. Antonium de Leon Pinelo, in Bibliothecâ Occidentali addita col. 726 ubi advertit, quod jam Torquemada monuerat, Officium B. V. id circo prohibitum esse, quòd vulgari, quæ Mexicanorum est, linguâ verti id non liceat.

110 ILLMUS. D. ALPHONSUS DE LA MOTA, Episcopus Angelopolitanus, Mexici natus est, ut collatitia tenent suffragatione qui de illustribus ortis Mexici viris mentionem fecere, PP. MEDINA, BETANCURTIUS, & alij, quibus perpetua omnium traditio nostrùm adstipulatur, contra sentiente viro clarissimo nobisque arctissimæ vinculis amicitiæ conjunctissimo, Magistro FR. JOANNE DE VILLA SANCHEZ, Dominicano, in Vita S. Agnetis à Monte Policiano typis excusâ, scribente cap. 27. pag. 137. in ditione Angelopolitana natum Alphonsum, quem admodum puerum Ecclesiæ inserviisse illi docet, quam grandævus pavit & rexit, secutus virum itidem nobis charissimum, valdeque eruditum D. DIDACUM BERMUDEZ DE CASTRO, in Theatro Angelopolitano, de quo suo loco non pauca dicemus. Quòd tamen diversa sentire, ut dicitur, incolumi semper licuit amicitia, ab Amicis, eorum pace, hoc in puncto discedimus, cum alijs pergentes, quorum & si nos moveat antiquitas communi juncta existimationi, gravius multo rapit testimonium accuratissimi TORQUEMADA tom. 3. Indicæ Monarchiæ lib. 19 cap. 31. § penultimo scribentis, natum Mexici Nostrum, cui cùm esset æqualis, eoque scriberet tempore, quo ille Angelopolitanam sedem regebat, haud simile vero videtur natale ejusdem solum nescijsse, cùm Principum Patriæ, qua præsunt tempestate, soleant esse lippis etiam & tonsoribus notæ. Nec morari in eo volumus, quod Alphonsus puer Angelopolitanæ inservierit Ecclesiæ, quamquam difficile id nobis videatur, scientibus dedisse operam litteris

in

in Conventu Mexicano primario imperialique Prædicatorum Ordinis, ut ejus & Provinciæ Historiographus F. ALPHONSUS FRANCUS monet in citata jam Historia Mss lib. 1. cap. 47. quo loci nobilissimam Alphonsi progeniem, egregiam doctrinam, in regendo prudentiam, multaque alia decora ejus expendit. Nolumus tamen propterea domicilio illum obstinatò subducere per id ætatis Angelopolitano: Ita per nos liceat, fit enim non rarò, ut in teneris annis commigrent aliqui, proque ipsorum severiori educatione parentes curent à patrio in extraneum solum transferri, quo forsitã Nostri prospexerint genitores. Nec quòd primigenia familiæ bona in finibus extent Angelopolitanis, argumento est nobis, ut ibidem cunabula Nostri figamus, cùm persæpe Mexicani divites fundos hæreditarios longè constitutos habere soleant.

111 Alphonsum porrò D. Antonius de la Mota & Escobar, & D. Francisca de Orduña & Luyando, conjuges nobilissimis conspicui familijs genuerunt; prius verò sororem ejus Paulam, quæ Sanctimonialibus, à Conceptione nuncupatis, professione addicta, à S. Hieronymo fuit appellata. Est quidem Monasterium illud omnibus quæ Mexici florent antiquius, & Paula è primis in id convolantibus fœminis, quas inter tanta effulsit sanctitate, ut propterea quater in Abbatissam electa fuerit, ipsa perpetuo reluctante, quæ sibi vilescebat, ineptissimaque videbatur, cæterà columbæ instar mãsuetæ fellis expers atque malitiæ, pro ut testatur M. LUDOVICUS DE CISNEROS, in Historia Imaginis Deiparentis, nuncupatæ à Remedijs lib. 2. cap. 4. fol. 94. prope finem. Alphonsus à parentibus nobilissimis pie & liberaliter educatus, litteris operam dedit apud Patres Dominicanos, ut ipsorum Historiographus tradit P. ALPHONSUS FRANCO lib. 1. cap. 47. quibus fuit egregie devotus. Universitatem statutis frequentavit temporibus, exactisque de jure curriculis, Baccalaureatus gradus decerpsit, tantis in Philosophiâ & Theologiâ factis progressibus, ut deesset ipsi nihil pro Doctoratus apice nanciscendo; cui forsitan non inhiavit, quòd sacris initiatus, & pro eximia, qua pollebat, idiomatis Mexicani facundiâ, doctrinâ haud vulgari, notâque probitate, destinatus fuerit Parochus, quod multos annos munus est prosecutus in Oppido Chiapa, cui ex eo tempore ad usque præsens inditum cognomen *de Mota*, id circo quòd Noster se ibi insignem præstiterit zelo, charitate, cœterisque virtutibus fulgens.

112 In Hispaniam postea se contulit, nec sine plausu à primarijs viris exceptus, Catholici beneficio Regis Decanus factus est Ecclesiæ Michoacanensis, è qua eâdem functurus Dignitate in Angelopolitanam, & demum in Me-

xicanam tranſlatus eſt. Quo tempore Mexici agebat, munere eo poſt Pontificale primo conſpicuus, amicitiam excoluit cum viro Sanctitatis fama notiſſimo, non longe ab Urbe S. Fidei Oppidum incolente, GREGORIO LUPECIO, quem inviſere in pretio habebat, audireque Magiſtrum divino afflatum Numine paucis multa docentem; ut propterea graviſſimum de eo vita functo teſtimonium ſcripſerit, quod ad ejuſdem Cauſam Beatificationis procurandæ deductum fuit, & habetur in ejus Vita, à P. FRANCISCO LOSA conſcripta, & pluries recuſa cap. 38. Porrò magna cùm eſſet Alphonſi vitæ, ſcientiæ, & aliorum, quæ in Eccleſiarum miniſterijs geſſerat, meritorum exiſtimatio, quam Philippus ipſe II. Epiſtola ad Clementem VIII. data expoſuit, afferturque ab ÆGYDIO GONZALEZ DAVILA; poſtquã Nicaraguæ Inſulas recuſaverat, pro Eccleſia Guadalaxarenſi die 22. Octobris 1597. deſtinatus Epiſcopus, deincepsque conſecratus, clariorem ſe multò eo in munere præſtitit.

113 Exemplo verbum, moribusque virum decentibus Apoſtolicum conciones pias juxtà doctas que jungebat, quà hiſpano ſermone, quà mexicano, pro ut varios in vaſtiſſima Diœceſſi auditores habebat. Ardua aggreſſus itinera nulli unquam labori pepercit, modò ſuis ſe ſiſteret ovibus deſerta & aſperrima incolentibus antra, univerſamque luſtravit Provinciam, quæ barbaros in confinio plurimos habet, eorum iram minasque deſpicatus. Non longius erant à Topia dicti, qui barbariem exuti haud ita pridem, gentiumque ſimulacris calcatis, Baptiſmi lavacro ſe intingẽdos dederant, chriſtiana dein ſacra colentes: Quòd verò Hiſpani quidam Regijs obſiſtentes mandatis, avaritiæ litantes, miſeros in Argenti fodinis laborantes plus juſto vexabant, jugum illi perteſi duriſſimum, excutere id, & quod ſuave eſt, chriſtianæ religionis, voluere, armati que in Hiſpanos irruerunt anno 1601. Præſes Provinciæ Auditoresque Regij milites eò miſſerunt, rebelles qui compeſcerent, adigerentque vi ut in violatam utriuſque Majeſtatis fidem revocarentur; fruſtra tamen & incaſſum, donec Alphonſus è Curia, in qua reſidebat, Novæ Galeciæ, deſtinatis primum ad illos nuncijs, deinde coram, ſuperato itinere multo, egit ut reſipiſcerent. Mandavit quidem ad deſertores ſtrenuos Legatos, unàque, quibus utebatur, Mithram & Annulum, ceu pignora benignitatis remiſſionisque pro commiſſo ſcelere graviſſimæ mulctæ, quas ſe à Rege obtenturum pollicebatur. Et ceſſit quidem optimè cogitatio: nam hoſpitio & humanitate homines barbari excepere Nuntios Epiſcopi, plurimi ducentes pignora, quæ ille miſſerat, de ipſis obligata fide ſecuri, maturanteſque, gentis more, ad ſequen-

quentem Lunam reſponſum. Hæc inter Alphonſus prope Topiam acceſſerat ſexcentis millitaribus per aſperrima loca decurſis; illique prodeuntes è latebris, agmine facto, & Mithram in altum ſublatam, vexilli ad inſtar, fauſtè ſequentes, in manus ſeſe tradidere Prælati, à quo humaniſſimè excepti, & veſtibus ac cibis donati, in priſtinam obedientiam reducti ſunt. Grates ille Deo fecit ſacris ad aras cantu operatus, indictâque gravi ſupplicatione; tum fervidâ Mexicanorum idiomate Indos concione hortatus, Hiſpanosque aliâ haud minus vehementi obteſtatus, uti ſinguli ſe in officijs continerent, ad concordiam omnes attraxit.

114 Hæc ubi fœliciſſime abſolvit, ad meridiem progrediens, infeſta barbaris, quos Tepeguanes dicunt, robore & ferociâ horribiles, loca decurrens, ſubſtitit Oppido Papaſquiaro Hiſpanis jam dedito, Indisque Chriſtianis, qui ibi habitabant, multis proxima ſolenniſſima Aſcenſionis Domini die prædicare decrevit, incredibili finitimarum gentium commotione, quæ Epiſcopum nunquam aliàs viderant: Acceſſère propterea non Fideles tantùm, ſed etiam Pagani multi, hosque inter Proceres quinque, qui Provinciam circum omnem turbabant, bellandi gloria & martialibus geſtis ſuos inter illuſtres. Alphonſus occurrentis Evangelium feſti palam illis exponens Mexicanorum linguâ, Baptiſmi neceſſitatem fructusque declaravit eximios, quibus per interpretem à Proceribus illis, qui neſciebant Mexicanè, ut cumque perceptis, optantibusque ſalutaribus aquis intingi, Alphonſus repoſuit, futuros bono animo; at voti ut fierent compotes, oportere prius inſtrui in unius veri Dei notitiâ, aliorumque Catholicæ Fidei, & Legis Evágelicæ myſteriorum ſalutis ſcientiâ, quam ut illos docerent, liberaliſſime tractatos, muneribusque affectos remiſſit ad Societatis JESU Patres non procul adſtantes, à queis tandem edocti, vehementius multò Baptiſmum aventes, ſtata die ſolenni quidem pompa, ſuis ipſe Alphonſus manibus luſtralibus aquis perfudit, quibus efferati barbari manſuevère, perinde quaſi lapidei vice cordis carneum fuiſſet ipſis ſuffectum, quod jam pridem Deus promiſſerat gentibus.

115 Cunctis ſanè Alphonſus gratiſſimus erat, non ignaris tantùm & ex infima plebe hominibus, ſed nobilibus, doctis, gravibusque, omnia ſeſe, Apoſtolum imitatus, omnibus faciens, ſingulorumque aut honori proſpiciens aut commodo. Comitia per id tempus celebrata ſunt Guadalaxaræ (quæ Civitas eſt Novæ Galeciæ Prima, Regij Auditorij ſedes, Præſidis, atque Epiſcopi) à religioſis Obſervantiæ S. Franciſci Patribus, qui unâ hactenus cenſebatur Provinciâ Michoacanenſi, domiciliaque inter ſe longiſſime diſ-

ſita ſortiebantur, alijs in Regno Galeciæ Novæ, ſeu de Xaliſco, alijs in Michoacanenſi Regno Cœnobijs ſtantibus; eo conſilio, ut quæ in Toletano totius Ordinis generali Conſeſſu ſancta fuerat anno 1606. Provinciæ diviſio, jure tandem fieret & ordine: qua ſecuta, electisque utriuſque Provinciæ Prælatis, feſtiviſſimâ utraque & frequentiſſimâ ſupplicatione à Franciſcanis ædibus ad Cathedralem Eccleſiam proceſſère, ſacra in prima Templi ara, Capitulo annuente, facturi, Noſtrumque excepturi è pulpito dicentem, qui eruditionis & ingenij gazas explicuit multas, ampliſſimas commendans Familias, eiſdemque ex animo gratulatus, ut memoriæ prodidit in Chronicis Michoacanenſis Provinciæ P. ALPHONSUS DE LA REA lib. 2. cap. 1. Anno nuper dicto 1606. Angelopolitano, ſeu, quod idem eſt, Tlaſcalenſi Epiſcopo D. DIDACO ROMANO, Coadjutorem ſibi poſcente paſtoralis officij, quòd ſenectute gravis captusque luminibus, ſatis illi facere, ut hactenus egerat, ultra nequiret; Noſter eſt datus, futurus que Succeſſor Apoſtolicâ authoritate. Rebus itaque Guadalaxarenſibus expeditis, Angelopolim demum petijt, defunctoque DIDACO ROMANO anno 1607. ſuccedens, totum ſeſe impendit Eccleſiæ nuper ſibi traditæ & ampliſſimo gregi, cujus ut conſuleret in chriſtianis juxtà ac politicis rebus fœlicitati, magnificum à fundamentis erexit Collegium, quod à S. ILDEPHONSO appellari voluit, pro JESU Societatis Patribus, quibus alendis redditus conſignavit, eximijs inde in univerſam Diœceſim fructibus promanantibus: Nam docetur in Collegij Aulis, Philoſophia, ſingulis annis Curſum incipiente ſtrenuo Magiſtro, qui eo per triennium munere fungitur: traditur præterea & Theologia, quæ mores reſpicit, & quæ ad ſcholæ palæſtram attinet à Primario Veſpertinoque Profeſſoribus; Sacris interpretandis Biblijs alius Moderator incumbit, quas inſignes ſemper viri ornarunt ſpartas, quibus & alij Sodales ſtrenui pro concionibus habendis, excipiendisque confeſſionibus accedunt præclaro animarum emolumento, nec minori utilitate ReipublicæLitterariæ multos quotidie doctos inde viros colligentis, atque in AcademiâMexiceâ infulis redimientis haud vulgari Sapientum plauſu.

116 Multis præterea Alphonſus nominibus alijs de Eccleſia & Diœceſi ſua benemereri pergens, plurima opulentis redditibus annuis, parco admodum pro ſuo familiæque propriæ victu contentus, pijſſime unà liberaliſſimeque conſtituit, quæ & Dei cultum, & Provinciæ decorem, & pauperum ſubſidium concernunt. Ut erga immaculatam Deiparentis Virginis Conceptionem ſingulari ferebatur amore, ejuſdem Imaginem ex puro puto argento fabricatam Eccleſiæ ſuæ, quæ hoc cohoneſtatur titu-

tulo, dedit dono, pro cujus festo solenniori pompâ celebrando redditus destinavit, quibus pinguiores addidit pro singulis quadragesimæ Sabbatis, cantu, concione, & populi frequentia colendis in honorem itidem Deiparentis purissimæ. Ad hæc pro maritandis puellis dotes perpetuas, Beneficia fundavit pro initiandis Clericis, atque ut alia taceamus, sacris vestibus, vasis, supellectilli tam multa Cathedralem & pretiosa ditavit, quinquaginta ut argenteorũ octo regalium millibus æstimetur.

117 Latè patentissimamDiœcesim circumivit, multâ quidem defatigatione & molestiâ suâ, Diœcesanorum nullâ, ut in Guadalaxarensi ditione etiam usu tenuerat: nam ulli ne gravis esset, aut videretur inurbanus, si quod illi munusculum pauperculi obtulissent, duplo illud humanissimè rependebat, à divitum abstinens donis capiendis, omnium inhians animabus & saluti, atque semper Dei gloriæ. Hac de causa latitantes in silvis & Oppidorum angulis idololatras (nec enim per id tempus, scilicet retracto ab hinc integro seculo & fere dimidio, funditus pestis illa fuerat eradicata) diligentissimè conquirebat, inventisq; ferventissime prædicabat egregio fructu, quòd peritiæ in idiomate Mexicano, doctrinæ, & spiritui authoritas Episcopalis robur & vires adderet. Pauperibus subveniebat largissimè, tantâque illos charitate prosequebatur, ut filios amantissimus pater. Certè tot pro ipsis alendis, tegendis, fovendis, sumptus fecit ubique, uti in eos & divinum cultum omnes expenderit,quos Ecclesiæ ipsi suppeditaverant, imò plures; nam numeris putati excedere visi sunt dati acceptis, Deo facile providente, ut ditaret multis eum qui minime post aurum abierat.

118 Anno 1616. Novâ Hispaniâ, quæ feracissima est, laborante sterilitate, & non modò pauperibus fame vexatis, sed divitibus etiam molestijs affectis, Noster grandem in horreis summam indici frumenti repositam ex proventibus Dignitatis habebat, quam si vendere currente ea tempestate pretio voluisset, nempe septem aut octo argenteis uncialibus geminum medimnum, thesaurum sibi coacervasset argenti; ut cœlestibus tamen dumtaxat inhiabat, pro hisce quærendis totum in tabernas frumentum exposuit, pro egenibus, Indis potissimum, sine pretio donandum, pro alijs verò duodecim regalibus argenteis vendendum, hoc est, plusquam sex vulgaris pretij partibus condonatis, ut eo scribens ipso anno testis est citatus supra M. CISNEROS lib. 2. cap. 13. Quanto hinc Dei amore flagraverit conjicere est, qui eximiæ adversus Proximos charitati, zeloque religionis & fidei reliquas virtutes conjunxerit; quas inter eximia animi & corporis eminuit munditia, virginitas scilicet ad extremum usque illiba-

ta diem. Tanti ſubinde habitus, ut conſtans fuerit omnium opinio, ſi Summus Pontifex aliquem eo tempore ex Americanis adſcribere vellet Purpuratis Eccleſiæ Patribus, unum ad id honoris aſſumendum meritò Alphonſum. Demum 16. Martij 1625. incredibili omnium dolore, corporis depoſuit exuvias grata Deo anima, quæ tamen cœlum priuſquam ſcanderet expiatorijs purgata flammis fuit, ſi fides habenda D. Joſepho Gomez de la Parra, viro graviſſimo, Angelopolitano, in Hiſtoria Fundationis & primi ſeculi Monaſterij Carmelitarum fœminarum, è quibus vita inſignis, viſisque illuſtris cœleſtibus Eliſabeth ab Incarnatione Noſtrum haud ſemel ſe vidiſſe audiviſſeque teſtata eſt depoſcentem ſuffragia, quibus adjutus pœnas evaderet amariſſimas, quas propterea lueret, quòd languidius Dei viſionem optaſſet: mirante verò fœmina, quì ſubſidijs egeret, poſtquam orationes & Miſſas numero plurimas Fundatori ſuo Collegij Jeſuitarum Patres, & alibi degentes, decem mille ſolviſſent; Alphonſus repoſuit, inſcrutabili juſtoque Dei Judicio iſthæc omnia animabus ſubditorum ſuorum Purgatorium ſubeuntibus fuiſſe applicata. Quæ cùm legentibus timorem incutiant oportet, ſtimulos addant par eſt pro leviſſimis etiam noxis cavendis, quas tanto vir egregiè Sanctus impendio ſolvit, donec auxilia cumulantibus Virginibus illis, Patriam demum tenuit cœleſtem Angelis aſſociatus, qui Angelorum populum rexerat in terrenis. Corpus ejus celeberrimâ & funebri elatum pompâ in Collegio quieſcit à ſe conſtructo, atque ſequens ſarcophago inciſſum inibi legitur Epitaphium:

Illuſtriſſimus
Dominus Dominus
Alphonſus de la Mota & Eſcobar,
Epiſcopus Tlaſcalenſis,
Fundator hujus inſignis Collegij,
Mota eſt, nam moritur,
Sed mens immota manebit.
Dum jacet hìc Corpus,
Vivit & ipſa Deo.

Scripſiſſe, dum viſitationi Diœceſis inſiſteret Angelopolitanæ,

Itinerarrium, Author teſtatur Allegationum pro Clero Angelopolitano hiſpanice excuſarum fol. 73. num. 22. Scripſit præterea

Hiſtoriam & Deſcriptionem Novæ Galeciæ, ejus Urbes, Portus, Indos vectigales aliosque exponentem, Marchioni de Sarria D. Petro Fernandez de Caſtro nuncupatam.

Servari Mss in folio in Regiâ Madritanâ Bibliothecâ Authores ſunt qui Occidentalem Antonij de Leon locupletarunt, tom. 2 col. 610,

Relationem perduellionis Indorum qui à Topia dicuntur, anno 1601. P. Torquemada edidit t. 1. Monarchiæ Indicæ lib. 5. c. 44. Qui præterea Noſtri memorias habet tom. 3. lib. 19. cap. 31 & 32. Ejuſdem

dem fecère mentionem, citati hactenus M. Villa, loco supra jam dato: M. Cisneros locis itidem indicatis: Gomez de la Parra dicto tomo, Notabili 11. pag. 125. & sequentibus. M. Ægydius Gonzalez in Theatro Ecclesiæ Angelopolitanæ, & P. Augustinus Betancurtius in Theatro Mexicano parte 4. Tractatu de Urbe Angelopolit. pag. 51. num. 33 & 34. in quibus postremò nominatis duobus corrigendum occurrit, quod Alphonsum nostrum conditorem fecerint Xenodochij quódam stantis in Oppido Sanctæ Fidei non longè dissito ab Urbe Mexico: item Pasquarensis Valetudinarij & aliorum in Regno Michoacanensi, ac demum Collegij S. Nicolai Vallisoletani; cùm tamen omnibus hoc tempore notum sit, monumenta isthæc esse Clarissimi item viri D. Vasco de Quiroga, primi eo in Regno Episcopi multis nominibus colendissimi, cui pro inde jure sunt vindicanda.

119 ILLMUS. D. ALPHONSUS DE MONROY, Natione Hispanus, Nobilibus Parentibus Hispali natus, Dignitate Mexicanus & munere: Institutum Redemptionis captivorum B. V. de Mercede in Patria professus, Burgensem, Vallisoletanum, & Toletanum Conventus rexit, & Bæticæ Provinciæ Præses electus anno 1601. monumenta in patrio Cœnobio reliquit insignia, ædificato præcipuo ejus cavædio, Templi augustiori parte, & devoto Beatissimæ Deiparenti Sacello picturis ornato nobilibus, argenteâque lampade, adjecto imagini Virgineæ aureo diademate, & pro ejusdem cultu redditibus annuis, quodque his præstat longè, impetratis ab Apostolica Sede gratijs pro Sacellum visitantibus, quas Romana Lateranensis Basilica S. Joannis aggregatis sibi locis communicare solet. Destinatus pro familia sua Vicarius in Regnis Peruvicis Generalis, dein universæ, quà latissime patet Orbe toto, Religionis Mercedensis Præfectus renunciatus est, quo in munere suorum & virtutes promovit & litteras, earumdem cultorum Mecœnas & Pater. Hinc, clavum Regij sui ordinis ipso tenente, Reformatio emersit, seu Recollectio, pro his qui austerioris vitæ genus optarent, rigidioribus additis statutis, sub ejusdem tamen Instituti Mercedensis vexillo. Demum à Philippo III. Hispaniarum Rege præsentatus Episcopus pro Americanâ Ecclesia Portudivitensi, priusquam Apostolicas Litteras accepisset, è vivis excessit Hispali anno 1614. Scripsit

Constitutiones pro Reformatis Ordinis Mercedensis Sodalibus:

Quarum & Authoris meminere Ægydius Gonzalez Davila, in Theatro Ecclesiæ de Portudivite, & Nicolaus Antonius, in Bibliothecâ novâ.

120 FR. ALPHONSUS MONTERO, Natione Hispanus, in Castella natus veteri, novum se in Or-

Orbem transtulit, & Mexici in Provincia S. Jacobi Ordinis Prædicatorum Instituta complexus, ad SS. Rosarij Philippinarum Apostolico zelo ductus commigravit, in qua exaratam reliquit hispano sermone

Narrationem historicam miraculorum, quæ in primordijs Ecclesiæ Manilensis, &c, quæ huic subsunt, aliarum operatus est Deus.

Cujus meminit Aduarte in Historia ejusdem de Rosario Provinciæ, lib. 1. cap. 23.

121 Illmus. D. M. Alphonsus de Montufar, Natione Hispanus, Logiæ natus anno Domini 1489 pie & liberaliter educatus, adeo à teneris inhiavit statui religioso, ut ea ipsa die, qua ætatem pro nuncupandis votis explevit, solennem ediderit professionem in Conventu S. Crucis Granatensi Prædicatorum Ordinis. Dein tanto cum ardore ingenio que studijs incubuit, ut non multo post Lector Philosophiæ Theologiæque fuerit renunciatus, quo in munere egregij partes explevit Magistri, ut propterea lauream pro Ordinis statutis & usibus reportaverit. Consulebatur frequentissime in gravibus,quæ occurrebant, negotijs, cùm in Regia Cancellaria, tum in Cathedrali Ecclesia, & apud S. Inquisitionis Tribunal, cujus inter Censores electus fuerat. Audiendis confessionibus sacris se dedit, à multis nobilibus, doctis, & alijs conscientiæ moderator expetitus & habitus. Semel & iterum regendo proprio Cœnobio Prior datus, haud vulgaris prudentiæ specimen obtulit. Queis Carolus V. motus Archiepiscopum Ecclesiæ Mexicanæ delegit, qui nuper vita functi sanctæ memoriæ Joannis de Zumarraga ejusdem Ecclesiæ conditoris, vestigia, Apostolica certe, premeret. Anno 1553. Catholico ritu inauguratus socijsque ejusdem Instituti duobus adlectis, litteris conspicuis & virtutibus, oceano se tradidit, faustèque ad oras Mexicanas appulsus, demum in Urbe, ceu communis Pater exceptus, omnium commodis providere attentissime cœpit, & verò etiam ad mortem usque sanctè providit.

122 Indos plurimos suis ipse manibus sacro abluit lavacro, cùm ex his qui diaboli fraude decepti, de die in diem eo initiari procrastinaverant, tum etiam ex alijs, quibus in tanta multitudine non dum lumen affulserat. Sacramento Confirmationis dificile dictu est quantos inunxerit. Eleemosynis miseros adjuvabat, sontes junctâ severitati mansuetudine corrigebat, omniumque saluti nunquam non vigilabat. Annis quamquam multis gravatus, Diœcesim, vastissimam quidem & pluribus locis asperrimam, lustravit tamen, oves invisens, & interpretibus usus docens, Parochos admonens, pro ut rerum poscebat status, nihil que quod ad Indorum spectaret salutem omittens. Erecta recens fuerat Universitas Mexicana, quæ è

è re sua judicans communem Parentem, Magistrumque in Theologia doctissimum, in suum gremium adsciscere, in pleno Doctorum Consessu (jam enim bene multi coaluerant, ut supra in *Academia Mexicanensis* diximus) 28. Augusti 1554. præsenteque Novæ Hispaniæ Pro-Rege D. LUDOVICO DE VELASCO, viro clarissimo, collatitijs suffragijs decrevit, ut condonatis sumptibus omnibus, Illustrissimus se illis Archipræsul Doctor conjungeret, cooptatusque inter Theologos non modò antiquioribus, sponte ijs cedentibus, præiret, verumetiam Cancellarium ageret, quo usque aliud Catholico Regi placeret. Sane, ut erat Alphonsus amantissimus litterarum, maximi fecit honoris id & officij munus, pro quo deinceps implendo candidatos omnium Facultatum ab Academia jure probatos, Licentiæ, ut dicitur, & Doctoratus infulis Magistros & Doctores creare perrexit, studiosis subinde mirâ alacritate excolentibus litteras tanto stimulati fotique Mecœnate: Quæ bono in lumine collocavit D. FRANCISCUS CERVANTES SALAZARUS, primus Rhetoricæ Antecessor, qui suos politissimos Dialogos perpulchra eidem consignavit Nuncupatoria, cujus quia rarissimus est Codex, fragmentum transcribimus.

123 *Clarissimo & eidem omnibus animi bonis ornatissimo sacræ Theologiæ Magistro Fr. Alphonso á Montufare, Archipræsuli Mexicano. Paulò ante quam in hanc Provinciam optatissimus certè, commeasses, Antistes præstantissime: Academiæ Mexicanæ, quæ beneficio & liberalitate Cæsaris erecta est, & in qua ipse dicendi rationem regio stipendio trado, Commentaria in Vivis exercitationem alumnus Matri dicavi, quòd nihil tam ex officio fore putarem, quā ipsi, à qua & alitus & educatus sum, quantum in me positum esset, referre paria. Nunc autem felici tuo adventu, qui deinde secutus est, ita & eorum qui enarrant, & eorum qui disciplinas audiunt, animi novis quibusdam aculeis incitati sunt, ut novas vires novosque spiritus sumant, quo alacrius & propensius, hi in discendo, & illi in docendo ulterius pergant: brevi omnes tales evasuri, ut novum hunc Orbem, diaboli & infidelium antehac sedem, omni macula purgatum, Deo Maximo & Vero domicilium faciant. In his ego, etiam si meritis postremus, non minus animatus sum, quòd solent milites fortissimo & felici duce pugnante, ut aliquid non omnino indignum luce pararem. Qua propter, tam & si gravioribus studijs, Theologicis scilicet, addictus essem, dum maiora molior, nihil antiquius duxi, quam Dialogos hos, quos succsivis horis institutum Vivis secutus in rem studiosæ juventutis conscripseram, Tibi uni hac in Regione studiorum Fautori & Mecœnati consecrare.* Alijsque adjectis colophone imponit, *Bene vale Mexicanæ Ecclesiæ columen, Academiæ decus, & novæ Hispaniæ maximum ornamentum.* Hactenus Academicus

vir Opere excusso eo ipso anno 1554. quo Archiepiscopus nobilitare Academiam cœperat, interque ejus Doctores censeri.

124 Multa quidem id temporis Nostri curas sollicitabant, quæ ut, maximam partem, expediret, Concilium Provinciale indicere decrevit, quod sequenti anno 1555. & inchoatum & absolutum fuit, typisque descriptum Mexici à JOANNE PAULO LOMBARDO, qui primus ipsa in Urbe Typographus fuit. Quoniam autem de Concilio hoc & cœteris Mexici celebratis fusior pro rei dignitate suo infra loco, verbo *Concilium*, sermo erit, actis nũc ejus supersedemus. Elapso decennio, aliud jungi Concilium Mexici curavit, cujus in Comitijs potissimum actum est, ut Sanctum Oecumenium Tridentinum, quod anno 1563. absolutum jam fuerat, atque toto Orbe Catholico suspiciendum & observandum, in his etiam Americæ Regionibus recèns ad Christi ovile aggregatis, publicatione cunctis innotesceret solennissima, in moresq̃ & praxim Decreta ejus, Canones, & Doctrina sanctissimè inducerentur: Qué in finem 28. in hacce Synodo Constitutiones editæ sunt, Tridentinumque Generale palam omnibus observandum propositum anno 1565. pro ut deinceps semper fuit religiosissime custoditum. Et de hoc etiam Mexicano, quod Mss vidimus legimusque, indicato nuper loco dicemus. Noster his alijsque functus multis, septuagenarius propè cum esset, auxilioque egeret subinde, Gubernatorem Archiepiscopatus ascivit Sodalem suum virum doctissimum BARTHOLOMÆUM A LEDESMA, Universitatis Mexiceæ Primarium Theologiæ Antecessorẽ, qui duodecim annis in regimine ditionis juvit Alphonsum, hocque præcipiente egregiam conscripsit & edidit Summam de Sacramentis. Quòd autem in Provinciali Mexicano Concilio de anno 1555. cautum erat, cap. 4. ut pro uniformi in docendis Indis rei Christianæ ratione Catechismi prodirent gemini, alter brevior, fusior alter, qui in multas Regionis Linguas versi, quibusvis obvij essent & prompti, hanc alijs Dominicanis Patribus operam injunxit, qua illi defuncti, doctrinam, & preso & largiori tradiderunt stilo, typisque vulgarunt. Pariter, cùm ejusdem altera Concilij sanctione 67. cap. cautum fuisset, uti pro ministrandis Sacramentis Manuale cuderetur, cunctis unum Ministris futurum, hanc Noster provinciam commissit JOANNI BUSTAMANTIO, Augustiniano, & JOANNI DE SALCEDO, tunc Baccalaûreo, dein Doctori egregio, quo de plura suo loco: Ejus quòd ad præsens attinet, juvat Epistolam afferre Manuali præfixam edito Mexici in Officina Petri de Ocharte 1568. quòd Alphonsi zelum, cœterasque virtutes subindicet. Et ita illa habet, adduciturque

que hîc, quòd rarus admodum etiam sit Liber.

125 *Joannes de Salcedo, sacro Diaconatus ordine insignitus, in Jure canonico Baccalaureus, Christiano & perito Lectori sinceram in Domino optat fœlicitatem. Est fuitque semper colendissimi nostri Archipastoris in oves custodiæ suæ commissas adeo acris vigilantia, hujusmodique studium, ut noctes diesque nihil aliud ageret, nihil aliud cogitaret, quam quo pacto animarum æternæ saluti diligentissimè prospiceret; tuncque suis rationibus consultum impensè existimat, cùm suis est ovibus ex animi sententia provisum; quòd vel ex hoc perspicias, benignissime Lector, quod ad Sacramenta ministranda Manualia (sic enim vulgò vocant) desiderari ratus, ad hæc animadvertens, quæ Sacrosancto Concilio Tridentino in Sacramentorum administrationem statuta leguntur, Fratri Joanni Bustamantio designato, mihique tametsi (quod ingenuè fateor) enerudito illiteratoque viro, hujus Manualis examen duxit committendum, fecitque copiam, ut quæ necessaria nobis fore viderentur suis in locis non vereremur adjicere, ea præsertim quæ in Sacra Tridentina Synodo deffinita deprehenderemus, rejectis ac sublatis è medio, quæ de jure antiquo minimè hodie observantur: Paruimus libenter &c.*

126 Parcimus his quæ in Epistola subsequuntur, alibi forsan convenientius transcribendis, quádoquidem eo hactenus exarata consilio tradidimus, quòd Alphonsi conatus erga sibi commissos populos palam offerant. Bonus certè Pastor suis ita ovibus vigilavit, ut sibi interim haud dormiret, in tanta licèt positus Dignitate, religiosi vitam exacti servans, quo usque diuturnâ purgatus ægritudine, obijt in Domino die 7 Martij anno 1569. ætatis octogesimo, regiminis Mexicanæ Diœcesis 17 sepultusque fuit, prout ipse in supremis ordinaverat tabulis, in Cœnobio Dominicanorum Imperiali Mexiceo, in quod gravissimâ deductum fuit pompâ, & totius Civitatis in funere dilectissimi Parentis mœstitiâ. Scripsit, quod sciamus, patrio sermone

Alphabetum seu Regulas in Choro Ecclesiæ Metropolitanæ Mexiceæ servandas.

Mexici tertium editas 1710. quæ usu hodieque tenent, sanctèque servantur, in octavo.

Procemium ad Concilium Provinciale Mexicanum.

Cujus id circo mentionem facimus, &si folium non impleat, quòd tanti viri etiam fragmentum multi sit habendum, & unguis instar Leonem subindicantis. Cœtera quæ in Concilio uno altero que leguntur, ijs qui ea scripsere suis locis reservamus. Alphonsi vitam complexus est brevi & succulento cap. 47. lib. 2. Historiæ Provinciæ Jacobeæ Mexicanæ Illmus. Davila: Accedit Ægydius Gonzalez Davila, in Theatro Ecclesiæ Mexicanensis. Meminerunt ejusdem Betancurtius in Theatro Mexicano part. 4. tractatu Urbis Mexiceæ p. 23. n. 112. Et quòd

res ſpectat academicas Plaza in Chronicis lib. 1. cap. 13. num. 135. & cap. 17. n. 161.

127 ILLMUS. D. ALPHONSUS DE MUÑOZ, Natione Mexicanus, claris ſanguine genitoribus Mexici natus, apprimeque eruditus, tanto plauſu in Sacra Theologia Doctor eſt creatus in Mexicanenſi Academia, ut non multo poſt ejuſdem regendis Cathedris fuerit admotus, donec omnium tenuerit apicem Primariam Theologiæ. Hanc aliasque poſtquam totos viginti ſex annos moderatus egregiè fuerat, & viginti quidem ſpatio annorum Antecesſorem Perpetuum egerat, ut ſtatutis cautum eſt pro eo qui Emeriti honorem eximium optaverit; id tandem decretum fuit Noſtro à Conſeſſu academico die 23 Auguſti anno 1613. nec ſine multa laude, quam ob præclarè navatam operam promeruiſſe, Judices ipſi teſtati fuere. Cœterùm & ſi eo in primis privilegio gaudeant Emeriti, ut quieſcere deinceps poſſint, & emolumenta percipere, ceu retroacti fructus vicenarij laboris, eo Noſter uti detrectavit, quotidianasque prælectiones intermiſſit numquam, quo uſque ægra præpeditus valetudine Regens ipſi ſuffectus eſt vir ampliſſimus D. ALPHONSUS DE CUEVAS DAVALOS, qui Archiepiſcopus Mexicanus evaſit, ut ſuo ſcripſimus loco. Noſter quòd peritiæ in Theologia ſummæ, haud vulgarem in rebus gerendis prudentiam conjunxerit, virtutibusque & moribus fuerit conſpicuus, multis etiam fuit auctus honoribus, Academiæ ipſi Pro-Cancellario datus eſt, & Canonicatu & alijs in Metropolitanâ Eccleſiâ dignitatibus fulſit, primamque Decanatus emeruit, è qua in Eccleſiam Chiapenſem Epiſcopus à Rege Catholico deſtinatus, atque à Sede Apoſtolica electus, priusquam ſacrari pro Pontificali munere quiverit, diem obijt extremum. Scripſit quidem multos

Ad Scholaſticam Theologiam ſpectantes Tractatus, quos tamen indicare ſignatius impedit qui tenuerat ea ætate mos, parum equidem accuratus, quo de meminimus in V. Alphonſus de Cuevas Davalos. Harum Lectionum, ut dicunt, Noſtri multa cum ejuſdem laude Plaza ſcripſit in Chronicis Univerſitatis lib. 3. cap. 16. n. 80 & 163. Ipſum præterea commendant M. Petrus Salguero, Auguſtinianus, in vita V. M. F. Didaci Baſalenque fol. 10. col. 2. Balthaſar à Medina in Chronicis Nudipedum Provinciæ S. Didaci Mexicanæ fol. 239. col. 2. Ægydius Gonzalez Davila, in Theatro Eccleſiæ de Chiapa fol. 200. Author Allegationum pro Clero Angelopolitano fol. 80. col. 2.

128 F. ALPHONSUS DE NOREÑA, Natione Hiſpanus, Patriam, ut conjectura eſt Critico-rum qui Scriptores Prædicatorum Ordinis adornarunt, in Urbe Noreña

reña Ovetensis Diœcesis in Asturibus, Domicilium tandem in regione Mexicanensi sortitus fuit. Apud Pincianos Jurisprudentiæ operam dedit ante quam nomen Dominicanis, quibus ibidem professione se adjunxit. Sacro Diaconatus ordine initiatus, F. BARTHOLOMÆO DE LAS CASAS, ejusdem Ordinis viro clarissimo, Episcopo Chiapensi, Apostolicos milites conscribente pro nuper Ecclesiæ deditis illius regionis Indis, eis qui se itineri accinxerant socium se addidit anno circiter 1544. Eo apulsus, & in Provinciâ S. Vincentij adoptatus, idiomatibus addiscendis conatus & ingenium applicuit, tanto quidem fructu, ut præter Mexicanum, tria, ut minimum, exactè calluerit, loqueretur que expeditissimè. Nec propterea Theologicis se studijs subduxit, imò eximios ea potissimum in parte progressus fecit, quæ ad dirigendos mores spectat, quòd excultus utriusque sanctionibus juris late patentissimam Facultatem uberius cursitarit & fusius. Socius Vicarij Provinciæ F. THOMÆ DE CASILLAS, qui ad infulas dein Chiapæ promotus fuit, regendis & ipse Cœnobijs varijs admotus Deffinitorque in Comitijs multis electus, demum in his quæ Goatemalæ coacta sunt 18. Januarij anno 1580. Provinciæ caput renunciatus, diligentissime eidem invigilavit. Vir erat sane doctissimus, adeò ut in arduis quibusque negotijs Indiarum consuleretur, allegareturque non sine laude ab id temporis scribentibus, & posteris etiam, quamvis nulla typis vulgarit opera, multo in pretio habitis ejusdem Mss à nobis recensendis.

129 Nec religiosæ observantiâ vitæ minus erat conspicuus, ut subinde ardens unà & lucens omnium in se amorem pertraxerit, Indis, quorum saluti egregiè prospexit, acceptus, Hispanis haud ingratus, dignusque qui, Ecclesiâ Chiapensi vacante obitu nominati supra CASILLAS, ipsam rexerit toto septennio ab anno 1567. ad usque 1574. annuente Capitulo, Catholicoque Rege indicante, quo usque ILLM. PETRUS DE FERIA Episcopus ei fuerit datus. Hinc delusus ÆGYDIUS GONZALEZ DAVILA, in Theatro ejusdem Ecclesiæ fol. 195. ejus inter Prælatos Alphonsum censet, qui tamen id muneris haud obtinuit, ut animadvertunt Scriptorum Ordinis Prædicatorum Collectores accuratissimi, anno 1590. p. 295. satisque fit liquidum non à silentio tantùm diligentissimi Remessalis, qui ejus acta affert in Historia dictæ Provinciæ pp. 697, & 698, sed ex his clarius quæ de ejusdem morte tradidit ibidem. Annis siquidem provectus, in Conventum Civitatis regalis, quæ primaria est regionis, recepit se, libris vacaturus legendis scribendisque, per inde quasi vegetæ & florentis ætatis. Gravi tandem pressus infirmitate ad pro-

ximam se mortem ut pararet, generalem totius vitæ exomologesim instituit, atque in Templum è cella descendens, Sanctissimo muniri Viatico postulavit, quo sumpto, & gravissimâ Hispanos adstantes concione, de fluxis Mundi rebus despiciendis, vehementer admonitis, conclave repetijt, quas præ manibus habebat scripturus opellas: tum paulatim viribus destitutū se sentiens, extremo inungi Oleo sacro petivit, quo Ecclesiastico Sacramento donatus, rursus è lecto scripturus surrexit, monentibusque ut isthæc jam sineret, quibus præsens agendis tempus opportunum haud esset, dignam religioso juxtà ac sapiente viro sententiam protulit: Oportere Dominicanum, cui Deus indulgeret spatium, Libris immori, seque Apostolo Paulo studere, reputareque mori lucrum. Tandem decumbens viribus destitutus, cùm Socius ab ipso quæreret, num signo facto Religiosos pro eo juvando in extremo agone vocaret, tres adhuc reliquas sibi esse horas reposuit, seque, ne molestus esset Fratribus, opportuno tempore vocaturum: quo accedente, ipse ut deducerentur indixit, quibus lectum ambientibus, & secundò preces pro morituris recitantibus, Deo, pro cujus honore laboraverat, animam tradidit. Multa quidem, ea quę pro eo tempore Indis utilissima, scripsisse refert Remessalius, quæ apud se stare Mss addit, & è quibus nos quæ extant modò in Bibliothecâ Antequerensi PP. Prædicatorum notabimus. Latino sermone quæ sequuntur sunt exarata:

Quæ in Capitulo Provinciæ suæ de Chiapa anno 1568 die 23 Januarij in Cœnobio de Cobàn Veræ Pacis sub Fr. Dominico de Lara Provinciali, communibus suffragijs fuerunt circa varios conscientiæ casus agitatos conclusa & determinata, collecta & notis illustrata. Incipit Tractatus his verbis: *Zelo animarum accensi, &c.* apud Remessalium & Scriptores Ordinis Prædicatorum.

De Privilegijs in communi: Cujus exordium ita habet: *De privilegijs Fratrum in particulari tractaturus, convenientissimum duxi aliqua notare de privilegijs in communi.* Scribebat Tractatum hunc anno 1568. apud Remessalium.

Recopilatio, Compillatio, aut Collectio privilegiorum, quæ ab anno Domini 1493. usque ad annum 1562. Pontifices Romani concesserunt Fratribus mendicantibus, Prælatisque eorum in Indiarum Provincijs Ecclesiam hanc novam adjuvantibus. Tractatum hunc scripsit in Conventu Mexicano, absolvitque in per vigilio assumptæ in cœlum Virginis anno Domini 1568. pro ut ipse annotavit in calce Libri, qui extabat anno 1746. Antequeræ Goaxasencium in Conventu S. Dominici apud M. Fr. Leonardum Levanto.

Collectio privilegiorum quæ ab anno 1532. Magistri Generales Ordinis

nis Prædicatorum concesserunt Prælatis Fratribusque in Capitulis Provincialibus Provinciæ S. Jacobi Novæ Hispaniæ dicti Ordinis usque ad annum 1560.

Extat apud eundem M. Levanto. Et hos ut Author Tractatus adornaret è Chiapa Mexicum petijt, aspero & longissimo itinere superato, eo consilio ut & Dominicanorum & Franciscanorum Archivia evolveret, è queis privilegia transcripsit omnia.

Dubia quædam circa Breve Pij V. concessum Fratribus Mendicantibus ad petitionem Philippi Regis. Apud Remessalium.

Decreta Concilij Tridentini quæ expresse contrariantur privilegijs Fratrum Mendicantium. Apud proximè citatum & Scriptores Ordinis Prædicatorum.

Hispano sermone quæ subjicimus composuit Opuscula. *Formularium pro scribendâ licentiâ, qua Prælatus suam subdito facultatem committit, quam vocant Omnimodam.* Apud Remessalium.

De electione canonica, juxtà S. Concilij Tridentini decreta, & statuta Capituli Generalis Bononiæ 1564 habiti. Apud Remessalium & Scriptores Ordinis Prædicatorum.

Tractatus de causis criminalibus.
Alter *de causis civilibus.*
Alter *de testamentis.* Apud ipsum Remessalium.

De Arte Rhetoricæ. Itidem apud ipsum.

Ex his verò quæ asservantur in Bibliothecâ Dominicanâ Antequerensi primum ita habet Opusculum: *Incipit Tractatus de aliquibus resolutionibus* à R. P. Fr. Alphonso de Noreña: Complectitur 18 decissiones; terminaturque sic: *In Conventu de Chiapa die 6 Decembris 1578. &c.*

Secundum: *Alia dubia resoluta ab eodem Fr. Alphonso de Noreña 1576.* Continet soluta quatuor, & desinit: *In hoc Conventu S. Dominici de Chiapa O FF PP. 12. Aprilis 1578*: hispano utrumque sermone contexuit.

His adjici debet hispano idiomate conscriptus tractatulus: *Memoriale privilegiorum quæ Cœnobium hoc S. Dominici Mexicanum habet, & eorũ quæ ipsa complectuntur.* Post, quindecim affert privilegia, quibus proprias ipse Notas apponit, ut cernitur in Codice Antequerensi, quo anno 1746. utebatur M. Leonardus Levanto, in quo itidem, post alium Tractatum latino sermone conscriptum, ex his qui supra à nobis descripti manent, subjunxit 55 privilegia de quibus sermonem in eo Tractatu fecerat.

130 D. ALPHONSUS DE OJEDA, Natione Hispanus, incomperta hactenus nobis Patria, Mexicanus ab exantlatis decumanis in Expugnatione Mexicea laboribus, non is credendus est, qui Christophoro Columbo comes fuit datus pro novi detectione Orbis, in quemque sæpius enavigabit, gestis rebus clarissimus. Jam enim inde ab anno 1510. obierat (nisi

ſi fallitur qui ejus acta conſcripſit D. Ferdinandus Pizarro, in Viris novi Orbis illuſtribus à pag. 41. ad 64 cap. octo comprehenſa) Noſter verò poſterioribus annis floruit, ut qui Ferdinandum Cortezium ducem ſecutus eſt in Mexicanenſibus expeditionibus diſcriminibusque graviſſimis. Egregio comparatus animo, & ad ardua quæque belli uſu quotidiano expeditior atque paratior, eximiam, ſi quis alius, operam contulit vaſtiſſimo ſubjugando Mexiceo Imperio Cortezij ſub ſignis, cui acceptiſſimus erat. Tlaſcalenſibus, qui non abſque multo utrimque fuſo ſanguine, Hiſpanis demum ſacroſancto amicitiæ fœdere adhæſerant, arctiſſimè devinctus, eorum non multo negotio idiomatis callens, facilè hæc inſinuabat quæ è Cortezij noſtrũque omnium re erant, quibus illi ſincera obſecundare fide promptisque manibus ſatagebant. Hinc enata opportuna Noſtris in dificillimis quibusque ſubſidia, atque illud in primis, quod omnium inſtar habendum eſt, quo ſine, aut nunquam, aut diutiſſimo fereque deſperato conflictu Hiſpani Mexicanos aqua terraque obſeſſos in deditionem coegiſſent. Scilicet, ducenta millia ferè peditum Tlaſcalenſes in auxilium Hiſpanis dedere, illorumque 180 millibus Cortezij juſſione præfectus Ojeda, mirum eſt quam viriliter & induſtriè, atque ad triumphum appoſite ſe illi geſſerint. Nec verò id honoris & gloriæ gratis Noſtro iuclytus Bellidux Cortezius impoſuit, eo recèns nomine inſigni, quòd Portum à Verâ Cruce dictum quinque millibus Tlaſcalenſium ſtipatus petierit, ſecumque tormenta bellica Tezcucum ampliſſimam Urbem detulerit, quibus, expeditis circum Mexiceum lacum navibus tredecim, ex arte milites uterentur. His multisque conſpicuus facinoribus alijs, de quibus ſparſim, pro ut res ferunt & varij caſus, Torquemada meminit tom. 1. Monarchiæ Indicæ; ſcriptis quoque monumentis inclaruit, videlicet:

De Novæ Hiſpaniæ Expugnatione,

Uti ex memorato mox Joanne de Torquemada & Antonio de Herrera tradit Antonius de Leon Pinelo in Bibliotheca Occidentali tom. 2. col. 603. Editionis noviſſimæ Madritanæ.

131 F. Alphonsus de Ortega, Natione Hiſpanus, cujus nos Patria latet, è Provincia S. Franciſci Granatenſi in ejuſdem Ordinis Goatemalenſem SS. Nominis JESU tranſlatus, Domicilium adeptus eſt Mexicanum. Publici Juris fecit, quam hiſpanè dixit

Concionem de Sancto Petro Paſchaſio Ordinis B. V. de Mercede: In ejuſdem Cœnobio de Goatemala cultus inclyti ſui Inſtituti Alumni feſtivâ & ſolemni pompâ non unâ tantum die celebrante. Goatemalæ typis Joſephi de Pineda Ibarra 1673. in quarto.

D.

132 D. ALPHONSUS DE LA PEÑA PERALTA, Natione Mexicanus & Patria, Metropolitanæ Ecclesiæ à Ratiocinijs, ut numeris nedum arithmeticis ageret, sed poeticis etiam luderet, unà cum Petro Fernandez Offorio, ejusdem Ecclesiæ Præsbytero, pro adornando fornice triumphali Illmô. Archipræsuli D. Fr. Payo Enriquez de Ribera, Poematâ conscripsit, quæ postea edidit, juncto eorum glossario oratione solutâ argumentum omnibus numeris explicante, pandenteque latentia in credito quondam numine, quod *Pan* antiqui dixere, symbola, laudando opportuna Principi suo. Titulum Opusculo fecit:

Mysticus Pan, numen symbolicm, & politicum simulacrũ: pompa triumphalis ab Ecclesiâ Metropolitana Mexiceâ Illmô. ac Rmô. D. D. M. Fr. Payo Enriquez de Ribera, Archiepiscopo suo ornatissimo, erecta, dicata. Mexici ex Typographia Viduæ Bernardi Calderon. 1670 in quart.

132 D. ALPHONSUS RAMIREZ DE VARGAS, Natione Mexicanus, Mexici nobilissimis Genitoribus usus est. Christianis à tenera ætate imbutus moribus, & non solùm humanioribus litteris, sed etiam divinis apprime doctus, & ingenio acutissimo atque ad omnes scientias aptissimo, omnigenâ floruit eruditione, qua sub inde, & moribus clarissimum virum decentibus, spectabilem se primarijs quibusque & eruditissimis, sive ex utroque Clero, sive ex profanorum statu, ipsis etiam exhibuit Principibus. Multa ingenij & doctrinæ monumenta reliquit, quorum nobis nota sequentia damus, pleraque cùm hispano, tum etiam romano sermone conscripta, & partim ligatâ, partim oratione solutâ.

Sacrum monumentum erecti à fundamentis Mexicani Templi Monasterij Virginum á S. Bernardo nuncupatarum.

In quo & Sacram Ædem magnificentiâ D. Josephi de Retes Largache & hæredum pulcherrime & solide constructam describit, & octiduũ solennissimum in ejusdem Dedicatione amœnissimâ ob oculos ponit narratione. Mexici Formis Viduæ Francisci Rodriguez Lupercio 1691. in quarto.

Zodiacus illustris, triumphalis moles Excmô. viro D. Josepho Sarmiento Valladares, Comiti de Moctezuma & Tula, Pro-Regi Mexicano excitata ab Ecclesiâ Metropolitanâ ipsum solennissimè recipiente;

Atque in hacce opella Principem obumbrat præclarum solaribus radijs, queis Herculeos depingit labores, ceu gradientis per Zodiacum Solis progressus. Mexici Litteris Joannis Josephi de Guillena Carrascoso 1696. in quarto. Extat tom. 86. Collect. nostræ.

Simulacrum historicum & politicum Principis sub ænigmate Cadmi latentis, pro inaugurando Novæ Hispa-

paniæ Pro-Rege Excmô. D. D. Gaspare de Sandoval, Silva & Mendoza, Comite de Galve, Metropolitanæ Ecclesiæ Mexiceæ sumptibus erectum. Mexici, Formis Viduæ Francisci Rodriguez Lupercio 1688. in quarto. Habetur tom. 63. Collect. nostræ.

Elogium panegyricum, atque Inclyti adumbratio Æneæ, amplissimi scilicet viri Comitis de Mancera, Pro-Regis Mexicani, ab Urbe itidem Mexicanâ, faustissima ei optante, suscepti. Mexici, ex Officina Viduæ Bernardi Calderon 1664. in quarto. Extat tom. 92 memoratæ Collect.

Enarratio historica, allegoricaque descriptio spectaculorum Mexicanensium, quæ in Caroli II. Hispaniarum Regis exordio in Monarchiæ administratione instituta fuere. Mexici ex typographia Viduæ Bernardi Calderon 1677. in quarto. Extat tom. 56. Collect. nostræ.

Descriptio festivissimi adventus redditusque miraculis claræ SS. Imaginis V. Deiparentis sub titulo de Remedijs. Mexici anno 1668. Et Gadium apud Hieronymum de Peralta 1725. editionem hanc procurante, sumptibusque agente D. Josepho de Barreda, in Asturibus nato, Mexicanis adscripto, erudito satis & studioso, Alphonsoque nostro in primis, & Doctis quibusque addictissimo. Habitur tom. 63. dictæ Collect.

Poetica descriptio ludorum, qui Mexici publicâ lætitiâ sunt habiti die natalitia Catholici Hispaniarum Regis Caroli II. Mexici, ex Officina Joannis Ruiz 1670. in quarto. Legitur tom. 76. Collect. nostræ.

133 Fr. Alphonsus de la Rea, Natione Mexicanus, Patria Queretarensis, Instituta Regularis Observantiæ Seraphici Patris Francisci sectatus in Provincia SS. AA. Petri & Pauli Regni Michoacanensis, postquam multam illi lucem affudit Philosophiæ Cathedris & Theologiæ præpositus, alijsque rite obitis Superiorum jussu muneribus, Superior etiam ipse meritò præfectus Familiæ splendorem adauxit. Ut verò abûdantius multò totam illusttaret, gravissimos ejusdem viros jam pridem vita functos jussus est facere redivivos, Vitis scriptis, quas diligentissimè litteris consignavit. Veritati conscribendarum rerum, quæ primas tenet in Historia partes, adeo inhæsit, ut nihil nisi penitus exploratum in Librum conjecerit. Stilo illum fluido composuit & eleganti, ac nullas, quæ lectorem morentur & stomachum moveant, digressiones in opere offendimus, queis subinde dotibus est dignum pretiô: hispano ei sermone titulum dedit

Chronica Ordinis Seraphici Patris S. Francisci in Provincia SS. AA. Petri & Pauli Michoacanensi Novæ Hispaniæ. Mexici, in Typographia Viduæ Bernardi Calderon 1643. in quarto. Alias, quas Bibliotheca Franciscana Joânis à S. Antonio tom. 1. pag. 50.

50. hujus Historiæ editiones commemorat Mexicanas de anno 1635. & 1651. itemque Matritensem, cujus reticet annum, non vidimus, putamusque illam de anno 1635. positam Amanuensis aut Typographi errore, quòd facultas imprimendi Librum facta fuerit Authori anno 1639. Edidit quoque

Panegyrim de S. Clara Virgine. Mexici mox indicatis typis anno 1646. in quarto. Authorem laudat, testaturque præfuisse suæ Provinciæ Michoacanensi, accuratissimus nudipes P. Balthasar de Medina, in Chronicis Reformatorum S. Didaci Provinciæ Mexicanæ fol. 255. col. 2. Meminit etiam Authoris & Chronicorum Leon Pinelo, seu additores ejus Bibliothecæ Occidentalis tom. 2. col. 754. qui tamen, & in cognomine errant scribentes Roa pro Rea, & in anno editionis Mexicææ signantes 1635. qui quadriennio præcessit eum quo pro publicando Libro data fuit facultas Authori. Rursusque sunt delusi col. 760. alterum adducentes Alphonsum de Larrea Chronographum Michoacanensis Familiæ Franciscanorum; cùm tamen unus idemque sit Author.

134 FR. ALPHONSUS RANGEL, Natione Hispanus, cujus natale solum reticent qui ejus memorant acta, Domicilio Mexicanus, quòd è Provincia S. Jacobi Ordinis Seraphici in hanc, quæ tunc quidem coalebat, S. Evangelij Mexicanensem anno 1529. faustè devenerit. Doctrinâ pro instruendis recèns subjugatis Indis, qua præditus erat, & eximio eorundem salutis zelo statim usurus, se totum perdiscendis *Mexicano & Othomiensi* idiomatibus, quæ latius in his regionibus dominantur, felicissime dedit: nam utrumque reduxit ad artem, & primi quidem concinnavit absolutissimam, & quæ multis profuit ejus discipulis, eoque Sermones pro totius anni cursu composuit optimos; secundi verò, scilicet Othomiensis, barbari sanè & difficilimi, adeò fuit conscius, ut in Provincijs de Xilotepec & Tula nuncupatis, earumque confinibus, hujusce Nationis hominum admodum feracissimis, primus Dei verbum nunciaverit, tanto quidem fructu, ut innumeros ipsorum ad Christi Domini Fidem traductos, sacris aquis intinxerit, cunctis deturbatis idolis, eorumque aris eversis, templisque solo æquatis. Fremebant ad hæc dæmonis sacrificuli, qui non semel necem machinati sunt Nostro, intulissentque indubiè, ni Deus, cujus agebat causam, eis obstitisset. Cœteri propterea se Christo credidisse postea dicebant, quòd Ministri ejus & palàm coram frequentissimâ gentis multitudine sua tradere dogmata haud verentur, de quibus rationem dabant sciscitantibus, expendentes cuncta & firmantes; & quòd sacra mundissimè facerent, pulcherrimo

rimo apparatu, & politissimo ordine rebus dispositis, quæ Dei cultum concernunt; suos contra Sacerdotes fœdissimo omnia ritu peragere, atque in tenebris delitescere, deque à se dictis rationem dare nullam. Alphonsus traditis sibi populis deditus, eos ut lucrifaceret Deo, se ipsum sanctitatis præbebat exemplar, austeritate vitæ, paupertate & patientiâ insigni, quibus fatebantur Indi, non secus ac reliquis, quæ mox insinuavimus, ad amplexandum Evangelium adactos fuisse.

135 Non semel Religiosis in triclinio sedentibus, flagellis se crudelissimè cœdens apparuit, sæpius humilitatis, moderationis, charitatis, & aliarum exempla virtutuum præbere solitus. Pluries regendis Cœnobijs admotus, religiosè functus munere fuit, & Tulæ pro magnifico extruendo Templo jecit fundamenta, quæ dein egregiam substinuère ornatamque molem. Universam quoque S. Evangelij Provinciam Minister regendam suscepit electus in Comitijs de anno 1546. Hinc ad generalia totius Ordinis, Assisij cogenda, destinatus, ut gravissima nascentis Americanæ Provinciæ suæ & Ecclesiæ negotia tractaret, ingenti tempestate, qua vehebatur, Navi concussâ absorptus, ad Cœlum, ut pie credere est, appulit die 15 Junij ejusdem anni 1546. vel sequentis.

136 Vitam ejus atque scripta referunt Torquemada in Monarchia Indica tom. 3. lib. 20. cap. 45. & Betancurt in Menologio Franciscano Provinciæ suæ p. 63. n. 15. Meminerunt ipsius Joannes à S. Antonio, in Bibliothecâ Franciscanâ tom. 1. pag. 50. referens & Nicolaum Antonium & Uvadingum præter citatos, quibus addimus Antonium de Leon in Bibliothecâ Occidentali tom. 2. col. 720. qui edita affirmat, quæ subjungimus Opera, ab relatis etiá Scriptotibus recensita, scilicet

Mexicani idiomatis Artem.

Artem & Doctrinam Christianam Othomitensium linguâ.

Sermones per annum Idiomate Mexicanensium.

137 P. Alphonsus Ruiz, Domicilio saltem Mexicanus, nam nos Patria latet & Natio, Societatis Jesu Instituta secutus, Collegium ejusdem Familiæ regebat, quod in Urbe est à Verâ Crucæ dicta, Portuque Novæ Hispaniæ celeberrimo, cùm eò Hispana Classis appulit circa annum Domini 1585. è qua clarissimæ fœminæ Beatrix & Anna Nuñez excendentes, receptæ à germano fratre Ferdinando Nuñez de Montalvan, nobili viro juxtàque Medicinæ Professore, qui jam pridem in Novam Hispaniam advenerat, quæsitisque opibus haud exiguis, ut es secum fruerentur sorores vocaverat; ipsæ ut erant devotissimæ, protinus Templum Jesuitarum frequentare cœperunt, Nostrumque conscientiæ arbitrum delegère. Earum prima

ma Matrimonio juncta viro fuit è primarijs ejuſdem Urbis; ſecunda Virginitatem cuſtodire decrevit, & Deo quantum poſſet inſervire diligentiſſimè. Paucas ſibi præſto aggregavit eodem ferventes ſpiritu ſocias, quę cùm à Noſtro, tum ab alijs ejuſdem Inſtituti Sodalibus, ut Chriſtianæ perfectionis viæ inſiſterent, regebantur. Tanto dein ardore ſuccenſæ fuere, ut Angelopolitanum Antiſtitem D. D. Didacum Romanum, rerum Veræ-Crucis Eccleſiaſticarum potientem, Epiſtolis rogarent, dignaretur ut, facultatem ipſis concedere vota emittendi caſtitatis, clauſuræ, & obedientiæ, quam ipſi Prælato ſpondebant, habentes in animis ſemetipſas Domi contineri perpetuò, munditiemque corporis & animæ itidem colere. Moratus non nihil Epiſcopus fuit, grave ut maturaret negotium, donec certior factus de ipſarum indole atque virtute, poſtulatis annuit, erectumq́ canonicè Sodalitium, non multo poſt, anno videlicet 1604. evaſit in eximium Tereſianarum Virginum Monaſterium, quod Angelopoli fuit erectum, convolantibus illùc pijſſimis fœminis, quæ Carmelitarum inſtituta ſanctimonialium primæ in America noſtra ſectatæ ſunt, cujuſque initia & progreſſus per integrum ſeculum, egregiæ ſcilicet & religioſiſſimæ perfectionis, juſto in folio Volumine complexus eſt vir ampliſſimus D. Joſephus Gomez de la Parra, qui Dei admiratus conſilia, advertit, ipſo aflatum Spirituſanto Noſtrum Alphonſum Regulas illis fœminis præſcripſiſſe, non dum Carmelitanas profeſſis, quæ iſtis conſonant mirè, decebantque ſtrenuum Directorem, qui ipſe erat, doctumque Magiſtrum; cujus & ſi alia latitent ſcripta, hoc unum inſinuaſſe ſuffecerit, exiguo quidem corpore multos fovente egregios ſpiritus. Legeſis Gomezium de la Parra citatum in Libro *Erectionis & primi ſeculi Cœnobij admodum Religioſi S. Joſephi excalceatarum virginum Carmelitarum Urbis Angelopolitanæ*, cùm alibi à principio, tum ſignatim p. 27. ubi à Noſtro ſcriptas commemorat

Regulas pro Sodalitio Virginum in antiquæ Veræ Crucis Civitate, Ordinarij facultate, inſtituto.

138 D. Alphonsus Ruiz de la Lima, Natione Mexicanus, Patria Angelopolitanus, atque, ut videtur, ejuſdem Diœceſis Eccleſiaſtici Fiſci defenſor, & Cauſarum Patronus in Regia Mexicanenſi Cancellaria, edidit pro illius temporis conſuetudine in hujuſmodi Opuſculis publicandis, tacitis loco editionis, typographo, & anno, Codicem in folio juridicum, qui ex rei geſtæ atque in ipſo enarratæ epocha, colligitur excuſſus anno Domini 1647. & in ipſa Urbe Angelopolitanâ, uti caracteres, qui tunc inibi erant uſui, indicant ſatis. Porrò titulus Opuſculi ex hiſpano

no in latinum versus ita habet: *Pro Ecclesiastico Fisco declaratio, defensioque Edicti à Doctore Joanne de Merlo Canonico Doctorali, Vicarioque generali Angelopolitani Episcopatus, publicati, circa Facultates & Privilegia Societatis Jesu Patrum ad excipiendum sacras secularium confessiones, & Dei verbum nunciandum.* Extat tom. 2. Allegationum à nobis collectarum.

139 FR. ALPHONSUS DE SOLANA, Natione Hispanus, cujus & Patriam & Parentes latere sibi dicit Cogolludo, qui omnium fusius ejusdem res gestas scribit in Historia Jucatanensi lib. 9 cap. 15 à pag. 150. conjectante D. Nicolao Antonio pag. 39. tom. 1. Bibliothecæ Hispanæ, à Solana Toletanæ Diœcesis Oppido oriundum; Domicilio Mexicanum habemus. Salmanticæ Canonico juri addiscendo operam dedit, lauream que reportavit ea mente, ut honores inde ac opes conquireret: Quòd verò Apostolicum virum concionantem audierit, periculumque amittendæ salutis æternæ expendentem illorum, qui segnius consectantur cœlestia, caducis avidius inhiantes; consulere sibi decrevit, & Sancti Francisci Institutum amplecti. Voti compos factus, in Provincia Castellæ Regularis Observantiæ Conventuque S. Joannis à Regibus professionem emissit. Inde in ejusdem Provinciæ Cœnobium de la Salceda, ut dicunt, Recollectorum, austerioris desiderio vitæ translatus, cùm Pro Jucatanensi Provinciâ supplementum quæreretur Religiosorum, qui convertendis & juvandis Indis adlaborarent: quamvis ad id invitatus muneris fuerit, subire illud recusavit, propterea quia imparem se tanto operi sentire dicebat. Alios inter accinctos itineri eminebat sodalis ejus P. Didacus de Landa, qui postmodum Episcopus Jucatanensibus datus fuit: Is ubi ad illas appulit gentes, in quibus Nostrum optimos relaturum fructus opinabatur, urgere illum litteris cœpit, Deumque exorare qui bonam ei mentem miseros adjuvandi instruendique injiceret. Nec porrò irritæ preces fuère viri religiosissimi: siquidem Fr. Laurentio de Bienvenida, itidem Franciscano, Hispaniam petente, ut secundò pro Jucatanensi Familiâ Socios vocaret, eos inter, Noster ultrò invitanti se dedit.

140 Facili quidem ipse negotio gentis idioma calluit, cujus tandem fuit Magister egregius. Vitam instituisse cœlestem Socij testabantur, mirantes de cœlestibus semper agere, austerum quidem sibi, parcum, & humilem, cœteris benignissimum, queis, ut in quotidiana consuetudine utilis esset, festivè agebat, sale condito, quod Apostolus monebat, sermone. Indos singulari amore prosequebatur, peccatores quosque Deo satagebat ut reconciliarentur, pauperibus stipe erogatâ pauper ipse ut subveniret, Monaste-

rio-

riorum, quibus pluries Superior eſt datus, cellas aperiebat penuarias, & quòd ſubeſſe quam preeſſe magis amaret, Prælaturis ſtatim renunciabat. Integras fermè noctes traducebat orando, mirantibus Fratribus, qui quando ille dormiret ſe neſcire dicebant. Dies lectioni, ſcriptioni, idq́ religioſis & apoſtolicis alijs operibus deſtinabat, atq́ his deditus amplius quadraginta annis, circiter 1600 curſum feliciſſime conſummavit Emeritæ, quæ primaria eſt Civitas Jucatani, in Conventu ſuo, ubi jacet, magnâ Sanctitatis opinione ad præſentem uſque diem perennante. Multa Jucatanenſium linguâ ſcripſit & utilia eleganti ſermone, quorum texit indiculum allatus ſupra Didacus Lopez Cogolludo p. 511. & ipſum ſecuti Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Hiſpanâ p. 39. & Joannes à Sancto Antonio in Franciſcanâ pag. 51. Sunt illa porrò.

Dictionarium idiomatis Maji & Hiſpani.

Sermones eodem Jucatanenſi idiomate continuati, & ſeorſim multi.

Notas ſeu Excerpta ſacra & hiſtorica.

Multaque præterea *antiquitatis & gentis illius monumenta,* quæ perière juxtà citatumDidacum, apud quem P. Lizanam, itidem Franciſcanum (de quo nobis ſermo erit) Noſtri laudatorem invenies.

141 FR. ALPHONSUS DE TRIANA, Natione Hiſpanus, incomperto nobis Bæticæ loco natus, Provinciæ S. Vincentij de Chiapa & Goatemala, Ordinis Prædicàtorum alumnus, apud Verapaz eo inſignis fuit nomine, quòd ſtrenuum egerit Parochum pro miniſtrandis ſacris genti, cujus eloquio, cœterà non omnibus obvio, Cocchi dicto, pollebat, quoque uſus eorundem proſpiciens inſtitutioni, & adverſus Deiparentem pietati, librum ſcripſit

De SS. Roſarij myſterijs:

Quem Miniſtrorum manibus teri memoratæ Provinciæ Sodales ſuis nos litteris edocuerunt.

142 FR. ALPHONSUS TRUXILLO, Natione Mexicanus & Patria, ex antiquioribus Provinciæ S. Evangelij Regularis Obſervantiæ Franciſcanorum alumnis, vir fuit admodum religioſus, & qui in procurandâ Indorum præcipuè ſalute glorioſè in Domino laboravit. Quà enim viva voce illis ut prodeſſet, quà ſcriptis ſermonibus eorundem idiomate, ſex ſupra viginti & amplius annos inſumpſit. Vaſtum quidem aggreſſus eſt opus, quod juvante Stephano Brabo, Indo latinè ſatis docto (de quo ſuo loco ſermo nobis recurret) ad finem deduxit, Sermones videlicet quatuor aut quinque in ſingulas anni Dominicas, itemque totidem in ſingula Feſta. Eos ut publici fierent juris tradidit omnes Provinciæ Præſidi Fr. Petro Oroz, viro ornatiſſimo, qui ut erat etiam in idiomate Mexicano ſatis exultus, lectos probavit, & traſcribi ita juſſit,

jussit, ut prælo apti essent: Ipso tamen ad plures abeunte, editione frustratâ, Author Codices eximio communicavit Fr. Joanni Baptistæ, qui & ipse eorum aliquos edidisset, ni morte quoque præventus rem infectam reliquisset. Ne tamen Nostri memoria excideret, ipsius & scriptorum texuit elogium in Procemio ad *primam partem Concionum*, quas edidit Mexici anno 1606. ex quo Betancurtius in Theatro Mexicano part. 4. Tractatu post *Menologium, de Illustribus Provinciæ suæ Scriptoribus* p. 104. n. 25. profecit, & ex hoc Joannes à S. Antonio in Bibliothecâ Franciscanâ tom. 1. p. 52. recensentes Nostri scriptos

Sermones in singulas anni Dominicas & singula Festa idiomate Mexicano.

143 P. ALPHONSUS DE VALENCIA, Mexicanus Domicilio, sinminus Natione & Patria, quas nescimus, JESU Societatis alumnus in Provincia Novæ Hispaniæ, Mss reliquit sermone vernaculo

Narrationem historicam eorum quæ Gaspari de Alvear Novæ Cantabriæ Gubernatori, socijsque ejus evenère in itinere versus Indos Tarahumares dictos anno Domini 1619.

Quæ asservantur in Bibliothecâ Congregationis Oratorij Mexicanensis tom. 1. *Variarum historicarum enarrationum.*

144 D. ALPHONSUS DE VARGAS, Natione Patriaque Mexicanus, in Regia Mexicanensi Curia Patronus causarum, conscripsit opusculum hispano sermone

Pro Juris defensione quo Didacus de Puga Villanueva asciscendo sibi Majoratu, ut dicunt, seu Primogenijs bonis, potiri contendebat.

Extat Mss in fol. tom. 24. fol. 48 Collectionis D. Ludovici de Mendoza.

145 ILLMUS. M. D. FR. ALPHONSUS A VERA CRUCE, Natione Hispanus, Patriam habuit in Regno Toletano Caspueñas dictam, Domicilium Mexici & Nomen admodum clarum, Cognomenque Illustre: Nam genitore usus Francisco Gutierrez, matreque Eleonora Gutierrez, hoc ipsi à cunabulis natum cognomen deposuit, ubi ad Urbem Americæ nostræ à Verâ Cruce nuncupatam accessit, quo insigniri placuit, habitum unà avìtumque signum familiæ commutans. Ingenio & virtute conspicuus à teneris, piè quidem educatus â Parentibus, Christianis conspicuis moribus æreque non angusto pro liberaliter tractandâ familiâ, Clarissimam Complutensium Academiam pro addiscendis Grammaticâ & Rhetoricâ excoluit: Inde in Celeberrimam Salmanticensium Universitatem translatus Philosophiæ & Theologiæ operam dedit. In qua Præceptorem audivit Franciscum de Victoria, Dominicanum Clarissimum, Academiæ Antecessorem insignem, & Hispaniarum decus Illustre, quod Mystagogus fuerit, & instau-

ſtaurator Theologiæ Scholaſticæ, ad miraculum deinde & invidiam Nationum in ipſis quotidiano incremento florentis. Ab hoc, cui gratiſſimus erat Alphonſus, Magiſterij gradum accepit: atque ut egregius evaſerat Philoſophiæ & Theologiæ cultor, brevi pro regendâ Artium Cathedrâ deſtinatus Profeſſor fuit, tantâque cum litterarum & virtutis laude munus obivit, ut is unus à præclariſſimo Duce del Infantado electus fuerit, qui filiorum ipſius, Salmanticam ſtudiorum cauſa miſſorum, curam ageret, eoſdemque in moribus & doctrina inſtituendi provinciam, ſplendido ſtipendio, ſuſciperet.

146 Vertebatur annus 35 ſeculi XV cùm hæc Noſter Salmanticæ ageret, quò, Deo ſic res diſponente, acceſſit Venerabilis Fr. Franciſcus à Cruce, Auguſtinianus, ab America noſtra, in quam biennio ante ipſe cum Sodalibus navigaverat, in Hiſpaniam reverſus, eo conſilio, ut graviſſima tractaret negotia, ſecumque Religioſos defferret, qui Socijs juvamini forent, & Indis auxilio. Delegit ille quidem egregios è Familia ſua viros, præter quos Clericum optabat virtute exornatum & litteris, qui tradere eas ipſis poſſet expeditiſſimè. Ubi amicis ſuggerentibus agnovit nullum ad id muneris aptiorem Alphonſo, rogare illum cœpit, dignaretur comitem ſe in Occidentis Indias ſuis Fratribus jungere, & quamvis non ſtatim, brevi tamen ei paruit Noſter, commodiſque poſt habitis ſuis atque ſpe honorum & opum, vocantem ſecutus eſt Deum. Hinc obiter animadvertendum, lapſum fuiſſe D. Nicolaum Antonium, quòd exiſtimarit Alphonſum è Complutenſi Artium Profeſſore delatum ad Indos, cùm Salmanticæ eo fungeretur munere dum Auguſtinianus Procurator ſuis eum adſcivit. Ut verò inſtituto etiam ipſis jungeretur & habitu navigantem verſus Mexicum ſollicitavit, renitentem eo nomine, quòd Dei, quæ opus erat, vocationem non ſentire ſe diceret; quam ut mox cognovit, ſeſe totum dedit ſancto Dei viro, qui hæc illi datâ dexterâ prænunciaverat.

147 Portum Veræ Crucis tenentes, Alphonſus veſte nomineque mutatis, ſe illis addixit, atque expleto in Conventu Mexicanenſi tyrocinij anno, ſolennia nuncupavit Deo vota. Tanta jam ex tunc virtus & dexteritas elucebat in eo, ut ſtatim Præfectus fuerit Novitiorum inſtitutioni, quam trienio curavit, egregijs religioſæ & admodum reformatæ Provinciæ SS. Nominis JESU incrementis. Hinc ad docendum litteras evocatus, quo primum apertum eſt Provinciæ gymnaſium anno 1540 apud Tiripitium, Regni Michoacanenſis Oppidum, tribus inſimul incubuit muneribus: nam & Philoſophiam alijs, & alijs Theologiam tradebat Soda-

dalibus, & exteris etiam (quos inter Regium habuit discipulum, Calzonczci, Regis scilicet filium) & Magister ipse idiomati gentis Tarasco operam dabat perdiscendo, adeò quidem strenuam, ut deinceps ipso uteretur in concionibus & Sacramentorum administratione, quibus se pijs exercitationibus feriatis ab studio diebus impendebat. Per hæc ipsa tempora tantum erat Alphonsi nomen, ut agentem & legentem Tiripitij Regia Caroli V schedula invenerit, ipsum Ecclesiæ Leonis de Nicaragua Episcopum destinantis, quam ut secretò legit, audientibus, qui aderant Religiosis, inquit: *Ab ore Leonis libera me Domine*, & ingressus cellam scripsit, Imperatori grates rependens, se tamen infulis delatis cœterisque, queis se indignum credebat, subducens. Non potuit tamen quin id honoris tunc etiam obiret, quod Michoacanensis primus Episcopus D. D. Vascus de Quiroga in ipsum detulit. Convocaverat Summus Pontifex Paulus III Catholicos toto terrarum Orbe stantes Episcopos, uti ad Generale Concilium, quod Tridenti agebatur, concurrerent; atque ut eò se conferret Michoacanensis, Diœcesim suam Nostro gubernandam dimisit, quam novem ipse menses prudenter rexit, perrexissetque ulterius, ni Illmûs. Vasco coactus fuisset regredi è Portu Veræ-Crucis, quòd aqua in Navem per rimas influens naufragiū facile auguraretur, nec tutior suppeteret navis. Alphonsus quamvis definitum pro Philosophiâ & Theologiâ auditoribus instillandâ tempus eo loci absolverit, alibi quoque eamdem rursus spartam ornavit, ministerio juxtà sacrorum incumbens Tacambari, unde in Atotonilcum Scholam transferri author fuit Prælatis, ut quietius studijs vacarent discipuli eo tempore scilicet, quo Ministrorum pro sacris excreverat numerus, pro quibus non ita opus erat tyronibus.

148 Nec penes suos tantùm docendi professus est munus, quo solennius multò defungi cœpit anno 1553. cùm Regia & Pontificia Universitas Mexicana condita fuit. Quòd enim in doctrinâ & virtute publicâque existimatione nulli esset secundus, primos inter illius conditores adlectus est, cooptatusq̄ Doctoribus in Theologiâ, atque in Philosophiâ Magistris ab Academico Cancellario viro Clarissimo Alvaro de Tremiño, coram Illmô. D. D. Ludovico de Velasco, Novæ Hispaniæ Pro-Rege, Joanne de Negrete, Scholarum Rectore, & Gravissimis alijs Minervæ cultoribus, ac primus pro Sacris exponendis Biblijs Interpres est datus, dein Primarius Theosophiæ Antecessor, quibus regendis Cathedris undecim annos invigilavit, donec Hispaniam repetere, & totidem in ea ponere opus ei fuit. Quo autem in pretio habitus ab Academia

mia fuerit, paucis docet D. Franciscus de Cervantes Salazarus, ejus æqualis, & primus Rhetoricæ Professor, in eo quem de Academia conscripsit Dialogo, fol. 251. col. 2. hunc in modum Guterrium & Messam suos inducens colloquentes. G V. *Quem tot Augustiniani Monachi, unà cum alijs Presbyteris audituri Theologicum gymnasium ingrediuntur?* M E. *Fratrem Alphonsum à Vera Cruce, Artium & Theologiæ, si quem habet Provincia nostra, Magistrum doctissimum, Primum sacratissimæ ac divinæ Scientiæ Interpretem, variæ & multijugæ eruditionis hominem, in quo virtus eximia cum singulari & admirandâ doctrinâ contendit.* G V. *Felicissimum virum mihi narras, & tantâ, præter cætera, sicuti audio, modestiâ, ut omnes admiretur, contemnat neminem, modicè semper de se sentiens.* Ita ille.

149 Noster verò eximios statim edere fructus cœpit, & cùm Academiam, tum etiam Provinciam suam datis in publicum libris doctissimis illustrare, *integro* videlicet *Philosophiæ cursu* justo volumine in folio, & *Speculo conjugiorum* in quarto excussis; atque ut se & Provinciæ & Academiæ & utriusque Protectori faventissimo gratum exhiberet, *Summulis* quidem nuncupatis Augustinianis Religiosis Provinciæ suæ, *Dialecticam* Universitati dicatam voluit, & *Speculum conjugiorum* Pro-Regi. Sic porro Academiam alloqui incipit: *Cùm sæpe mecum præmeditarer, Rector magnifice, Doctores clarissimi, Magistrique gravissimi, cui Resolutionem dialecticam, quam in utilitatem eorum quibus brevi ad veram sapientiam, & scientiarum Reginam Theologiam pervenire in animo est, dicarem; sponte sese obtulit vestrum hoc auspicatissimum Collegium & Schola, ex vobis veluti ex vivis quadratisque lapidibus nuper erecta. Cumque in eodem albo simus adscripti, in idemque dignissimum Sodalitium admissi: quàm promptus sim in vestrum quoque obsequium, & communis ac floridæ Academiæ emolumentum, ne ingratitudinis nota inurar, opere testari & ostendere consentaneum duxi atque decorum, &c.* Ad Pro-Regem verò Illustrissimum D. Ludovicum à Velasco ita in Nuncupationis calce scribit: *Caroli Imperatoris & Hispaniarum Regis locum tenens, hanc Mexicanam Academiam instituisti, & prima jecisti Tu fundamenta, ut non solùm primitiæ tibi meritò, sed fructus laborum debeantur. Recipe ergo ex clientulo, Patrone Illustrissime, ex hac Academia primitias Speculum conjugiorum; &c.*

150 Sanè plurima licèt, quæ insinuavimus, & oppido gravia virum negotia solicitarent, unum videbatur diu noctuque agere litterarum: vix quatuor somno horas dabat, persæpeque suis repetebat: *Habete rationem temporis*, quo ipse usus strenuè, & in virtute eximios, & pene incredibiles in litteris fecit progressus. Insignem in Collegio S. Pauli Mexiceo, cu-

jus fuiſſe conditorem dicemus, Bibliothecam conſtruxit, quam ſexaginta grandioribus capſis librorum locupletem illicò fecit, è quibus, ut ſunt oculati teſtes M M. Grijalva & Baſalenque, ne unus eſt quidem, quem ſcriptis ad marginem notis non ſignaverit à prima ad noviſſimam uſque paginam. Idem de omnibus voluminibus, quæ ſtant in Bibliothecâ, non exiguâ quidem, quam ipſe in Conventu ſuo apud Tiripitium opportunè conſtituit, ijdé Scriptores teſtantur. Quod ſimiliter cernere eſſe in altera, quæ Tacambari eſt, haud ſpernenda Libraria, memorat Baſaléque, qui illius regionis, quam incoluit, res perſpectas habebat, quarumque multæ Grijalvam diſtantem latuerunt. Uterque tamen in eo conſentiunt, quod major librorum numerus Bibliothecæ Cœnobij Maximi Mexicani, quæ Paulianæ ea tempeſtate non concedebat, eadem referat ſigna Noſtri efformata manu. Certè, quoties novi ex Europa Mexicum libri deferebantur, quos nunquam legerat, avidiſſimè quæſitos à capite percurrebat ad calcem, & ſi quid cenſura dignum offendiſſet in eis, denuntiabat, ut expungeretur, cœtera Sodalibus in privatis colloquijs, in triclinio, in cathedra, ubi opportunitas adeſſet communicabat. Atquè hac etiam via eorum conſulebat eruditioni, quoties aut in nova, aut in antiqua Hiſpania, vel alibi dubium aliquod grave emergebat, ſolitus eo ſuper ſcribere, & pro utrâque parte rationes expendere, concluſionemque adjicere, & cum Socijs communicare.

151 Quæ porrò eo mirabiliora ſunt omnia, quòd plurimis ipſe & magni moliminis rebus continuò ſtuduerit. Nam & Provinciam ſuam Mexicanenſem primùm biennio, deinde ſemel & iterũ iterumque, diverſis temporibus rexit & triennijs; ac poſtmodum undecim apud Hiſpanos inſumpſit annos, à Philippo II Catholico Rege vocatus, quòd Indis addictus, ipſos à ſolvendis Epiſcopalibus decimis eximere contenderit, quos ſuæ ſatis obligationi facere propugnabat, alimentis quæ proprijs ſinguli dabant Parochis. Hac ipſe occaſione vocatus à Rege, & ut de alijs coràm negotijs ageret, totos, quos diximus, ãnos in Hiſpania demoratus, magnam apud Philippum & Proceres, Conciliarios Regios, & ſapientes quoſque comparavit ſui opinionem. Quòd enim ſpectabat ad Indos in re decimarum, Regia ſchedula cautum fuit de quibus, paucis equidem, oporteret eas ſolvere, in alijs miſeros judicare hâc ſolutos obligatione. Majus certe faceſcebat negotium, quod concluſo nuper Generali Concilio Tridentino, Regulares viri, qui apud Americanos Parochorum obibant munera, ne in ipſis pergerent, prohibebantur; atque ut is opportune Alphonſus ſuc-

ſuccurreret, apud Regem ejuſque Conſiſtorium egit, ut à Sede Apoſtolica Privilegium inſtantiſſimè poſtularet, quod demum, quinquennio in hiſce componendis inſumpto, obtinuit à S. Pio V, cujus Conſtitutionem Regiumque unà Decretum typis edi curavit. Cùm inſuper in eo ipſo OEcumenico Concilio novum circa Matrimonia clandeſtina conſtitutum jus fuiſſet, ut huic à ſe ſcripta in egregio ſuo *Speculo conjungiorum* aptaret, doctiſſimam ei Appendicem adjecit, excuſſumque decennio ante librum, his ditiorem acceſſionibus recuſit Mantuæ Carpentanorum anno Domini 1572. *Curſum*, itidem *Philoſophicum*, quem Mexicanis typis ediderat anno 1554. Hiſpanis rurſus publici fecit juris Salmanticæ 1573. quo etiam anno repetijt Americam. Ad hæc S. Thomæ de Villanova, Archiepiſcopi Valentini, atque ſui Ordinis ornamenti clariſſimi, Sermones edidit, egregio rei Chriſtianæ & Litterariæ bono. Tanti idcirco habitus fuit ab omnibus, ut Auguſtiniani Matritenſes cooptatum ſibi Priorem elegerint Regalis S. Philippi Monaſterij, & Generalis Familiæ Magiſtri juſſione Viſitatoris Provinciæ Caſtellæ Novæ partes expleverit, fueritque deſtinatus Vicarius ejus ac Viſitator Provinciarum cùm Septentrionalis, tum etiam Meridionalis Americæ & Inſularum Philippinarum; quod inſigne ille munus non recuſavit quidem, ſed nec eo quo ad vixit eſt uſus, exiſtimans opportunius, nuper inſtitutas & etiamnum ferventes Provincias ſinere quietas, præſertim re arbitrio permiſſâ ſuo, quod prudentiſſimum eſſe conſuevit. Nec minori æſtimatus ab exteris multis, augeri honoribus potuit facillimè, queis ſe omnibus ultrò ſubduxit: NamRegij Indiarum Conſilij Præſes eo tempore Ovandus, Epiſcopatum illi Michoacanenſem detulit, inſuper & Angelopolitanum, quos æquæ conſtanter renuit ac Nicaraguenſem pridem rejecerat. Ad hæc Præſes ipſe Alphonſum meditabatur inſtituere regijs ſtipendijs Matriti Indiarum Commiſſarium generalem, pro ut Franciſcanorum Ordo pro Americanis ſuis conſtituerat: cui tamen cogitationi reſtitit Noſter, quam pro Familia quidem ſua expedire neutiquam judicaverat. Expeditis itaque quæ hactenus in Curia detinuerant ipſum negotijs, in Indias profectus, anno demum 1573. ad Portum Veræ-Crucis acceſſit, cunctisque dein lætantibus Mexici fuit exceptus unà cùm 17 profeſſionis ſuæ Socijs Mexicanenſibus aggregandis.

152 Anno deinceps 1575. quartùm fuit Provinciæ præfectus regendæ, quæ & eximiam ſibi pollicebatur felicitatem eo duce, quam diu expertam habebat, & verò etiam rurſus agnovit. Hercle, ejuſdem natus bono juxtà ac Michoacanenſis, quæ è Mexi-

xicana jam quidem amplissima, & ipsa clarissima evasit; sic illas constituit, ut vix insigne quidquam, post biennium exordij, aut magnū habuerint, quod non ipso gestum fuerit Authore. Multas ipsis & Mexici & Michoacani Parochias adjunxit, Conventus addidit, Ædes expolivit, & cùm religiosissimæ observantiâ vitæ multa huic colendæ necessaria bona conjunxit. Hæc inter caput effert Regale Mexiceum S. Pauli Collegium, quod egregiâ Provinciæ suæ & litterariæ Reipublicæ utilitate, offendiculis bene multis superatis, erexit anno 1575. Tradita ei fuit Regis mandato, quam antea curaverant Clerici, Indorum, titulo Sancti Pauli, Parœcia, quam Augustiniani deinceps Alūni regerent, uterenturque emolumentis pro alendis ijs qui litteris essent operam navaturi. Magnum, tunc etenim viginti capiendis Præceptoribus ac Discipulis, Collegium extruxit, latos tamen adeò ipsi contiguos fundos comparavit peropportunè, ut procedente tempore Ædes inibi fabricatæ fuerint amplissimę. Collegio indies à principio hactenus eximio florente, Mexicanum idioma, Philosophia in eo Theologiaque à quinque vel sex Lectoribus inter multos electis, perpetuò traduntur, ijs scholaribusque Rectori subjectis gravissimo, & cunctis observantiæ regulari non minus dediti quam studijs, in quibus mirè semper floruerè. Prodierunt inde prodeuntque quotidie cultissimi viri, qui Provinciam illustrissimam reddiderunt, Magisterijs ornati, Academicisque infulis redimiti, quorum ut syllabum prætereamus nimis prolixum, eorum duntaxat numerum iniens qui primo floruerant semiseculò, quindecim Cathedrarum Professores recensuit eruditus admodum & doctus Chronologus Grijalva, qui & ipse Mexicanis pridem Doctoribus jure fuerat adscriptus. Noster Collegio suo Regulas dictavit Scholæ juxtà ac Religioni accommodatissimas: Bibliothecam, ut diximus, condidit libraria supellectile, & eruditorum cimelijs, globis, chartis, idque genus alijs ornatam multis, quæ Rectorum & Provinciæ Præsidum aliorumq̄ insignium Magistrorum curâ in dies excrevit, estque inter Mexicanas amplissima. Tantus erat Alphonso adversus litterarum cultores amor, tanta in fovendis promovendisque Facultatibus diligentia.

153 Sed majores longè pro virtutibus, cùm ab alijs, tum à se colendis conatus semper posuit, & ferventius studium; quòd & si alia deficerent testimonia, palàm fieret ex illis Monitis, quæ Discipulis suis, absoluto Cursu, tradebat scripto, servarique ab ipsis non modò in codicibus, sed maximè in moribus discupiebat. Legere est ea penes citatum Grijalva loco inferius à nobis notando, quæ & prudentiam viri, & eru-

eruditionem, & virtutes in primis ſpirant. Certè, eximio illas proſequutus amore fuit, ſeque illarum exhibuit exemplar. Humilitati addictus, præclaras, quas diximus, tenuit Dignitates accipere, & queis in Familia ſua auctus fuit, ita uti conſuevit, ut omnium ſe exhiberet miniſtrum, mortique proximus teſtatus fuerit, nunquam ſe conſultò cuique è ſibi ſubditis gravem fuiſſe ſermone aut opere. Paupertatem multò adamavit, pecunijs abhorrens, cœterisque caducis, his tantùm contentus, quibus opus habebat pro auſterâ ſatis vita, è communi penu depromptis, ipſisque, qui unice ei chari erant, libris è Cœnobij aut Collegij Bibliothecâ petitis. Jejunabat frequenter, tantâque erat parſimoniâ, ut vel Provinciam regens pro lautioribus epulis indurata aliquot ova depoſceret. Numquam linea indutus fuit veſte, ſed cùm interna, tum etiam exteriori laneâ: pro lecto tabulam laneis etiam ſtragulis opertam habebat, vixque quatuor horas cubabat. Caſtitatem ſic coluit, ut in extremis verſatus, dum ſacro renes inungeretur oleo, gratias Deo egerit, quòd propriam nunquam polluiſſet tunicam.

154 Ad hæc, eximia in proximos, Indosque præcipuè miſerrimos, charitate flagrans, eorundem ſpiritualia temporalia que bona curavit. Quo tempore verſabatur Tiripitij, pedes cadiſſima circum climata prædicandi ac inſtruendi illos cauſâ luſtrabat. Cùm fere omnes ea ætate Evangelij in America noſtra Miniſtri, homines ceteroquin doctrinâ virtuteque illuſtres, ea eſſent formidine & opinione, ut à ſacra Menſa Indos arcerent, Noſter uni inter Franciſcanos notiſſimo P. Jacobo de Daſia ex oppoſito contendenti admittendos ad Communionem eſſe, totus adhæſit, felici adeò ſucceſſu, ut cuncti dein collatitia ſuffragatione iverint in eamdem ſententiam, paſcereque illos cœperint Euchariſticis dapibus, magno eorum emolumento honorequeDei. Hunc porrò tam diligenter coluit & adamavit, ut ſuſcepturus Viaticum, palam, coràm ipſo adſtantibusque Fratribus candidè teſtatus fuerit, nunquam ſe conſultò Deum graviter offendiſſe, ex quo ſe ei profeſſione mancipaverat religioſâ, id eſt,ante quinquaginta annos; reliquos autem cùm etiam pie admodum traduxiſſet, fit, quanti ſemper Deum fecerit. Biennio priuſquam obiret, cùm in Paulianum ſe Collegium recepiſſet, moriturus in eo, quem paraverat ſapientiſſimè, nidulo, moleſtiſſimâ preſus infirmitate, præclara patientiæ dedit exempla, toleratâ acerba dyſuria, quæ cum vehementius urgeret, ipſe ad Deigenitricem clamabat: *Maria Mater gratiæ.*

155 Valetudine deſperatâ, Medicoque ei dicente, fore ut pro-

xima nocte cum Deo cœnaturus esset in Cœlo, reposuit ille: *Et ibi non erit nox.* Accedente autem qui Sanctissimum afferebat Viaticum viro eximio P. Joanne Adriano, Siste, inquit Alphonsus, siste Pater, & oculis in Christum, sub panis latitante sipario, defixis, applicatis ad pectus, postulantis demisissime in morem, manibus, sic eum affatus: *Veniat dilectus meus in hortum suum: omnia poma nova & vetera, dilecte mi, servavi tibi*, ferventissimo orationem contexuit spiritu, testatus, omnia se in JESUM, pro ipsius misericordia, deduxisse; amori fiduciam, cœterasque virtutes annectens, quibus paratus ac Sacramento inefabili præmunitus, extremo dein Oleo inunctus, Cœnobij Priori, ipsum roganti ut Provinciæ causam suæ apud Deum ageret, id sibi curæ esse respondit. Quas verò pro animæ habuerat negotio, conjici inde est, quòd singulis Provinciæ Fratribus litteras reliquit scriptas, postquam ad plures ipse abiret, cuique tradendas, in quibus collata à se eis beneficia memorabat filijs charissimis, idcirco ut præter debita ipsi Missarum suffragia, alijs ultrò succurrerent. Obijt igitur plenus dierum octoginta annos natus, Religionis 50, mense Julio (cujus diem funestissimam reticuere Chronographi) anno 1584. Corpus ejus magnificentissimâ, quæ tantum decebat virum, pompâ, sepultum fuit in Conventu Maximo, confluentibus Archiepiscopo Mexicano unà que Visitatore & Gubernatore D. D. Petro Moya, Auditoribus Regijs, Canonicorum Capitulo, Civitatis Collegio, Universitatis Consessu plenissimo, Religiosis Familijs omnibus, Nobilium & plebis confertissimâ multitudine, dolentibus communis jacturam Parentis, ejusdem osculantibus pedes virijs Primarijs, quos inter Commissarius Franciscanorum colendissimus P. Petrus de Oroz, qui adstantes è Populo alloquens multos, propterea se isthæc facere dixit, quòd sciret hominem esse Sanctum, qui Deum pro omnibus precaretur. Acta ejus conscripsit M. Didacus Basalenque in Historia Provinciæ Michoacanensis lib. 1. cap. 8. à fol. 35. col. 2. & fusiori sermone M. Joannes de Grijalva in Chronicis Ordinis S. Augustini in Provincijs Novæ Hispaniæ, signatim ætate quarta cap. 11. & sparsim per omnem librum, pro ut gesta Alphonsi multa in varijs temporibus postulant. Plurimi certè sunt qui ejus nec sine laude meminerunt, quorum, ne longiores simus, dimissis alijs, sat fuerit indicare Illustrissimum nostrum D. Joannem Diaz de Arce in Proximo Evangelico tom. 2. fol. 76. itemque in Quæstionarij expositivi lib. 4. quæst. 97. fol. 219. col. 2. Siguenzam in Triumpho parthenico fol. 89. col. 1. qui, ut etiam alij, Venerabilem pleno ore Nostrum

ſtrum appellant: P. Torquemadam in Monarchiâ Indicâ tom. 3. pag. 70. & alibi: D. Nicolaum Antonium in Bibliothecâ Hiſpaniæ Novâ pag. 42. D. Antonium de Leon Pinelo in Bibliothecâ Occidentali tom. 2. col. 761. & Plazam in Chronicis Univerſitatis lib. 1. cap. 4. à n. 21. & alibi. Ægydium Gonzalez Davila in Theatro Eccleſiæ Mexicanæ pag. 32. Fr. Hieronymum Roman in Chronicis Ordinis Heremitarum S. Auguſtini Centuria 12. ad annũ 1532. fol. 119. col. 1. Ad ſcripta quod attinet, Noſter in publicum emiſſit *integrum Artium Curſum* varijs partitum tractatibus quorum hi ſunt tituli.

Recognitio Summularum cum textu Petri Hiſpani, & Ariſtotelis. Mexici excudente Joanne Paulo Briſſenſi 1554. in fol. Rurſus Salmanticæ 1573. & 1593. etiam in folio, quarum editionum Hiſpanarum meminit Nicolaus Antonius.

Dialectica reſolutio cum textu Ariſtotelis. in folio, eiſdem typis Mexicanenſibus, & Salmanticenſibus, dictis mox annis.

Phyſica ſpeculatio, cui accedit ſpeculatio ſuper libros de Generatione, de Metheoris, de Anima, & de Cœlo. Mexici eiſdem typis 1557. in folio. Et apud Nicolaum citatum, Salmanticæ 1573. Formis Joannis Baptiſtæ de Terra Nova in folio.

Speculum conjugiorum. Mexici, Formis Joannis Pauli Briſſenſis 1557. in quarto magno. Salmanticæ apud Andream à Portonaris 1562. in quarto, & rurſus Compluti ex Officina Joannis Gratiani 1572. in quarto.

Appendix ad Speculum conjugiorum juxtà diffinita in ſacro univerſali Concilio Tridentino circa Matrimonia clandeſtina. Mantuæ Carpentanorum, excudente Petro Coſin 1571. in quarto.

Speculi ſimul & *Appendicis* ſtat editio Mediolanenſis Typographi Pacifici Ponti 1599. in quarto. De hoc libro ſic Nicolaus Antonius ſcribit: *Doctum valde atque utile opus.* Et nos ſubdimus, probatum illud eſſe à gravioribus quibusque Doctoribus de Matrimonij Sacramento tractantibus, qui ſæpiſſime illud allegant, ipſeque P. Thomas Sanctius, qui in hac materia Princeps meritò habetur, tertio quoque verbo noſtrum Magiſtrum citat.

Scriptis his operibus, quæ Nicolaus Antonius alijque adducunt, ſuperaddere oportet ſequentia:

Conſtitutiones Religioſiſſimi Collegij Divi Apoſtoli Pauli ex Ordine S. Patris noſtri Auguſtini. Habentur editæ à Grijalva in præcitatis ſuis Chronicis à fol. 154. Prodière Mexici, litteris Joannis Ruiz 1624. in folio.

Idiomate hiſpano ſcripſit,

Monita pro Scholaribus Theologis.

Epiſtolam de Privilegijs Regularium,

Quam affert Fr. Gaſpar à S. Au-

Augustino in Expugnatione Insularum Philippinarum. part. 1. à pag. 395. usque ad 409. dicit que trasmissam ad Episcopum Manilensem, cujus que memoriam fecerint P. Sicardus in Historia Mexicanensi, & Fr. Joannes Baptista Franciscanus.

Hispanice itidem conscripsit

Historicam rerum Novæ Hispaniæ plurium enarrationem,

Cujus meminit Grijalva fol. 80. col. 4.

Romano sermone composuit præter edita,

Commentarium in secundum Magistri sententiarum librum,

Quem Mss vidimus in quarto magno asservatum in Bibliothecâ Regalis Augustiniani Mexicei Collegij S. Pauli.

Relectionem de Libris Canonicis, super illud Pauli 2. ad Titum: Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, &c.

Hujus invenies memoriam in ultima pag. *Speculi conjugiorum* editionisComplutensis de anno 1572 ubi etiam sequentia memorantur opuscula.

Apologia pro Religiosis commorantibus & evangelizantibus verbum Dei in partibus maris oceani. De qua etiam Pinelus loco citato. *Pro eisdem etiam elucidatum Privilegium Leonis X & Pauli III.*

Clementina Religiosi, de Privilegijs exposita.

Compendium omnium indultorum, quæ ijsdem Religiosis à Summis Pontificibus sunt concessa. Compendium hoc multoties citat Fr. Joannes Baptista, Franciscanus, in doctissimis suis *Monitis pro Indorum Confessarijs*, esseque præ manibus apud omnes ferè Regulares, quamvis Mss testis est Grijalva fol. 188. col. 3. habetque mentionem citatus Pinelus.

Commentaria in Epistolas S. Pauli, in Universitate Mexicea è Cathedra dictata,

Quorum mentio est apud eundem Grijalvam ibidem, ipseque Alphonsus in *Speculo conjugiorum* isthæc reminiscitur commentaria,

Relectio de Dominio infidelium & justo bello,

Quam Author in margine p. 172. Speculi Compluti editi, scilicet 8 conclusione articuli 32. primæ partis à Lectore videndam monet.

S. Thomæ de Villanova, Archiepiscopi Valentini, Sermones ex hispano in latium idioma conversi & editi, ut alios inter, testatur M. Fr. Stephanus Garcia, in ejusdem S. Villanovani Vita cap. 35. fol. 85. col. 2. Editionis Mexiceæ apud Viduam Bernardi Calderon 1657. in quarto.

156 FR. ALPHONSUS DE VILLALVA, Natione Hispanus, cujus nescire nos Patriam cogit Scriptorum de ipsa silentium, testantium Pinciæ Dominicanis Patribus se religiosâ professione junxisse, indeque in Mexicanensem translatum Americam, apud eorumdem Provinciam S. Vincentij de Chiapa & Goatemala consti-

ſtitiſſe. Ab anno 1544. quo primùm fuit condita, cum ceteris electiſſimis utique Religioſis, eò appulſus, ad uſque annum 1563. omnium ſeſe exemplar virtutum exhibuit. Theologiam ſuos juſſus docere, paruit, dimiſſis eo tempore chariſſimis ſibi Indis, quorum ex animo incumbebat eruditioni: Superiorum autem juſſione eos repetens, ſuas in edocendis illis delicias habebat, frequentibus concionibus, colloquijs, & ſacrorum adminiſtratione. Cœnobijs Prior datus, totique etiam Provinciæ, commiſſa ſibi munera exactiſſimè implevit. Omnibus ornatus virtutibus adeò fulgebat, ut adſtantes Goatemalæ pro agendis Provinciæ Comitijs, gravibus quibusque ejuſdem hominibus, de Noſtro eligendo conſulentibus, mira ſinguli de ipſo dicerent: Alius ſcire ſe afirmabat, rigidiſſimum ſemper fuiſſe paupertatis, quam violaſſet numquam, cuſtodem: Alius conſtare ſibi certò dicebat, caſtitatem à puero hactenus inviolatam coluiſſe: Tertius, isque Alphonſus de Vaillo, vir notiſſimus, adjiciebat, tanta illum præditum obedientiâ, ut ab ea ne in minimis quidem deſciviſſet; alij demum, ne leviſſimi notatum aliquando mendacij, ſimiliaque candidè fatebantur, quem ſubinde Præſulatû omnes judicarent digniſſimum. Certè, ea erat humilitate, ut etiam Superior factus, omnibus ſe comitem præberet & humaniſſimum, ſuperbiæ ſigna quæque vel leviſſima cavens, ut propterea elogia quædam ſua in Adverſarijs Provinciæ offendens, expunxerit. Hinc mitis admodum, quamquam multis tentatus, iras neſcire videbatur, moleſta æquo animo ferens plurima. A propinquorum affectu tam erat diſſitus, quam ipſi corpore, in Hiſpania nempe degentes, quorum in Deû curam adjecerat, cui cordi ſunt pauperes.

157 Cœlites multos eximiâ devotione proſequebatur, atque ipſorum pervigilia jejunio, ſæpe in pane & aqua, agere ſolebat. Erga Sanctiſſimam Dei Matrem multò ferventius ardebat amore, numquam ejuſdem ſuſpiciens Imaginem, quin Angelicâ ipſam ſalutatione veneraretur. Sacras Indulgentias tanti faciebat, ut nullius occaſionem lucrandi elabi ſibi pateretur. Ad aras faciens, aut orationi incumbens, aliàsque multoties lachrymis madidus, Deum pro Eccleſiâ precabatur, Paganorumque & Hæreticorum converſionem avidiſſimè poſtulabat. Quamvis totum ſe divinis mancipaſſet obſequijs, cuncta verebatur opera ſua, mortique propinquus, timore percitus & formidine, numquam ſe Deo inſervijſſe credebat, cujus tamen honorem ſedulus procuraverat, animarumque ſalutem annos ſupra 18 egregio labore quæſierat, adeò ut aſperrimos de Cuchumatlan montes repetito vicibus undevigin-

ginti itinere pedes transijsset, quos similiter ambulasset proximè mortem obiturus, ni coactus fuisset à Fratribus equum ascendere, quòd penè deficientem illum viderent, postquam prolixâ quatuor menses infirmitate laboraverat Chiapæ. Ubi verò Goatemalam accessit, ægritudine patientissimè toleratâ, ad mortem se proximâ quotidianâ ferme synaxi sacrâ se præparabat, egregio in ea suscipiendâ fervore. Recurrente solennissimo Pentecostes festo, cum morbus & periculum ingravesceret, sacerrimum tanta fide & devotione Viaticum sumpsit, ut cernere oculis Christum Dominum videretur. Litanijs, cœterisque ab Ecclesia statutis precibus pro morti proximis à circumstantibus Fratribus recitatis, additisque Paraclyti Spiritus, cujus eo die adventus memoria recurrebat, hymnis; moriturus Noster petijt, ut eos qui in honorem Beatissimæ Virginis dici solent, adjungerentur; pluriesque à se repetito versu illo: *Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & mortis hora suscipe,* efflavit animam die 30 Maji circa horam tertiæ anno 1563. cujus salutem & qui aderant & qui noverant hominem, nulli ambigebant. Acta ejus, quæ hactenus innuimus, memoriæ mandavit Remessalius in Historia dictæ Provinciæ pp. 613. 615. & uberius 642. 643. 644. ubi testatur scripsisse

De varijs de quibus consulebatur juris ecclesiastici & conscientiæ casibus Responsa.

Tractatus pietatem redolentes varios.

Qui propterea suis perierint quòd isti extraneis facilè commodaverint.

Asservantur etiamnum

Ad sodalium dubia 16 Responsa certa & Consilia:

Quæ in Comitijs, ut vocant, Intermedijs apud Cobiam habitis 23 Januarij 1562. expedivit. Ejus nomen & acta atque scripta brevius habes apud Scriptores Ordinis Prædicatorum tom. 2. p. 182. ad annum 1563.

158 FR. ALPHONSUS DE ZEPEDA, Natione Mexicanus, Zacatecanus Patria, Franciscanus fuit Professione in Provinciâ S. Evangelij & Conventu Angelopolitano edita die 14 Februarij anno 1592. Virum fuisse egregijs ornatum virtutibus, orationique multò deditum, Author est Betancurtius in Menologio dictæ Provinciæ ad diem 29. Novembris; queis cùm eruditionem in Theologicis & alijs multam adjungeret, Prædicator insignis evasit, atque tanto id muneris executus est zelo, ut multos ad meliorem frugem traduxerit. V. P. Sebastiano Apparicio, cujus de Beatificatione causa jam diu in Romana Curia agitur, fuit à sacris confessionibus. Podagrâ plurimum laboravit, gravioresque, quos patientissime ferebat dolores, studijs levabat, etiam tunc scri-

ſcribendis, quos dicemus, libris intentus. His abſolutis, vitæ quoque ſuæ, religioſè admodum traductæ, ſanctam in Domino coronidem poſuit die 29 Novembris anno 1638. Angelopoli, in eo ipſo Cœnobio ubi ſe Deo conſecraverat votis, ibidemque ſepultus, poſt multos annos integer eſt inventus, atque ſtatim à morte pulcherrimus ſplendentique ſimilis. Epiſtolam ſigillatam, poſt ejus obitum à Prælatis reſignandam reliquit, multis ipſos rogans, ut viliſſimum humuncionem extremo ſepeliendum loco curarent, tanto illam conſcriptam ſpiritu, uti audientes tenère lachrymas haud potuerint. Scripſit tomos quatuor, in Bibliotheca Angelopolitani Conventus, ut conjicimus, aſſervatos, Betancurtio reticente Cœnobium, cujus in Libraria illos ſtare docet, quam pronum eſt intelligere Angelopolitanam, ubi Author deſceſſit. Sunt autem illi.

De B. M. V. Conceptione.

De ejuſdem B. V. M. Nominum excellentiâ.

Catena de Servatoris noſtri Jeſu-Chriſti Paſſione.

De Chriſtianâ Religione, & S. P. N. Franciſci ſtigmatibus.

Meminit Authoris & operum Bibliotheca Franciſcana tom. 1. pag. 53. ubi verba tranſcribit Illuſtriſſimi Boſnenſis cap. 24. Vitæ V. Fr. Sebaſtiani de Appariciо, Romæ editæ anno 1696. Noſtrum à doctrinâ, prudentiâ, & virtute commendâtis, inſignemque ſcriptis tribus (quarto Boſnenſem latente) voluminibus, nuncupantis.

159 D. ALPHONSUS ZORITA, Natione Hiſpanus, Domicilio Mexicanus, biennio ab erectâ Univerſitate Mexicanenſi, ipſam regente viro admodum Venerabili, Doctore Joanne Gonzalez, Metropolitanæ Eccleſiæ Canonico, convenientibus cum Pro-Rege Illmô. D. Ludovico de Velaſco, Auditoribus Regijs unà cum Doctoribus & Magiſtris, hos inter cooptatus eſt. Unus is erat ex ipſis Senatoribus Regijs, atque in Jure Civili Doctor in Hiſpania creatus, cujus Academiam ſiluit Chronographus Plaza: Alia inter, quibus pro munere incubuit negotia, demandatam ſibi à Rege ſcribendi non nihil provinciam ſuſcepit, atque eruditiſſimum pro Americanis Antiquitatibus dignoſcendis opus ornavit, cujus ex hiſpano in latium ſermonem verſus titulus ſic habet:

Brevis ſummariaque enarratio Toparcharum & aliorum in Novâ Hiſpania atque conterminis Provincijs quondam rerum potientium, Legumque & Conſuetudinum, quibus id temporis regebantur Indi, Tributorum, Vectigalium, & ſimilium, quæ populares pendebant Regibus ac Principibus ſuis.

Habetur Mss in folio in Bibliothecâ Collegij Maximi Mexicani S. JESU, inter octo volumina, quæ

quæ inibi vidimus, ex his quæ clarissimus D. Carolus de Siguenza congessit, notanturque in ejusdem Indice Bibliothecæ hoc nomine: *Historia Mexicana.* Meminerunt Authoris Plaza in Chronicis Universitatis lib. 1. cap. 15. n. 148. Betancurtius in Cathalogo Authorum, cùm Editorum, tum Mss, quem præfixit Theatro Mexicano, in quorum syllabo Nostri opus inseruit, quòd authographum sibi commodaverat Siguenza. Item Eques Laurentius Boturini in Museo Historico Indico suo § X. p. 21.

160 D. Alvarus Gomez de Abaunza, Mexicanus saltem Domicilio, cujus & Natio nos latet & Patria, apud Regium Goatemalensem Senatum Auditor, post inter Mexicanos adscriptus Togatos, criminum Vindex: Egregium valde opus, quod Mexici inchoaverant L. D. Antonius Maldonatus, & D. Vascus de Puga, Regij itidem administri, Collectionis Legum Indicarum, commodiori secutus est methodo, scribens hispano sermone

Repertorium Regiarum Schedularum,

Duobus tomis magnis, qui hodieque extant Mss, testibus Antonio de Leon & ejus Additoribus in Bibliothecâ Occidentali tom. 2. col. 821.

161 M. F. Alvarus de Grijalva, Natione Mexicanus, Patria Antequerensis, seu Goaxacensis, à nobilibus & pijs parentibus christianè & liberaliter educatus, Grammaticæque satis peritus, ac prompto insignique donatus ingenio, Ordini Prædicatorum in patrio Conventu nomen dedit, nuncupatisque votis, majoribus traditus studijs, tum ibi, tum in Angelopolitano celebri ejusdem Ordinis S. Ludovici Collegio, eximios quidem fecit progressus. Hinc Lector Philosophiæ in Cœnobio Goaxacensi, pro egregijs litteris & nomine, destinatus, initiatusque Sacerdotio, munus cum obijsset strenuè, Theologicis præpositus Cathedris, tantâ eas rexit omnium approbatione, ut exteri doctissimi viri, qui publicis ejus concertationibus scholasticis aderant, in multo illum haberent pretio, & Provinciæ Patres, absolutis pro suo jure & usu curriculis, ad usque apicem Magisterij ipsum evexerint.

162 Nec in palestrâ duntaxat Scholæ versatus, sed etiam in sacro suggestu, graviter & doctè ad populum dicere solebat hispano sermone, & coràm dissertis auditoribus ac conspicuis. Ut verò miseris etiam Indis procul degentibus prodesse valeret, exemplum observandum sibi proposuit Magistrorum Provinciæ suæ, qui eo donati gradu neutiquam quiescere, sed novis se mancipare solent laboribus; factusque pro capessendo Zaapotecanorum idiomate discipulus, brevi illud calluit, gentemque instruere cœpit optimis concionibus, & ad ipsarum captum

captum accommodatis, perſpicuitate, zelo, & reliquis oratoris chriſtiani partibus, quas etiam in omnibus expleverat à ſe habitis ſermonibus. Humaniſſimus etiam ijs qui ipſum offendiſſent, facilè irrogatas condonabat injurias, patiebaturque minimè, ut coram ipſo quis detraheret proximo. Prior datus Primario Conventui futuris deſtinato comitijs Provinciæ, quòd obierat Provincialis Fr. Petrus de la Cueva, ipſi Provinciæ Vicarius præfuit ab extremis Auguſti anno 1614. ad uſq ſequentis Majum, egregiâ humanitate unà cum Religioſæ diſciplinæ obſervantiâ. Secundùm Superior ejuſdem Cœnobij haud ſecus ſe geſſit exemplo præiens Fratribus; quo abſoluto munere, annis licèt gravatus, miniſtrare perrexit Indis, quo uſque febri correptus in Conventum deferri Antequeræ curavit, ut extremum ſtipatus Fratribus diem obiret: Priuſquam verò ædes aſcenderet, Templum ingreſſus, ante Aram Sanctiſſimæ Deigenitricis ſub appellatione Roſarij demiſiſſimè provolutus, multis illam lachrymis obteſtatus eſt, ut prò benignitate pientiſſimæ Matris adeſſe ſibi in agone vellet, qui propterea ſe ejus clientelæ dederat, ſuum que ex animo Roſarium frequentaverat. In cellam delatus, poſt habitis medicinis, quamvis aſſuetus animam ſacrâ confeſſione mundare, generalem inſtituit exomologeſim, tantâ quidem lachrymarum copiâ, humilitate, amore, cœterisque chriſtianis virtutibus, ut fieret palam, mox emiſſas ad Deigenitricem preces irritas fuiſſe minimè. Longè tamen ferventius Chriſtum in Euchariſtia pro Viatico excepit, Oleoque inunctus extremo, animam Deo reddidit. Scripſit præter *Philoſophicos* Tractatus & *Theologicos*, quos reticet Hiſtoriographus, tradidit autem ſuis Noſter Diſcipulis;

De SS. Virginis Mariæ Roſario, atque ejuſdem miraculis:

Ut Author eſt, qui ejus Vitam ſcripſit M. Burgoa in Paleſtrâ Hiſtoricâ Provinciæ Ordinis Prædicatorum de Goaxaca tom. 1. cap. 69. pp. 231. 232. 233.

163 Fr. Alvarus de Paz, Natione Mexicanus, Goatemalæ ortus eſt nobiliſſimis genitoribus Petro de Paz & Quiñones, & Lucia de la Cueva, à quibus optimè in tenera ætate inſtitutus, atque ſtudijs applicatus latinitatis, terciodecimo anno tam erat in illa provectus quam qui maximè. Statim evocatus à Deo in Franciſcanorum Ordinem, in cujus patriâ SS. Nominis JESU Provinciâ multi ex ſua ſtirpe clari viri floruerant, Superiores adijt, ut voti compos fieret, qui tamen &ſi bono illum animo eſſe juſſerunt, verentes puerilem fortaſſe fervorem, quòdque præfinitos pro ſuſcipiendo habitu religioſo non dum annos attingeret, tum quidem temporis repulerunt.

Ille contrà insistere postulatis decrevit, atque è domo aufugiens paterna, in Conventum se recepit Goatemalensem, & perinde ac si vestem indutus esset Franciscanorum, in omnibus ipsos, sive in choro, sive alibi, quamtumvis molestis & arduis exercitationibus, die comitabatur & nocte, super terram in cavædio cubans ut somnum carperet. His commoti Prælati, tyronibus illum, pro ut optaverat, adjunxère, quos inter biennium fermè eximio conatu peregit, quousque quinto decimo anno completo, destinatum ad inchoandam probationem tempus accessit, quo etiam alacriter acto, & omnium exemplo, solenni se Deo tradidit professione. Philosophiam dein & Theologiam, quo erat ingenio, & ad laborem comparatus animo, à Magistris accepit, tantis quidem progressibus, ut eisdem docendis Facultatibus judicatus fuerit aptissimus. Sacris initiatus, non dum tamen Sacerdos, Concionator electus, non sine plausu à Goatemalensibus est auditus; postquam verò ad Aras faciebat, procurandæque Indorum saluti maturus erat, hoc sibi negotium impigrè tractandum assumpsit, quod ut faustè perageret & uberrimè, quatuor gentis idiomata (scilicet *Cakchiquel*, *Quiche*, *Zutugil*, *&* *Mexicanum*) ita didicit, ut in eorum singulis non doctus modò fuerit, sed eximius, neminique secundus; & in prima quidem quam diximus linguâ, Magisterio functus, multos eam docuit Sodales, librumque, mox laudandum, conscripsit. His instructus dotibus, peritiâque insigni in omni Theologiâ, sive quæ ad palestram attinet, sive quæ mores concernit, sive quæ ad ascetas spectat, sive quæ sacras interpretatur litteras, instruendis Populis sese dedit multis in locis, pro ut Superiorum jussu fuit destinatus. Frequentibus concionibus, confessionum auditione, cœterisque muneribus sacris intentus, pro Dei amplificandâ gloriâ, & salute animarum promovendâ, benè longam vitam traduxit, obijtque septuagenarius anno 1610. in Conventu de Monostenango, ubi corpus ejus, post multa tempora, construendi Sacelli majoris causâ, effosum, integrum fuit repertum. Scripsit idiomate *Cakchiquelo* insignem pro Indis in via spiritus deducendis librum, cui titulum fecit

Scala Cæli:

In quo mysticam sic tractare Theologiam affirmat Chronographus statim citandus, ut opus, & praxim Nostri in cœlestibus rebus spiret, & doctrinam, qua erat imbutus, egregiam. Habetur etiamnum in pretio & præ manibus à Socijs & alijs. Quæ retulimus acta dedit typis excussa Fr. Franciscus Vazquez in Chronicis dictæ Provinciæ de Goatemala tom. 1. lib. 3. cap. 48. pp. 614. 615. 616.

164 Fr. Alvarus de Soria Briviesca, Mexicanus Domicilio, qua Natione fuerit & Patria nescimus: Regalis Ordinis Beatissimæ Virginis MARIÆ de Mercede alumnus, edidit idiomate hispano

Concionem de S. Petro Nolasco. Mexici, typis Viduæ Bernardi Calderon 1661. in quarto.

165. D. Ambrosius de Lima, et Escalada, Natione Mexicanus & Patria, inter egregios Mexiceæ Academiæ cultores Medicinæ multùm efulsit, non modò popularibus & nobilibus charus, sed verò etiam Principibus viris, qui eum sibi à salute esse voluère. Quòd autem annis superioris seculi 91 & 92. terræ ceteroquin feracissimæ Novæ Hispaniæ sterilitate laborarent, pro egentium præcipuè sublevandâ miseriâ cogitantibus Urbium Rectoribus in posterumque timentibus, exagitatum jam pridem dubium anno 1677. de frumento quodam quod *Albulum* dicunt, tursus exortum fuit: cùmque adversus illud Protomedici eo tempore Mexicani sententiam tulissent, per inde quasi valetudini infensissimum esset habendum, ut sub inde publicis cautum fuisset Decretis, ne usui adhiberetur humano, imò ne quidem terræ commendaretur, Nostro contra sentiente; è re sua atque Reipublicæ bono credidit, causam prohibiti agere & extorris frumenti, palamque facere haud noxium illud esse, imò verò utilissimum, proptereaque seminari oportere, eoque citra periculum & formidinem vesci homines posse, tunc in primis, cùm nobilioris copia non suppetebat. Et porrò obtinuit, ejus defferrente opinioni Excmô. Comite de Galve, D. Gaspare Sandovalio, qui ad clavum Pro-Rex aderat Regni Mexicei, cuique nuncupatum voluit Ambrosius Opusculum ea de re antehac à se compositum hispano sermone, scilicet

Spicilegium de natura commodisque frumenti, quod vulgo dicunt Albulum: unàque ad fundamenta contra ipsum à Proto-Medicis allegata Responsum.

Editum Mexici, apud Hæredes Viduæ Bernardi Calderon 1692. in quarto, in quo quidem cùm de re Medicâ, tum etiam de rusticâ eruditè & doctè ad propositum agit. Habemus illud t. 59 Collect. nost.

166 Fr. Ambrosius Martin, Domicilio Mexicanus, sin minus Natione & Patria, quas subticet is qui ejus nobis copiam fecit Fr. Alphonsus Franco in Historia Provinciæ S. Jacobi Mexicanæ Ordinis Prædicatorum. Ex hac in Familiam ejusdem Instituti apud Insulas Philippinas à SS. Rosario dictam, commigravit, atque ut gentilium in christianis institutionibus provideret utilitati, eorum qui Cagayani audiunt, idioma penitissimè callere constituit secum atque rimari, felici adeo successu, ut libros, quos sub-

 jun-

jungimus, ea usus linguâ consscripserit:

Artem pro ipsa addiscendâ.

Dictionarium ejusdem Idiomatis.

Quæ &si Franco opera inter typis excussa numeret in Catalago Scriptorum Mexicanæ Provinciæ, hactenus latent nos, & facilè quidem, cum rari admodum sint Mexici libri typis dati Manilæ.

167 FR. AMBROSIUS A MATRE DEI, Natione Mexicanus, ortus est Goatemalæ, & Mexici Dominicanorum Ordinem amplexatus in Conventu Imperiali, è quo, zelo ductus lucrandarum apud Philippinas Insulas animarum Fide carentium, in Provinciam SS. Rosarij se contulit anno 1595. Ubi accessit, delegatus à Superioribus fuit in Novam Segoviam, recèns detectam, & adhuc Paganismi tenebris obvolutam, ut lumen in eam Catholicæ Fidei inveheret. Constitutus in eâ, totum se ad gentis idioma noscendum vestigandumque intimiùs dedit, idque ingenio assecutus est & labore, ut elegantius ac rectius omnibus, qui id calluerunt, loqueretur & scriberet; Magisterque fuerit omnium, peritissimorum etiam in difficillima Lingua, Sodalium, quibus instruendis atque juvandis libros scripsit infra dicendos. Virum fuisse exemplis religiosæ vitæ conspicuum, eximio præditum dilatandæ christianæ religionis zelo, & multâ clarum virtute author est Illmûs. D. Fr. Didacus Aduarte, Novæ itidem Segobiæ Episcopus, ejusdem Provinciæ Chronographus lib. 2. cap. 29. p. 190. editionis Manilensis de 1640. quam præ manibus nunc unam habemus.

168 Inde etiam accipimus multa, queis Deum suum illustriorem Ministrum reddidit, mira, ejus oratione interventuque, in confirmationem, quam prædicabat, Fidei patrata. Aderat in Oppido *Avulva* dicto, cùm prægrandis clibani pro cremandâ calce machina cadens, incautum oppressit inibi agentem hominem; nec tamen occidit, quòd suis Noster fusis ad Deum precibus intercesserit. Mirabilius verò habitum est ibidem, quod nuntiantibus ei Indis, fœminam infidelem obijsse in agro, Ambrosioque ut eam sibi afferent mandante, ubi defunctæ pridie cadaver aspexit, in sepulchrum, quod effossum erat, proximè conjiciendum, dolore correptus, precatusque ex intimis Deum, moveri cœpit fœmina & loqui, deinque roborari; quam Fidei Christianæ elementis institutam baptizavit, atque in vivis reliquit. Haud absimile quod subjungimus. Peregrè agebat apud Abulugios Indus quidam ex Provincia de Ilocos, quem graviter ægrotantem, omnique destitutum auxilio, qua erat Noster charitate, secum in Ecclesiam deduxit, brevique, ut qui aderant omnibus vi-

visum est, mortuum christiano more suffragijs juvans, aquâ lustrali semel & iterum ac tertiò aspergens, indicia defunctus vitæ dedit, qua donatus, restitutusque valetudini, suis se restituit, Ambrosio gratus, multò verò gratior Deo, devotiorque aquæ lustrali, cui Noster beneficium acceptum retulit, pro ut, Superioribus jubentibus, fassus est, aliaque permulta miraculis quidem simillima, quæ ut plurimi Christo jungerentur fide & amore, Servator ipse operari dignatus est. Certè, quòd isthæc suis barbari homines oculis cernerent, multotiesque morientes penè Indos sanitati restitutos haud alio pharmaco quam Baptismi Sacramento, & his paria, de quibus citatus Aduarte lib. 1. à p. 157. multis sequentibus; Christianis se, quòd pridem nimis recusaverant, aggregarunt. Noster porrò, constructo in Dei honorem Templo sub invocatione S. Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici, Doctor & ipse commissæ sibi gentis, ad Dei ipsam cultum, idolis proculcatis, deduxit, sacrisque deditam ecclesiasticis, egregiè fovit, concionibus publicis, privatis hortationibus, exemplisque vitæ apostolicis, ut subinde mira Indi pietate floruerint. Hanc postquam supra triginta annos provinciá sustinuit, anno 1627 menseAprili decessit. Varia pro Evãgelicis Operarijs inibi laborantibus admodum proficua reliquit scripta, nempe

Artem pro Novæ Segoviæ idiomate addiscendo.

Ejusdem idiomatis Dictionarium.

Evangelia eo etiam explicata sermone, & exempla varia.

Articulorum Catholicæ Fidei declarationem.

Jesu-Christi Servatoris nostri Passionem, aliaque per utilia, dictionis elegantiâ proprietateque ab illius peritissimis commendata, pro ut legere est in supra nominato Illmô. Aduarte pag. 190. Nostri pariter meminit Fr. Alphonsus Franco in 2. parte Historiæ Provinciæ S. Jacobi Mexicanæ lib. 3. à cap. 5. & Pinelus in Occidentali Bibliothecâ col. 724.

169 D. Ambrosius Melgarejo et Aponte, Natione Mexicanus, apud insignem Habanensem Insulam natus nobilissimis genitoribus, lucem generi ipse suo addidit. Primis in natali solo transactis annis & peractis studijs, majoribus operam navaturus Mexicum petijt, atque ut Academiam nostram frequentaret candidatus Jurisprudentiæ, Collegis Commendatorum S. Raymundi adscriptus, eorum etiam pro tempore Præses fuit. In utroque versatus jure, laureâque redimitus, nec praxi minus pro Judicum subsellijs, quam Scholarum doctus velitationibus, pro causis protegendis apud Regium Mexiceum Senatum probatus, strenuè munus est executus. A Catholico Rege in

Goatemalense Forum adlectus rerum capitalium Prætor, tum etiam Fisci Procurator, ac demum Auditor, his egregiè functus muneribus, dein Mexicanis cooptatus Togatis Regijs, primùm Criminalis Quæsitor, tum etiam pro Regis Ærario ac Jure Defensor, ac demum Auditor, ardua quæque negotia, pro ut Sapientem decet hominem expedivit. Collegij Majoris Mexicei S. Mariæ & omnium Sanctorum Protector, de nobilibus & litteratis Alumnis benemeritus fuit. Reipublicæ quoque, humanitate, pietate, alijsque acceptus dotibus, multi à Principibus viris est habitus, constitutusque à Rege ut ab Excmô. Duce de Arion, Marchione de Valero, ipsiusque nuper vices gerente rationem obiti amplissimi muneris posceret; suo functus est ritè, ut & cœteris curæ suæ demandatis. Multa quidem pro his scripsit & varia, quorum cum nobis nos sit copia, quòd in schedis manserint, typis datam afferimus

Allegationem in Causa Immunitatis Ecclesiasticæ, quam falsario cuidam Regiæ Subscriptionis atque Sigilli minimè suffragrari contendit. Mexici, apud Hæredes Viduæ Michaelis de Ribera 1730. in folio.

170 D. Ambrosius Melgarejo, clarissimi, quem præcedenti dedimus loco, Togati filius, Togatus & ipse, è Trium viris Mexiceis, Natione Mexicanus, Goatemalæ agentibus genitoribus lucem aspexit, primasque disciplinarum hausit institutiones. Parentem in Mexiceum Areopagum à Rege promotum secutus, nomen Academiæ nostræ dedit Jurisprudentiæ operam navaturus, strenuè adeo & feliciter, ut & utriusque laureas juris retulerit, & sua spontè theses in majori Aula, coram frequentissimâ doctissimorum hominum multitudine propugnaverit, cùm ad Canonicam Facultatem spectantes, tum etiam ad Civilia præscripta, è 24. titulis erutas, numero 200 graviores & difficiliores, problematicè ad arguentium placitum manè & vesperè, versatili & promptissimo ingenio, multaque & variâ sententiarum dives eruditione, modò affirmantem, modò negantem opinionem, pro ut concertatoribus arridebat, substinens, & ab oppositis objectionibus vindicans, dignus propterea quem eruditissimi quique mirati fuerint, multumque laudaverint à doctrinæ ubertate sibi adhuc tyroni studiosissimè comparatâ. Oratoribus Regij Auditorij adscriptus, causas ubi egerat, Mexiceâque Præturâ defunctus, in Hispaniam profectus, & à Sapientissimis viris probatus, Catholicoque Regi nostro commendatus, pro Mexicanâ Curia Triumvir adlectus, demandatam sibi provinciam ad præsens usque tenet, ut æquissimum decet Judicem, Regiumque Consiliarium. Edidit vernaculo hispano

Pro-

Propugnationem juris Metropolitanæ Ecclesiæ Mexiceæ decimalis. Mantuæ Carpentanorum. ..

171 D. AMBROSIUS FRANCISCUS DE MONTOYA ET CARDENAS PONCE DE LEON, Natione Mexicanus, Angelopoli nobilissima ortus stirpe, atque ut ipsam decebat, studijs omnique institutus humanitate, postquam Regi inservierat atque Reipublicæ claris gestis Præturis, statui se Ecclesiastico addixit, initiatusque Sacerdotio, litteris, quas pridem coluerat, prophanis & sacris multas pro animarum regimine adjunxit, & Parçciæ de Topoyango Curio datus, reliquum vitæ tempus in pascendo commisso sibi grege transegit. Non nulla ingenij monumenta reliquit, in primis idiomate hispano

Narrationem historialem solennis Angelopoli celebratæ Proclamationis Philippi IV Hispaniarum & Indiarum Regis, Angelopoli....

Apem mysticam, seu S. Ambrosij Doctoris vitam paneyricis illustratam commentationibus,

Quam prelo paratam habebat nuncupandam Marchioni de la Laguna Novæ Hispaniæ Pro-Regi, ut testis est D. Didacus Bermudez de Castro in Syllabo Angelopolitanorum scriptis illustrium ad nos transmisso, qui Didacus apud se Authographum esse fatetur; atque multa alia, cùm poetica, tum etiam oraroria Mss. Nostrum reliquisse addit.

Symbolum vitæ Christianæ, ordine dispositum alphabetico,

Quem Mss in quarto se vidisse Author est nobis Presbyter Tlascalensis D. Vincentius Joseph de Torija, eruditus omnique dignus fide.

172 D. AMBROSIUS DE ZAYAS BAZAN, Natione Mexicanus, Patria Habanensis, nobili natus genere, gestisque illustris, pro ea qua pollebat eruditione destinatus ab Insulæ Gubernatore D. Gregorio Guazo, ut secundùm Catholici Regis nostri mandata totam Cubæ Insulam, Urbemque ejus insignem, Habanam, libro complecteretur, paruit, strenuamque in eo concinnando operam posuit non absque Regis, cui traditus liber fuit, beneplacito & laude. Titulum illi hunc fecit

Descriptio Urbis Habanæ, Insulæque Cubensis:

Mss transmissus fuit ad Regium Indiarum Consilium, uti litteris ad nos datis asseruit admodum Reverendus M. Fr. Joseph Gonzalez Afonseca Dominicanus, de quo suo infra loco sermo erit.

Meminit hujus operis D. Antonius de Leon Pinelo in Bibliothecâ Occidentali editionis novissimæ tom. 2. col. 585. asserens, tres in eo Historicas haberi narrationes, alteram Gubernatorum Insulæ ab anno 1549. ad usque 1725. secundam ejusdem Pontificum, postremam autem Mexicanensium Proregum; stareque

reque Mss. authographum apud Bibliothecam Barciæ.

173 D. AMBROSIUS DE SOLIS, Mexicanus, ad minus Domicilio, nam Patria & Natio nobis est in ambiguo; musicæ doctus, ejus in Metropolitanâ Ecclesiâ deditus usui sacro, Musas egregiè coluit, atque etiam ad numeros opportune nonnunquam cecinit, hispanis complexus carminibus Heroum acta celebrium, ut scriptis reliquit his titulis:

Brevis summa vitæ, obitus, & funeris Illmi. D. D. Feliciani de la Vega Archiepiscopi Mexicani. Mexici, ex Typographia Joannis Ruiz 1643. in quarto.

Monumenta Dei Servi Gregorij Lupecij. Mexici ex eadem Officina 1663. Extat tom. 36 Collect. nostræ.

Altare Sacellumque in Ecclesia Metropolitana Mexicea Deiparentis Imaginis de la Antigua dictæ numeris descriptum majoribus. Mexici, apud Hippolytum de Ribera 1652. in quarto.

174 FR. ANASTASIUS ANTONIUS PEREZ, Natione Mexicanus & Patria, Provinciæ S. Evangelij Seraphici Patris S. Francisci filius, Apostolicus Notarius Sanctique Inquisitionis Officij, pro expurgandis libris destinatus ab eodem Tribunali Revisor, Prædicatoris in Conventu Primario munus exercuit, Parochiamque Indorum Antiquiorem S. Josephi pro tempore rexit, ut qui Theologicis, quibus ornatus erat, doctrinis Mexicani peritiam idiomatis adjungebat. Multas quidem scripsit conciones, edidit autem hoc titulo insignem:

Dei vices pro Aurificibus tenens S. Eligius, Noviomagi Episcopus. Mexici, apud Josephum Bernardum de Hogal 1729. in quarto. Habetur tom. 4. Collectionis nostræ.

175 M. FR. ANDREAS DE ALMAZAN, Natione, ni fallimur, Patriaque Mexicanus, Heremitarum S. Augustini in Provincia SS. Nominis JESU Mexicana alumnus, atque in Sacra Theologia Magister, Conventus Regij Priorem agebat, cum Societatis JESU Patres festivâ egregiâque atque omnigenâ pompâ relatum inter Sanctos universæ Familiæ suæ Generalem quondam Præpositum S. Franciscum de Borgia (qui primos in Mexicanam Provinciam Sodales invexerat) octiduo celebrarent; religiosis in Ecclesiam Domus Professorum sacris Ordinibus, suo quisque die, confluentibus; destinataque pro Augustinianis, è sacro ipse dixit suggestu, atque Oratio ejus unà cum cœteris ejusdem argumenti edita est:

Concio in Apoteosi S. Francisci de Borgia, Societatis JESU. Mexici, litteris Joannis Ruiz 1672. in quarto.

176 ILLMUS. D. D. ANDREAS DE ARCE ET MIRANDA, Natione Mexicanus, in Urbe Huexotzinco Diœcesis Angelopolita-

litanæ claris sanguine & virtute Parentibus natus est. Educatus ingenuè, ut litteris informaretur Angelopolim translatus, post optimè cultam latinitatem in Collegio S.Ignatij cui fuerat addictus, ad S.Ildefonsi Societatis Jesu, Magistris insigne, Philosophiâ & Theologiâ nedum fuisse tinctum, sed verò etiam imbutum, palam fecit, cùm ibi publicis concertationibus habitis, & præcipuè universâ scholasticâ Theologiâ, additis aliquibus jurisprudentiæ titulis, per diem integrum propugnatâ, quòd non nisi ijs qui eminent inter ceteros, est concessum; tum etiam Mexici, quò se contulit in Universitate laureâ donandus Baccalaureatus: nã & hîc periculo facto doctrinæ, haud vulgarem laudem promeruit, & in Regali S. Ildefonsi Collegio multos inter Trabeæ petitores Theologiæ, quæ prævio rigidiori examine publico, digniori tradenda erat, unus ipse reliquis prælatus, & honorem multi à sapientibus habitum, & stipendia, ut inibi studijs incumberet, consecutus est. Tum pro utroque jure funditus addiscendo septennium in Academia posuit sub optimis, quos audivit, Antecessoribus, bona adeò fruge, ut inter causarum Patronos Regij Mexicani Judicij allectus fuerit meritò. Interea Doctoratum in sacrâ Theologiâ nactus, eximiam Doctorum existimationem obtinuit, quòd ejus ubertatem Facultatis cum multa amœniorum litterarum eruditione altiorique ac puriori latij sermonis elegantiâ sociaret. Sacris initiatus, Cathedrisque & Canonicatibus petitis egregiâ cum laude, Diœcesim suam repetens, quòd preter scientiarum, quas diximus, culturam, Linguæ etiam Mexicanæ peritiâ, Indorum Parœcijs necessariâ, gauderet, ei quæ à Sancta Cruce dicitur intra Angelopoleos mœnia præfectus est, & in tota ditione Examinator Synodalis creatus. Suo strenuè functus munere, post multa in re litteraria pro Cathedralis Ecclesiæ suæ Canonicatibus emerendis specimina eximiè data, pro Concionibus in ea habendis à Catholico Rege electus, dein canonicè institutus, huic totum se muneri obeundo dedit, eruditis juxtà & christianis insistens exercitationibus. Hæc dum edimus ad Episcopales infulas Portudivitensis Ecclesiæ evehitur, pro ut suis nos docent litteris amici Madritani fide quidem dignissimi: Quòd verò authentica ea de re instrumenta opperiamur, nil prætereà subjungimus, Nostro intereà Dignitatem gratulantes ex animo, cui pristinâ sumus & intimâ necessitudine conjũctissimi. Alias quamvis asservet Mss Conciones plurimas, tomum publicæ luci dedit in quo 16 omnigenâ refertas eruditione, stilo nitidas, & omnibus ex artis Oratoriæ præceptis instructas dotibus, ac bellè tor-

natas compaginavit hispano sermone, hoc titulo

Sermones varij. Mexici, in Typographia Regia D. Mariæ de Ribera 1747. in quarto.

Adjectus est libro appendicis loco *Epistola ad Regium data Auditorium Mexicanum pro erigendo Angelopoli Collegio S. Francisci Xaverij, & Jesu Societatis Alumnis tradendo, Indorum spirituali bono invigilaturis.*

Tomus alter argumentis, mole, stylo, & cœteris dotibus prioris gemellus, vix non totus typis jam est excussus, proximè in lucem dandus, eodem titulo

Sermones varij. Mexici, ex Typographiâ editioni Bibliothecæ Mexicanæ destinatâ 1754. in quarto. Seorsim autem ediderat.

Cœlum ad nostras per Ignatij & Societatis suæ manus deductum. Mexici, typis Viduæ Josephi Bernardi de Hogal 1751. in quarto.

In Schedis habet

Prælectiones Prolusionesque academicas varias.

177 FR. ANDREAS DE AVENDAÑO, Natione Hispanus, ex Provincia Burgensi Ordinis S. Francisci in Jucatanensem advectus, in eaque Deffinitoris munere insignis anno 1705. Tomum in folio scripsit, quæ sequuntur Opuscula complectentem:

Dictionarium Linguæ Jucatanorum.

Brevius Dictionarium, adverbia temporis & loci ob oculos ponens.

De varijs corporis humani languoribus.

Dictionarium alterum de proprijs Personarum nominibus, Idolis, Choreis, & alijs priscis & ænigmaticis Indorum Provinciæ.

Et hæc quidem liber ille in folio habet; duos verò in minori forma alios composuit, scilicet

Artem pro addiscendâ Jucatanensium Linguâ.

Expositionem vaticiniorum, quæ antiqui à suis Indi acceperant.

His quatuor alij adjiciuntur variorum libri, quos ad calcem Dictionarij Authorem ipsum scriptos à se dicere testes nobis sunt ejusdem Provinciæ Sodales litteris ad nos datis.

178 D. ANDREAS BERNAL DE SALVATIERRA, Natione Mexicanus & Patria, Regiæ ejusdem Universitatis Alumnus, Parochusque Ecclesiæ de Iztlahuaca, ut animarum salutis iter agentium, quo erat ipsarum zelo inflammatus, doctrinâque imbutus, Ductorem se præberet, idiomate hispano librum in lucem dedit, cui hunc titulum fecit:

Verum iter: Colloquium Dulcissimum inter Jesum & ejus Sponsam animam:

In quo pio & constanti carmine tribus actibus tres spiritus vias, incipientium, progredientium, & perfectorum expendit. Mexici, typis Francisci de Ribera Calderon 1718. in octavo.

179 M. F. ANDREAS DE BORDA, Natione Mexicanus & Patria, Provinciæ Sancti Evangelij Franciscanorum filius, decusque eximium: vir fuit cùm in Philosophia,

phiâ, tum etiã in omni Theologiâ doctissimus, atque etiam in Jure, præsertim Canonico, versatissimus. Scholasticam multos annos professus altissimè imbiberat, Moralem quoque tam enixè curaverat, ut duos supra viginti in ea & Canonico ac Regulari jure posuisse fassus ipse fuerit in procœmio operis pro Confessarijs Monialium instruendis à se editi. Hinc, ejusdem in difficillimis negotijs consilium quærebatur etiã à Doctis hominibus, multique fiebant quæ interrogatus dabat responsa. Nec in Sacrorum Bibliorum studio segnior, operam in eo posuit, doctasque & graves sæpissime habuit conciones. Excelluit verò in Polemicis, & argumentis omnibus, quæ apud S. Inquisitionis Tribunal, pro rerum & librorum mirandâ varietate disquiri solent, eaque propter à Censuris Theologicis fuit, Fideique Quæsitoribus acceptissimus, atque in id negotij labore assiduus. In Provinciâ suâ, quòd plures secundum ejusdem Leges annos Philosophiæ & Theologiæ docendis impendisset, bis Emeriti laurum, & Patris titulum reportavit. Academiæ verò Mexicanensis alumnus, & in Sacra Theologia Doctor, totos viginti annos subtilissimi Cathedram Scoti Magistri Perpetuus Antecessor ut rexerat, Emeriti etiam honores nactus & privilegia, plurimi jure est habitus: tanti quidem, ut plenus Doctorum Consessus in unum conspiraverit ipsum, qui Academiæ nomine Fratribus Bethlemitis multa ab ipsa quærentibus, & oppidò gravia, responderet, opusculo suo atentissimè lecto, suffragrantibus universis. Nec à doctrina tantùm insignis, sed à religiosæ vitæ exemplis probatissimisque moribus clarus, obijt sepultusque fuit in Cœnobio Ordinis sui Mexiceo Primario, cunctis religiosisFamilijs,& AcademicoConsessu funus cohonestatibus, gravissimique ac ornatissimi jacturam Magistri dolentibus. Multa quidem scripsit, quorum aliqua typis edita manent, habenturque in pretio, reliqua Mss majorem partem desiderantur. Typis evulgavit conciones vernaculo sermone à se dictas, his nominibus:

Objectio, retorsio, & ad argumentum solutio adversus Christi Domini honorem à Pharisæorum nequitiâ facti. Mexici typis Lupercianis 1683. in quarto. Legitur tom. 66. Collect. nostræ.

Imago Seraphica Jesu Christi plagati, ab ipso in monte Alverniæ in corpore expressa S. Francisci. Mexici, in Officina Viduæ Francisci Rodriguez Lupercio 1688. in quarto. Habetur tom. 96 Collect. nostræ.

Responsum verò, quod Academiæ nomine, ut diximus, concinnavit, ita habet

Regiæ ac Pontificiæ Universitatis Mexicanæ solutio 14 quæstionibus exhibita quas RR. PP. Bethlemiticæ

ticæ Societatis retulère pro enodatione. Mexici, typis Viduæ Michaelis de Ribera 1708. in folio.

Praxis pro Monialium Confeſſarijs, ſeu Dialogus explicandi gratiâ quatuor illarum vota. Mexici, Litteris Franciſci de Ribera Calderon 1708. in octavo.

Ex his quæ in Academia è ſuggeſtu dictavit, ſequentia habemus à libris pro cenſendis annuis Lectionibus deſtinatis, quámquam caſu aut incuriâ multa ex eis prætermiſſa ſint opera.

Selectæ è varijs Theologiæ tractatibus controverſiæ.

Diſquiſitio Theologica de qualitate qualificabilium propoſitionum.

Commentaria in Quodlibeta Scoti.

Diſſertatio de Sacris Apoſtolorum Canonibus.

Tractatus de Sacramentis in genere.

Tractatus de Fide Theologica, quem nos alios inter diſcipulos calamo excepimus, Noſtri eo tempore auditores.

Fama quamvis ſit in Sacra Biblia itidem elucubrationes varias elaboraſſe, quales tamen & quantas neſcimus. Pariter latent nos opera alia Theologica & Philoſophica, quæ certò certius eſt condidiſſe, &, ſi injuriâ temporum non perière, noſtris ſe adhuc conatibus ſubduxerunt.

180 FR. ANDREAS DE CASTRO, Natione Hiſpanus, Burgenſis Patria, nobilibus Parentibus genitus, atque ritè litteris & chriſtianis moribus inſtitutus, ubi per ætatem licuit Ordinem S. Franciſci in Provincia Conventuque patrijs profeſſus eſt. Philoſophiæ conſuetos & Theologiæ curſus poſtquam exègit ibi, Novitiorum præfectus educationi, egregijs religioſæ vitæ exemplis omnique ſolicitudine tyrones formavit. Dein Superiorum permiſſu inſtauravit Salmanticæ ſtudia, quatuor rurſus aut quinque annis ſtrenuè poſitis in quatuor Sententiarum libris, quos à Doctiſſimo Magiſtro Fr. Andrea de Vega explicatos accepit, proficiens inſimul doctrinâ F. Franciſci del Caſtillo, & Alphonſi de Caſtro, tribus quidem Ordinis Minorum luminaribus fulgentiſſimis. Quòd verò longè latèque ea tempeſtate ſanctitatis fama volaret nuper apud Mexicanos invectæ Franciſcanæ Familiæ, quæ ſe totam lucrandis Indorum animabus devoverat, excitatus, ut ſe Operarijs Evangelicis Noſter comitem adderet, unà cum egregio viro Fr. Jacobo de Teſtera in Americam noſtram tranſivit anno 1542. Mexicanam gentis Linguam exactiſſimè didicit, nec minus accuratè *Matlatſincanam,* quæ barbara erat & ſcitu difficillima, coluit, adeò ut libros eâ uſus utiliſſimos perbellè conſcripſerit, à Mexico Tolucam delatus, qua in Urbe illius Nationis homines & in finitimis locis degebant Mexicanos inter Hiſpanosque multos. Hîc porrò ille ſubſtitit, annosque quadraginta

in hac excolendâ vineâ consumpſit.

181 Mirum ſanè eſt quanto laboraverit zelo, quantaque virtute Apoſtolicum munus obierit. Primus fuit qui barbaris illis ſuo Evangelium nuntiavit idiomate, quod nullus Religioſus calluit ante ipſum; atque ut illos ſacro fonte expiaret, ablutosque cœteris Sacramentis foveret, difficile eſt dictu quanta egerit. Montes adibat ſæpè, loca que impervia ferè, & pedes ſemper, niſi in ultima ſenectute, quærendi eos & inſtruendi gratiâ. Singulis diebus feſtis tres de more conciones habebat tribus illas Linguis auditoribus varijs accommodatas: primùm *Mexicano*, deinde *Matlatſincano*, demum *Hiſpano* ſermone, ut à ſingulis caperetur agebat: ſæpiſſime ſermonibus Miſſam cum cantu adjiciebat, pueros, multos enim verò, ſacro abluebat lavâcro, mortuos, ſi qui erant, Eccleſiæ ritu ſepeliebat, & ad iſthæc omnia jejunus, aquaque contentus, vino abſtinebat, quòd cùm in pretio eſſet multo, dedecere pauperes, ut erat rigidiſſimus ejus voti cuſtos, credebat. Sacris ſuis excurſionibus Indos perquirebat monendi de re chriſtiana, & juvandi gratiâ, quorum confeſſiones ſacras audiendo diem multoties totum in agro ſubdio, ardente nimis Sole, impendebat: eorumdem ut corrigeret vitia prætermitebat nihil quod eorum indoli opportunum exiſtimabat; cùmque gratiſſimus illis ipſe haberetur, minabatur receſſurum ſe ab eis abiturumque ad Mexicanos ni reſipiſcerent. Tum rogare illi, deflere, & multis obſiſtere, alijs eum complectentibus brachijs, alijs muri inſtar obſtantibus, alijs egredientem in humeros refferentibus, & in propria revocantibus. Orationi deditiſſimus, tempus, quod ab Apoſtolicis curis ſupererat, libens ei dabat. Abſtinentiam ſic coluit, ut ſemel in die veſceretur. Humilitati addictus Cœnobijs præeſſe recuſavit, vixque, obedientiâ coactus, menſem unum Superiorem egit. Diffinitoribus, ut dicunt, adſcriptus Provinciæ, Apoſtolicis non propterea ſe munijs ſubduxit, queis in Dei gloriam ad extremum perductis, vivere deſit in Conventu de Toluca die 14 Decembris anno 1567. Scripſit

Artem pro Linguâ Matlatſincanâ perdiſcendâ.

Dictionarium ejuſdem.

Sermones pro toto anno, & Doctrinam Chriſtianam eodem idiomate.

Quorum & Authoris meminerunt Arcturus in Martyrologio Franciſcano, & Illuſt. Gonzaga relati à Bibliotheca Franciſcana tom. 1. pag. 62. itemque Uvadingus & Nicolaus Antonius: è Noſtris Torquemada tom. 3. lib. 20. cap. 65. pag. 539 & ſeq. editionis Madritanæ 1723. & Betancurtius in Menologio Provinciæ ſuæ pag. 125. die 14.

182 D. ANDREAS DIAZ DE RABAGO, Natione Hiſpanus, in Villa natus de Saldaña in Montanis Legionenſibus; apud Philippinarum Inſulas, poſtquam Parochum egit in varijs Eccleſijs Provinciæ dictę Nova Gerea, Mexicanis Domicilio ſe adſcripſit, & quam dixit è ſuggeſtu ſacro, edidit,

Orationem panegyricam in honorem S. Annæ genitricis puriſſimæ Deiparentis. Mexici, apud Hæredes Joannis Joſephi de Guillena Carraſcoſo. 1718. in quarto.

183 ILLMUS. D. D. ANDREAS FERNANDEZ DE HIPENSA, Natione Hiſpanus, apud Arnedo Villam ortus, Compluti Collegio adſcriptus Trilingui fuit, & ſacris Canonibus operam dedit. Doctoratus verò apicem Abulæ in antiquâ Academiâ ſuſcepit. Illmûm. D. D. Franciſcum Manſo, Archiepiſcopum Mexicanum in Americam contendentem ſequutus, ejuſdem pro Indorum negotijs Vicarium egit, Judicemque Teſtamentorum & Piarum cauſarum, atque ratiocinijs eccleſiaſtica bona concernentibus inſtitit. Archipræſule Hiſpaniam ad tempus petente, tandiu Vicariatu ipſe generali Diœceſis potitus eſt, donec Sedes vacaverit. Redux in Hiſpaniam, inſtitutusque Toletanus Fidei Quæſitor, mox à Catholico Rege Jucatanenſis Epiſcopus deſtinatur anno 1643. deſuperque à Romano Pontifice Apoſtolicis litteris expeditis pridie 9 Octobris ejuſdem anni, paucis poſt diebus, Toleti humani exemptus rebus fuit, ut Author eſt M. Ægydius Gonzalez Davila in Theatro Eccleſiæ Jucatanenſis pag. 218. Scripſerat Mexici degens:

Inſtructionem brevem pro ſacris Confeſſionibus ritè agendis à cujusque ſtatus hominibus. Mexici, apud Franciſcum Salvago 1635. in octavo.

184 M. FR. ANDREAS FERRER DE VALDECEBRO, Natione Hiſpanus, apud Teruelam Aragoniæ Regni Urbem notiſſimam ortus, Mantuæ Carpentanorum adoleſcens Prædicatorum Ordini ſolenni ſeſe profeſſione adſtrinxit. Statim eximijs inclareſcere cœpit animæ dotibus, chriſtianis ſcilicet & religioſis moribus, ingenio pro litteris nato, multâque cùm in Philoſophia & Theologia laude, tum etiam dicendi facundiâ & peritiâ. Americanis, ad quos devenit, adſcriptus Domicilio, in Ordinis ſui Collegio S. Ludovici Angelopolitano, ſeu Tlaſcalenſi, quod, tunc quidem temporis, inter Mexicanæ Sanjacobeæ Provinciæ gremia cenſebatur, moderandæ Theologicæ Cathedræ præfectus, hujus ita partes implevit muneris, ut inſimul Eccleſiaſtes curas minimè prætermiſerit, quod apud noſtrates frequentiſſimo in uſu eſt. Varia itidem ea tempeſtate lucubravit atque edidit opera, quibus plura deinceps adjecit typis in Europa, quò ſe con-

contulit in Hispaniæ Provinciam reversus, facilè doctissimum invitantibus hominem, non immodicis sumptibus, quem Americani pro editionibus incredibiles deterruerant. Compluti apud Sodales suos annis 1662 & 1664. Moralis Theologiæ professione illustris, multâque aliâ dives eruditione, Magisterij demum laureâ conspicuus fulsit, atque in Supremo Hispaniarum Senatu pro rebus Fidei Censor adlectus fuit, semperque dicendo è suggestu gratus dissertis & eruditis etiam auscultatoribus. Plura quidem & cedro digna scripsit à Criticis Gallis Scriptorum sui Ordinis Historiographis multi habita, & recensita ad annum 1675. tom. 2. pag. 658. Sunt autem hispano illa sermone, quæ subdimus, exordientes à cussis in Americâ nostrâ Authore in ea degente.

Lamentatio Apologetica pro R. P. Abrahamo Bzovio 1650. in quart.

Americæ discrimina & Catholicæ Religionis ærumnæ. Tlascalæ 1650.

Constructio sacra augustioris Americæ Templi adversus Cromuuel Angliæ tyrannum. Tlascalæ 1654.

Anticertamen: Musarum æstimatio, & ultio Parnasi contra Palestram Sacram dictam. Tlascalæ 1655.

Honestæ lachrymæ justique triplicis status dolores, Ecclesiastici, Religiosi, & Prophani. Tlascalę 1657.

Orator Catholicus. Matriti, apud Didacum Diaz de la Carrera 1658. in quarto.

Virga vigilans, obligatio & munus ecclesiastici Principis. Matriti, ex Typographia ejusdem Didaci Diaz de la Carrera 1659. in octavo, pro ut extat in Bibliotheca Collegij Maximi Mexicani Societatis JESU. Aliam in quarto editionem Madritanam Critici Dominicani recensent.

Jesu-Christi tormenta. Compluti 1659. in quarto.

Panegyris dicta Congregationi à SS. Trinitate nuncupatæ. Angelopoli 1651. in quarto.

Regimen generale, morale, atque politicum in feris repertum & incultis animantibus, ex eorumdem naturis erutum & ingenijs. Matriti, typis Didaci Diaz de la Carrera 1658. in quarto cum figuris. Editio altera ibidem 1668. in quarto.

Atque hactenus memorata lucem aspexère Nostro agente Angelopoli; quæ subnectimus edidit redux in Hispaniam.

Secunda pars generalis Regiminis moralis & politici in avibus inventi nobilioribus. Matriti 1670. in quarto. Editio altera Madritana est Bernardi de Villa Diego 1683. in quarto, cui accessere additiones variæ & liber 19. à S. Inquisitione emmendatus, cum figuris.

Superior, seu Politica pro omni Prælatorum genere. Compluti, litteris Joannis de Valdes 1664. in quarto.

Clavis aurea æternitatis. Ibidem in quarto.

Historia admirabilis vitæ secundi Pauli, Valentiæ Apostoli S. Vincentij Ferrerij. Matriti 1682. in quarto, & post alias editiones, Valentiæ, Formis Ludovici de la Marca 1702. in quarto, & rursus Valentiæ in Typographia Archiepiscopali 1729. in quarto.

Historia admirabilis vitæ Venerabilis Matris & Inclytæ Virginis Rosæ de Santa Maria è Tertio Ordine S. Dominici. Matriti in Officina Pauli del Val 1666. in quarto. Iterum ibi, in Typographia D. Mariæ Rey 1669. in quarto. Rursus ibi Prælo Viduæ Didaci Diaz de la Carrera 1670. in quarto.

Vita Fr. Joannis de Vasconcellos Ordinis Prædicatorum. Matriti, mox dictis litteris Viduæ de la Carrera 1668.

Quæ sequuntur Author prælo parata habebat anno 1664. ut, ipso teste, Galli Critici sæpius laudati dicunt.

Pharus sacer, Orator Catholicus, cum additionibus.

Historia Darocæ addita & aucta vitis trium Ordinis S. Dominici Sanctorum ejus indigenarum.

Historia generalis Ordinis Prædicatorum ab anno 1373. ad usque 1650. Tomis 6 grandibus.

Problemata Aristotelis moralibus animadversionibus pro exercitio virtutum.

Relatis hactenus à nobis operibus, præter Panegyrim n. 9 signatam, quæ enarratores latuit Gallos, ipsi de Nostro subjungunt: *Hic scriptor inter eos sanè recensendus est, qui puriori & elegantiori Linguâ Hispanâ scripserunt, & utinam Annales Ordinis, quos post Ferdinandum de Castillo scripserat (nam à Joanne de Lopez scriptos ei saltem ratione styli ferunt non placuisse) typis ederentur, præsertim quæ dicuntur ab eo scripta de Genealogia S. Dominici ex antiqua stirpe Guzmanica.* Hactenus illi. Quibus subnectimus similia PP. Bollandianorum vota, quorum Epistola sollicitandi gratiâ Mss Nostri de hoc argumento insertam gallice in Monumentis Treboltianis de anno 1729. asserunt Authores Diarij litteratorum Hispaniæ tom. 5. pag. 202.

185 D. ANDREAS GOMEZ DE MORA, Domicilio Mexicanus, cujus Natio Patriaque incerta nobis, Doctor in jure, atque in Regio Mexiceo Senatu Fisci Regij Curator, edidit hispano sermone

Actionem contra D. Franciscum quendam Turresium Excmô. D. D. Joanni de Palafox, Pro-Regi ac Visitatori Mexiceo oblatam. Mexici tacitis & anno & Typographi nomine. In folio. Habetur tom. 26. Collectionis D. Ludovici de Mendoza pag. 402.

186 FR. ANDREAS DE HERRERA, Natione Mexicanus, cujus nos Patria fugit, Ordinis Beatissimæ V. Mariæ de Mercede, Redemptionis Captivorum Mexiceæ Provinciæ in Sacra Theologia Magister, quam ut & Philoso-

ſophiam Sodales docuit, reliquit Mss.

Curſum Philoſophicum: Qui extat in Bibliotheca Primarij Mexicei Cœnobij ejuſdem Regij & Militaris Ordinis, atque in Indice librorum, qui ibidem ſervantur, refertur ejuſdem Authoris

Tractatus theologicus de peccatis.

187 F. ANDREAS A SANCTO MICHAELE, Natione Mexicanus, Angelopoli ortus eſt Parentibus genere & virtute præclaris D. Didaco Philippo de Mora, & D. Maria de Cuellar, inſigniumque liberorum gloriâ illuſtrioribus, quorum quatuor JESU Societatem amplexati fuere; Noſter nudipedis ſe Carmelitis adjunxit; alter Præsbyter ſecularis & Juris Doctor, Canonicatum, ut dicunt, Doctoralem promeruit Valliſoleti Michoacanenſium, & poſt Dignitates inibi obtentas, Præbendam in Metropoli Mexicana; reliqui duo Matrimonio æqualibus fœminis juncti honeſtè vixere: è filiabus, duæ itidem nobilibus datæ conjugibus, altera monialibus Mexicani Monaſterij S. Laurentij addicta, mirum in modum virtutibus claruit, atque ejus vita typis commiſſa multis admirandisque ſcatet exemplis. Noſter ſub optimâ diſciplinâ primos ubi peregit annos, Latinitate inſtructus & Philoſophiâ, Theologiam in Univerſitate Mexicea audivit, cùm ab alijs, tum etiam à clariſſimis viris D. D. Joanne de Butron, Primario ſacræ Facultatis Anteceſſore, & Iſidoro de Sariñana Sacrorum Bibliorum Interprete, poſt Epiſcopo Goaxacenſi, quibus uſum fuiſſe Magiſtris gloriabatur jam ſenex, ut ab ipſo non ſemel accepimus. Nec Theologiam dumtaxat excoluit, ſed etiam Juriſprudentiam, ingenio ſcilicet comparatus ad omnia, & tempeſtivè dedito Minervæ laboribus. Laureis itaque Academicis redimitus, Deo ipſum ad ſublimen vitæ ſtatum vocanti reſpondit, nudipedum Carmelitanorum Inſtitutum profeſſus, quo in Ordine & perfectioris vitæ exemplis ita refulſit, ut Præfecturas egerit in Monaſterijs varijs etiam Mexicano, quòd Provinciæ caput eſt; & Magiſterio potitus trinam Sodalibus Theologiam è Cathedris dederit, Scholaſticam, Myſticam, & Biblicam, in quibus & in Morali quoque inſignis erat.

188 Adhæc in Hiſtoria eccleſiaſtica ſatis doctus, Criticæ peritus, & Poeſeos cultor egregius, latinis æque ac hiſpanis Muſis admodum familiaris, numineque donatus prompto juxtà & acuto: Præter Principes, & clariores inter editos Poeticæ Authores, & audierat & legerat inſignes Mexicanos, quorum, ut ſe dabat ocaſio, epigrammata recitabat, uti ſæpe colloquentes audivimus, ut ſubinde doleamus vita eum exceſiſſe priuſquam de Bibliotheca noſtra cogitaremus, quam auctiorem credimus prodi-

 tu-

turam, si viveret, multa priscorum scripta nostratum eo nobis suggerente, quæ modò nos latent. In concionando facillimus erat, pro multa qua pollebat eruditione, quam ingeniosè & ex artis præscripto adhibebat in præfixa sibi argumenta tornatasq bellè orationes. Ex tempore etiam dicebat per inde quasi præmeditatò, acciditq in Cathedrali Ecclesiâ Mexiceâ, ut casu tardante Sodali sui Ordinis Sermonem habituro coram Capitulo frequentissimâque coronâ, ipse, qui aderat inter auditores, suggestum ascenderit sacrum, tamque scitè diceret & ad rem, quam à doctissimo sperari posset non imparato. Ob hæc, gestaque religiosæ vitæ præclara Sapientibus & gravibus hominibus multò erat in pretio, ipsisque etiam Principibus, in primis autem Excellentissimo D. D. Ferdinando de Alencastre, Duci de Linares, Novæ Hispaniæ Pro-Regi, qui cum viros disquireret coleretque eximios, Nostro addictissimum sese dedit. Obijt in Angelopolitano Conventu. Scripsit librum, quem Augustini de Mora, germani fratris nomine obtectum edidit, pro ut in ejus Censura opportunè & dissertè detexit vir amplissimus D. D. Joannes Ignatius de Castorena, postmodum Episcopus Jucatanensis, in quo libro & Funebrem pompam in Metropolitano Templo Mexiceo institutam justis persolvendis Catholico Hispaniarum Regi Carolo II historicè aperit, & Poemata cùm hispana, tum latina, quæ ipse honorario Tumulo ornando composuerat, datis symbolis, & incisis laminis explicat. Titulum autem hispano sermone operi hunc fecit:

Deficiens Sol priusquam ad meridiem ascenderet. Mexici, typis Joannis Josephi de Guillena Carrascoso 1701. in quarto.

Aliam edidit narrationem historicam solennissimæ, quæ per dies octo habita est Mexici, pompæ pro Sancto Joanne à Cruce, Carmelitarum Excalceatorum Patre, Sanctorum fastis adscripto, quæ, quoniam cèpta est eximio Urbis gaudis, & gestientibus omnibus, decima quinta Januarij die, quæ quondam funestissima, indeque toto Orbe notissima fuerat à tumultuante plebe; ocasionem authori dedit opusculum sic inscribendi:

Secunda quinta decima Mexicana Jannuarij. Mexici, litteris Josephi Bernardi de Hogal 1730. in quarto.

Alter etiam ejusdem liber *Sermones* complexus *varios*, editus est ab Amico D. Joanne Garciarena de Iturieta, qui Mss secum eos in Hispaniam asportaverat sibi commodatos, voluitque restituere typis commissos, Gadibus apud H Christophori de Requena 1724. in quarto.

Alias itidem publicavit conciones, nempe ijs nominibus:

Fatigatio & quies Christi in mulieris à Samaria conversione Principi

chri-

christiaño juxtà ac politico in exemplum exhibita. Oratio habita in Regio Palatij Mexicani Sacello coram Pro-Rege & Regalibus Auditoribus, cæterisque curiæ Ministris. Mexici, Formis Michaelis de Ribera 1703. in quarto.

Gratiæ abyssus: Panegyris Sancti Francisci Asisiatis. Mexici, typis Viduæ Bernardi Calderon 1699. in quarto. Extat tom. 74. Collectionis nostræ.

Solutæ melioris manus Abneris Excmi. D. D. Ferdinandi de Alencastro Noroña & Silva, Ducis de Linares, Novæ Hispaniæ Pro-Regis. Funebris declamatio habita in ejusdem anniversaria parentatione in Conventu S. Sebastiani Carmelitarum Mexicanensi.

Adjicitur *Descriptio honorarij tumuli ibidem erecti,* quam unàque ejusdem Poematia Author ipse dispofuit. Mexici, apud Hæredes Viduæ Michaelis de Ribera 1718. in quarto. Habetur t 27 Coll. nost.

Ponderator animarum egregius S. Michael Archangelus. Mexici, in Typographia Joannis Francisci de Ortega 1721. in quarto. Extat tom. 2. Collectionis nostræ.

Eximiæ fuccus fanctitatis, S. Teresia à Jesu. Mexici, in Officina Joannis Josephi de Guillena Carrascoso 1720. in quarto. Legitur tom. eodem.

Graviora quidem, & numero plurima mansère opera Mss è quibus prætermitimus

Theologicas Disputationes, suis è Cathedra Discipulis traditas, quòd ipsarum argumenta nos fugiant, itemque pulcherrima varij generis *carmina* latio & patrio concinnata sermonibus; commendantes memoriæ

Duodecim Concionũ tomos inquarto.

Quos vidisse testamur unàque nobiscum Doctores alios, qui rusticabamur prope Cuyuacanensem Villam, in Oppido Santangelano Carmelitarum insigni, in quo degente eo tempore Nostro qui cum familialiter agebamus, visendi & colloquendi eum gratiâ non semel convenientes, litterariam scrutantes suppellectillem, in mox dictos libros incidimus, queis hinc inde curiosè lustratis, mirati sumus non tam optimos caracteres & apices, quam nullibi castigationibus & lituris notatos, cùm tamen Authographi essent, fatente nobis ingenuè Authore, numquam se usum adversarijs, aut trascriptionibus aliquando vacasse: Credimus asservari Codices in Angelopolitano Conventu ubi vivere desijt Noster. Placet adjicere è multis, quæ fudit, carminibus, visam ab amico

Vitam S. Mariæ Magdalenæ dimetris hispanicis alternis versibus assonis pulchrè conscriptam.

Et eodem idiomate

Conciones plures in obitu Mariæ Aloysiæ Hispaniarum Reginæ.

189 F. ANDREAS A SANCTO MICHAELE, Natione Hispanus, Assedoniæ natus anno 1577. Domiciliũ Mexicanos inter sibi constituit anno 1598. quo Angelo- po-

poli in Conventu nudipedum Carmelitarum Institutum amplexatus in statu Laicorum, omnium exemplis virtutum & Sodalibus & exteris profuit. His eximiam in Mathematicis peritiam disciplinis adjunxit, queis juxtà ac religiosis moribus admirandum se præstitit quoad vixit, scilicet annis 46 optimè in familiâ Beatissimæ Virginis de Mōte Carmeli transactis. Abijt ad plures Salvaterræ anno 1644. Pro ea qua erat instructus doctrinâ Architecturæ, à Superioribus destinatus fuit, ut ædificandis sacris Ædibus ibidem pro Familia sua insisteret, remque ut ex arte fieret & operas ritè moderaretur. Egregia lucubrasse opera Authores sunt nobis qui *Historiam reformati Carmelitarum Ordinis* conscripsere tom. 6. lib. 23. cap. 39. & P. Martialis à S. Joanne Baptista in Bibliothecâ Scriptorum ejusdem Ordinis nudipedum p. 17. penes quos habemus sequentia, quæ in Tabularijs servantur Angelopolitani Cœnobij.

De Architectura, in folio magno.

De modo exhauriendi subterraneos latices.

De motu Cœlorum.

De Merito Beatissimæ Virginis Mariæ mathematicè comprobato.

190 F. ANDREAS MOGUER, Natione Hispanus, inter Bæticos in Oppido à quo accepit cognomen, lucem aspexit, genitus à Parentibus minimè obscuris, à quibus christianè educatus, Salmanticam missus est studiorum causâ. Ubi Grammaticæ operam dedit in Academia, Conventum S. Stephani Dominicanorum insignem adivit, Ordinique eidem votis adscriptus, Philosophiam & Theologiam coluit egregio fructu. Quòd verò multa virtutum specimina daret, aptusque natus juvandis proximis videretur, à Superioribus in montana haud multum dissita missus, ut rusticos incolas doctrinam christianam doceret, libens & pedes cum socio, emendicato victu, eo functus est munere, ceu velitatione quadam Apostolici quod apud Americanos non multò post erat obiturus officij. Nam zelo divinæ amplificandæ gloriæ ductus, illectusque observantiâ Mexicanæ Ordinis sui Provinciæ, cujus nomen celebre jam erat Europæ, anno 1535. comitem se dedit Fratribus eam petentibus cum Patre Dominico de Betanzos. Mexici constitutus, gentisque donatus idiomate, cui addiscendo strenuam dedit operam, majorem ut posuit regulari disciplinæ ad unguem servandæ, Deoque inserviendi diligentissimè, dignum se præstitit, qui præcipua regeret Cœnobia, Deffinitorque Provinciæ fuerit electus, & demum Provincialis 8 Septembris anno 1550. Ad hæc Præsentatis, ut dicunt, adscriptus pro meritis, & à primo Novæ Hispaniæ ProRege D. Antonio de Mendoza à sacris Confessionibus allectus, &

S. Inquisitionis Censor destinatus, omnibus isthæc numeris explevit officia, Deum semper præ oculis habens, uti in ipsum omnia dirigeret.

191 Mexicano, Angelopolitano, & Goaxacensi Cœnobijs, quæ deinceps trium capita Provinciarum nobilissima fuere, tunc cùm Mexicanæ S. Jacobi subjiciebantur Prior datus, nullum non movit lapidem, ut ab ea qua florebant observantiâ & austeritate mirabili, deficerent minimè, clariora imò illustrioraq; evaderent. Canonicis diurnis juxtà nocturnisque horis persolvendis in choro aderat, semper in eam curam intentus, ut devotissimè dicerentur, cantuque ad sui Ordinis constituta accommodatissimo, libris optime ad intentum paratis, numeroque multis, qui pluteo in singulis choris dictorum mox Conventuum ornatui essent & usui. Perpetuum otio bellum indixit, se nunquam à labore feriari passus, aut suos à præscriptis operibus, quorum transgressionem, prudenter licèt, non sinebat inultam. Orationi, quam dicunt mentalem, quatuor singulis diebus horas destinatas habebat, queis cœlestia attentissimè meditabatur. Jejunium exactissimè ad Ordinis regulas, imò supra ipsas servabat, somnum breve admodum capiebat, nunquam illud non rumpens ut media nocte precibus matutinis adesset, adeò ut cùm Provincialis esset, & longè dissitos Conventus visitaret, chorum tamen media peteret nocte sacras cum socijs preces dicturus, lassitudine ex itinere molestissimo detentus neutiquam, quod pedes semper agebat, totos quinquaginta annos non usus equo vel rheda, quamvis plurima in Hispania & America, istiusque difficillima loca perambulaverit.

192 His in Deum officijs pietatis plurima in proximos adjungebat, frequentissimis concionibus ad populum habitis, auditisque confessionibus, sive Hispanorum, sive Indorum, quos inter libentius versabatur, & quibus multo tempore sacra jussu Superiorum administravit. Diligebat ipsos tenerrimè, & non modò christianis imbuendos disciplinis suscipiebat, sed comitem se dabat & ducem in via perfectionis, per quam eorum multos deduxit. Injurias facilè eis illatas à potentibus, nitebatur propulsare, Sodalesque ad similia miseris ferendum subsidia scriptis hortabatur & voce. Qua erat apud omnes, in primis autem apud Pro-Regem existimatione, pro Dei gloria in hominum salute utebatur, quamvis id non nullorum invidiam moverit, qui insidias ei propterea perstruxerint, ut & bono detraherent nomini, & gratia ipsum Principis, imò & ipsius Dei spoliarent. Quòd enim Authore Andrea Pro-Regem à se postula-

tis obstitisse intelligerent, qui iniqua ausi petere fuerant, conjunctæ ipsis sanguine fœminæ, nobili insimul & impudentissimæ persuaserunt, illius ruinam ut moliretur. Simulavit ægram se expiari sacrâ confessione velle, quam ut exciperet vocavit Andream, quem accedentem, & sine testibus, quòd & Socius & domestici recesissent, è lecto, in quo decumbebat, fucatissimis advenerem provocavit illecebris. Exhorruit quidem ille his auditis, qui eximiè semper castitatem coluerat, multisque facinus detestatus, ut ipsam delicti pœniteret conatus est; at ut insistere vafferrimam vidit, admirandum in modum elusit hanc, per inde quasi lipsanothecam Socio traditurus, ne Dei in se iram excitaret, si minus religiosè sacra haberet, egrediensque è cubiculo, è domo etiam aufugit, Deo, qui victoriam concesserat, grates referens multas, adversarijs ipsis mirantibus, remque, ut fit, amicis secretò dicentibus, ut sub inde paulatim ad plurimos notitia devenerit, Nosterque longè illustrior evaserit.

193 Porrò tot inter virtutes charitas hominis eminebat, qua Angelopolim ductus, Indis Cœnobio suo concreditis, seu Parochiæ, in ultima licèt constitutus ætate, diligentissimè ministrabat. Vertebatur annus 1576. à sævissimâ peste Indos devastante infaustus, nigroque signatus lapillo, atque conjunctâ languori eximiâ quidem ægrotantium fame, nec minori rerum inopiâ, mirum fuit quanta pro eorum auxilio ille egerit. Paupertatis amator bonis orbatus reliquis, libros tantùm Superiorum licentia pro suo & statu & usu ut habebat, omnibus valedixit, venditisque, pretium in alendos miseros posuit. Mane casas eorum & mappalia circumire incipiebat, totumque ad noctem usque, hinc inde discurrendo, diem jejunus transibat, paratos eisdem cibos operâ suâ, distribuens, confessiones excipiens, ægros sacrâ inungens unctione, cæterisque misericordiæ operibus curans. Cum verò Angelopoli lues cesasset, & in Mexicanis confinijs latius serpsisset, Azcapuzalcum petijt, similibus ægros officijs curaturus, tanto quidem labore, ut morbum ipse alium contraxerit, tam illum gravem, ut qui nescius fuerat cedere multis, huic demum cesserit, & permiserit in Conventum deferri Mexicanum, in quo sacris munitus omnibus, diem clausit extremum, suis & Urbi mœstitiam, posteris autem nomen æternâ dignum laude relinquens, & digna cedro opera scripta, quorum aliqua Dominicanorum Bibliotheca novissima PP. Echard, & Quetif tom. 2. ad annum 1576. pag. 236. recenset ex Nostro Davila Padilla Andreæ acta lato calamo conscribente in Historiâ Provinciæ Mexicanæ à cap.

83.

83. pag. 262. & ſequentibus. Sunt autem illa hiſpano ſermone.

Hiſtoria S. Dominici Provinciæ Mexicanæ.

Sermones de Tempore & de Sanctis duobus tomis.

Liber Exemplorum.

Præter hæc aſſervantur alia in Bibliotheca primarij Conventus Goaxacenſis Ordinis Prædicatorum, quæ ab ejuſdem accepimus PP. ſubnectimusque, majore etiã luce donatis quæ mox dedimus, opera.

Scilicet *tomus unus in quarto ejuſdem Authoris manu notisque brevitatis cauſà multis conſcriptus 400 folijs conſtans, in quibus tercentum Sermones breves de Adventu, Quadrageſima, Myſterijs & Sanctis: item que 34. Exhortationes diverſi argumenti inveniuntur.*

Tomus alter etiam in quarto folijs ad calcem mutilus pluribus, *Lectiones complectitur breves, veluti ſuccum operum S. Gregorij Magni in Ezechielem, Jobum, atque in Libros Regum, item Epiſtolarum è duobus primis libris ejuſdem Gregorij.* Folia hic tomus habet ſupra tercenta ſeptuaginta novem minutiſſimi caracteris. Ex his quæ Author ipſe in Procemio mox dicti tomi ſcribit, habemus ab ipſo alia itidem lucubrata, nempe

Decem aut undecim Codices. Pro Novitiorum eruditione duos, quorum unum inquit ſtare Mexici, Angelopoli alterum, propriâ conſcriptum manu. Accedit *alter Epiſtolarum ad Superiores Provinciæ ſuæ, aliqua antiqua afferens monumenta pro juvandis in omnibus miſeris Indis.* Poſt hæc adjicit *Lectiones* quas diximus *Gregorianas*; & folio 303. notat illuc uſq̃ ſcriptis finem impoſuiſſe 15 Maji 1567. Tandem annectit *Epiſtolas ad viros deſtinatas egregios*, uſque ad folium 379. eruditione gravitateque divites.

Meminerunt Andreæ, præter citatos, Antonius de Leon Pinelo in Bibliotheca ſua addita tom. 2. col. 715. Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Hiſpaniæ Novâ, Torquemada in Monarchia Indica tom. 3. lib. 15. cap. 17. p. nobis 41.

194 D. ANDREAS MORENO BALA, Natione Mexicanus, nobilibus Mexici Parentibus genitus, atque honeſtè educatus, latinis inſtructus litteris, & in Collegio Maximo Societatis JESU Mexiceo Philoſophicis, laureâque Academicâ in Univerſitate redimitus, Juriſprudentiæ profeſſoribus ſe adſcripſit, & Scholæ curſus ac tentamina exegit multa inde donatus eruditione, laude que conſpicuus, ut ſubinde & in Foro Mexicanenſi Cauſarum Patronus renunciatus fuerit, & in Academico Doctor in Jure Canonico conſtitutus, & in Eccleſiaſtico Archiepiſcopatus pro ejuſdem Fiſco tuendo Promotor dictus. Hoc egregiè functum munere fuiſſe argumento eſt, in tanta candidatorum multitudine, Sedeque Mexicanâ, & plenâ V. D. D. Franciſco de Aguiar & Seixas

xas ipſam tenente, & eo mortuo vacante, & iterum, ſuffecto D. D. Joanne de Ortega Montañez, plenâ; ab officio remotum minimè, atque Superioribus dictis & Reipublicæ perplacuiſſe. Certè manſuetudini inſitæ ſibi zelum ita junxerat & prudentiam, ut intricata quæque facili negotio componeret, gratus ſubinde non modò eccleſiaſtis Principibus, ſed etiam Pro-Regibus, qui eorum etiam operâ uti amabant. In Jucatanenſem Provinciam à Metropolitano delegatus, ut cauſas inibi pendentes admodum arduas in gradu, ut forenſes dicunt, *Appellationis* abſolveret, itinere terrâ marique peracto, illas omnium plauſu expedivit, reverſusque ad propria, iterum Angelopolim miſſus Sedis Apoſtolicæ Delegatus in negotio inſignis S. Ludovici PP. Dominicanorum Collegij, muneri ſatis fecit citra offenſionem: nec aliter & Mexici & extra commiſſa ſibi alia munera explevit. Dein, quòd & in Univerſitate pro Cathedris petendis egerit candidatum, & in Eccleſiâ Mexicanâ pro Canonicatibus & Parochijs, regendisque animabus à litteris & exemplis viſus fuerit aptiſſimus, Curio deſignatus eſt ditioni de Tenango, quam plures annos Paſtoris diligenter obitis munijs adminiſtravit, quo uſque ibidem è vivis deceſſit. Scripſit quidem multas & doctas pro ſuo munere juris Allegationes, è quibus typis datam invenimus.

Defenſionem pro Joſepho de Lombeida in folio, tacitis anno & Typographo, ut in his fieri tunc uſque ſolebat.

195 FR. ANDREAS DE OLMOS, Natione Hiſpanus, propè Occaniam inter Burgenſes pijs & honeſtis Parentibus natus, primis tranſactis annis intra eorumdem lares, adultior factus, Olmos dictum locum prope Valliſoletum, unde ipſi cognomen inditum, in Sororis conjugatæ domum tranſivit, atque ſtudijs ſe dedit Juriſprudentiæ ad annum uſque ætatis vigeſimum, quo valedicere Mundo ſecum conſtituit, Deoque famulari in Ordine Minorum. Itaque Franciſcanis adſcriptus in Conventu Pinciano Provinciæ Conceptionis, virtutem, quam ſemper coluerat, impenſius excoluit, ipſi devotus & ſacris litteris addiſcendis. Cœnobio per id tempus del Abrojo nuncupato præerat P. Joannes de Zumarraga, vir litteris & religioſis exemplis oppidò clarus & inſignis, deſtinatusque à Quæſitoribus Fidei, Carolo V. Cęſare unàque Catholico Rege inſinuante, pro veneficis ſagisque à Cantabriæ finibus propulſandis, ſocium ſibi Noſtrum in id negotij delegit; cùmque mox ab eodem nominatus Carolo fuerit Epiſcopus pro Mexicanenſibus nuper detectis ac ſubjugatis, ſodalem itidem ipſe Andream ſibi voluit in eas regiones, qui trahendis in caulam Domini innume-

meris ovibus eterno præparatus fuerat consilio.

196. Ex quò, anno 1528. Noster Mexicum petijt, virum acturus Apostolis quam simillimú, se ad labores exantlandos durissimos comparavit, & quòd vix Evangelij semen jaci in vastissimis Regnis cœperat, asperiora que & longissimè dissita, nullo prædicationis lumine essent donata, ea sibi peragranda imperterritus sumpsit. Prius autem quam operi se accingeret, Linguis potioribus latiusque in Provincias effussis instrui decrevit, & certè, Deo ejus annuente votis, quinque non minus exactissimè calluit, quas Torquemada censet, scilicet, *Mexicanam, Totonacam, Tepehuanam, & Guaxtecam* (quamvis Betancurtius præterierit tertiam) adeò ut libros infra indicandos tribus usus conscripserit. Interea verò atque hæc sibi parabat subsidia, multis se in Proximorum bonum addixit laboribus, quos inter meritò computandus Lectoris, quod gessit munus, Latinitatis in Collegio Imperiali de Tlatelolco à *S*ancta Cruce nominato, pro Indis erudiendis, magno quidem fructu, constructo. His præmunitus armis, in primisque eximio amplificandæ gloriæ Dei zelo, & Indorum salutis promovendæ, mirum est quot terras, pedes semper, inambulaverit, inaccesa mótana subierit, valles amplissimas fuerit emensus, fluvios tranaverit, antra transilierit & inhospita tescua. Ad hæc, non carnem aut triticeum panem, non vinum & nobiles cibos, aut deferebat secum, aut mendicabat, cùm ea quidem tempestate, & etiamnum in remotissimis illis vijs & locis lautitias cogitare quidem possis, invenire etiá decumano pretio non possis. Insuper, climata in his sæpe varia offendebat, Sole valdè propinquo adusta, animalculis plena molestissimis, multisque alijs refferta incommodis. Nullum tamen gravius aut periculosius gente illa, *Chichimecas* vocant, penitus barbarâ, Thraciæ, & quavis aliâ feroci meritò comparanda. Quanquam enim infamibus hisce notis inurendæ minimè sint Mexicani, Tlascalenses, Michoacanenses, & multorum aliorum Indi Regnorum, qui superstitioni licèt deditissimi, ut Romani quondam & Nationes multæ aliæ, humanasque simulacris suis hostias mactaverint, ceterà instructi erant artibus, & moribus donati politicis; haud ita remotissimi homines illi, istis etiam infensi, qui veluti à furijs aut bestijs oriundi nulla contineri casa, nullis claudi penatibus, nullo nisi ferino depasci cibo amant, arcu perpetuò & sagittis armati, ut exterum quemque configant.

197 Noster tamen hæc veritus neutiquam, regiones adivit, ceu belluarum latibula, circum oras maritimas, Panucum, Tampi-

picum, & Floridæ confinia, plusquam quadringentas leucas à Mexico distantia: cicurare Barbaros omnibus curavit officijs, ipsosque & humanitatem docere & Evangelium, Dei protectus favore, quo sine brevi de ipso actum fuisset. Multoties sagittis in eum jaculatis, in sagittarios recidentibus, eorum ipse bono servatus, Christo illos dein lucrifecit. Ignita quandoque in ædiculam à se è palea constructam pro sacris agendis, malo dæmone instigante, jacula Indi missère, ut flammas fugientem confoderent; quin propterea aut domuncula conflagraret, aut ipse mali quid pateretur: queis obstupentes se illi dedère, audiendæque, quam prædicabat, Fidei. Certè ex illis multos, & ex alijs plurimos Jesu-Christo filios genuit per Evangelium, quos pascere modis omnibus satagebat: in quem finem septem varijs atque inter se dissitis in terris Conventus, ut ut res ferebant, construxit. Tanta certè Barbaros admiratio viso eo auditoque, & quæ diximus portenta, ceperat, ut è longinquis montibus & silvis quadraginta circum leucis venientes, monita salutis exciperent & sacrum lavacrum, magno habentes in honore Dei servum, adeò ut, eo vitâ jam functo, Religiosum quemque Franciscanum videntes, se illi, positis sagittis, submitterent, interea dicentes, Andreas, perinde quasi hujus ipsos nomen recrearet, cogeretque mansuescere. In Rempublicam coactis doctisque cum pietate humanitatem, gratior erat in dies, christiana inculcans, Sacramenta ministrans, & omnibus omnia factus.

198 Mexicum deductum ut Provincialibus adesset Comitijs, tenère eum in Urbe Fratres cogitabant, miserti hominis ægra valetudine afflicti ob assiduos labores & climatum intemperies, queis tamen ipse obstitit, solenne sibi & frequenter repetitum intonans apothegma: *Progrediamur cum Cruce.* Interea peragi curavit in frequentissimâ hominum multitudine confluentium ad Primariam Mexicanorum Parochiam à S. Josepho nuncupatam, coram Pro-Rege D. D. Antonio de Mendoza, & Episcopo D. D. Fr. Joanne de Zumarraga Comædiam sacram, quæ postremi Judicij diem graphicè à Prophetis & PP. delineatam ob oculos poneret, eximio quidem adstantium fructu, qui salutari perciti horrore, abstinere à vitijs, & virtutem sectari sibi metipsis facilè persuassère. Nec diu ipsi subsistere Mexici licuit asperrima cogitanti aquilonis loca *Chichimecarum*, imò verò statim ea petenti, quòd infausti venientes inde nuntij firmarent, illos rebellasse in Hispanos, resque propterea omnes præsentissimo esse in discrimine. Nil cunctatus Andreas, infirmitatibus præpeditus iter arripuit, quo usque Indos transfugas & in montibus obfirmatos convenit,

nit, & ferventiſſimâ monitos oratione reduxit, atque ad priſtinam cum Hiſpanis amicitiam attraxit. Nempe, Deo ipſi opitulante, ardua quæque vincebat, egregijs virtutum exercitijs ſemper intentus, & cœleſtibus donis cumulatus. Nam multis fuiſſe ornatum eximijs, inconfeſſo fuit omnibus acta viri noſcentibus.

199 Præter linguarum peritiam, ſapientiam, & ſcientiam, prophetico quædam lumine vidit atque prædixit, ſcilicet, nepoti cuidam ſuo eventura perinde narravit & flevit coram Socio, ut deinceps viſa ſunt contigiſſe; & ægroti confeſſionem excipiens, ſe quoque poſt horam eum morientem ſequuturum edixit, vaticinio ſtatim impleto. Atque, ut alia prætereamus, bono collocare in lumine oportet illud, quod cùm eſſet in Tampico, mortem ſuam coram multis palàm denuntians, repente lux globi inſtar igniti circum ipſum ambivit. Ubi verò extremum ſibi diem inſtare cognovit, vomica ipſum jam diu malè torquente, convocatis familiaribus domus, inqua degebat hoſpitio acceptus, gratitudinis ergo ſuppellectilem omnem ſuam illis diviſit, coronam piacularem, grana quædam benedicta, flagella & cilicium, quibus macerari conſueverat, pronuntiansque Symbolum Fidei, animam Deo reddidit 8. Augusti, ſi Martyrologio ſtandum Franciſcano; ſi Torquemadam verò ſequamur, 8. Octobris anno 1571. quadraginta tribus in Apoſtolico munere ſanctiſſimè collocatis. Illico vultus ejus ſplenduit, adſtantesque miro recreati odore fuère, qui nuper putidum vix ferre apoſthema potuerant: audita fuit cœleſtis harmonia, quæ multos per annos die obitus Servi Dei recurrente percipi ſolita, multos in ſepulchrum ejus, devotionis, alios curioſitatis gratiâ trahebat.

200 Fuerant non nulli qui viventi Andreæ detrahentes, Dei in ipſos provocaverant iram, quorum unus, eo defuncto, facti pœnitens in cadaverem provolutus, ejus pedes deoſculabatur, lachrymisque & ſuſpirijs veniam petebat, Sanctum plenis buccis eppellans hominem, & inſuper palinodiam recantans, publico inſtrumento exarato; qui tamen pro Dei in ipſum miſericordiâ penas in hac vita luiturus, paſſus eſt cancrum, labia, quibus in Dei ſervum fuerat abuſus, corrodentem & vultum, quo purgatus morbo, ad ſimiles deſtinata Mexici Domo, obijt. Alter verò, qui Andreæ nomini propterea obtrectaverat, quòd ejus ferre monita ſalutaria nolebat, atque in malo perſtitit obſtinatus, ad extremum deveniens, expiari ſacra confeſſione non potuit, etiá præſentibus Sacerdotibus, peſſimâ peccatorum morte poſt luem contagioſam mulctatus. Alia legenda dimittimus volenti Lectori

ri apud Torquemadam in Monarchia Indica tom. 3. lib. 20. à cap. 40. pag. 472. & Betancurtium in Menologio pag. 83. die 8. Augusti, qui scripta ejus sequentia referunt.

Artem Linguæ Mexicanæ,

Quam admodum singularem & eruditam nuncupat Torquemada, seque ea usum pro idiomate funditus addiscendo & Religiosis tradendo.

Dictionarium Linguæ Mexicanæ.

Judicium extremum Linguâ propositum Mexicanâ, seu sacra ejus argumenti comœdia.

Documenta à Mexicanensibus Dominis suis filijs exhibita.

Quem forte Tractatum indicare voluit Nicolaus Antonius Nostro adjudicans *Problemata quædam doctissima* eâdem Mexicanâ Linguâ.

Librum de septem sermonibus eodem idiomate.

Tractatum de septem peccatis capitalibus & ex eis natis, eodem idiomate.

Tractatum de Sacrilegijs, eodem sermone.

Scimus eorum aliqua à Nicocolao Antonio aliter tradita, cui tamen reffragamur authoritate Torquemadæ præ manibus omnia habentis, atque pro dignitate expendentis. Præterea Noster composuit

Artem pro addiscendâ Linguâ Guaxtecâ.

Dictionarium Linguæ Guaxtecæ.

Doctrinam Christianam eâdem Linguâ.

Methodum pro Confessione sacrâ eodem idiomate.

Sermones varios, Linguâ itidem Guaxtecanâ.

Artem adipiscendi Linguam Totonacam.

Dictionarium ejusdem Linguæ.

His operibus Americanis Linguis compositis, adjunxit hispano alia sermone,

Librum de Hæresibus à P. Fr. Alonso de Castro conscriptum latinè, hispanis translatum carminibus, multo, ut Torquamada loquitur, artificio, eruditione, doctrinâ & curiositate.

Duas insignium Rabbinorum Epistolas (quarum una inserta habetur inter Theologica S. Antonini de Florencia) *hispanè conversas.*

Præterea conscripsisse Opuscula alia quorum argumenta non explicant, testantur Torquemada & Betancurtius, quibus Opusculis meritò addendum venit ab Antonio de Leon Pinelo in Bibliotheca sua Occidentali col. 711. Editionis Madritanæ novissimæ relatus

Tractatus de Antiquitatibus Novæ Hispaniæ.

Meminerunt Nostri, præter jam dictos, Uvadingus, Arcturus in Martyrologio Franciscano, Fernandez Dominicanus in Historia Ecclesiæ nostri temporis lib. 1. cap. 17. pag. 65. Avarea in Orbe terrarum Scriptorum cala-

lamo delineato, verbo *Mexicus*; Franciſcus Gonzaga, Antonius Daza in Hiſtoria Ordinis Minorum, & ejuſdem Ordinis Bibliotheca tom. 1. pag. 68. & tom. 3. in Apendice, ubi hæc habet: *In Eccleſiæ Toletanæ Bibliothecâ, pluteo 17. n. 7. extat hujus Andreæ Ars, & Vocabularium Mexicanum Mss. ac editum Mexici anno 1555. in quarto, vidi.* Addimus, & nos vidiſſe in Bibliothecâ Conventus Franciſcanorum de Tlanepantla Authographum hujus Artis Mexicanenſis Linguæ in quarto, & ad calcem *Colloquia Mexicani parentis filium ſuum ut virtutem ſectetur hortantis*: Collophonis loco hæc hiſpano ſermone leguntur: *Eſta Arte fue echa en el Moneſterio de Sant Andres de Uvitalpaln, à gloria de Nueſtro Señor Jeſu Chriſto año de ſu nacimiento 1547.* Nempe: *Ars iſta facta fuit in Monaſterio Santandræano de Uvitalpalm ad gloriam Jeſu Chriſti Domini noſtri anno ab ejus nativitate 1547.* Forte is quem vidimus liber ipſe eſt, quem penes ſe habuiſſe teſtatur Betancurtius, qui de Guaxtecanâ Linguâ conſcriptis aſſeverat ſtare in Oppido Ozoloama dicto, apud Tampicum, Bibliopegi conſutos operâ, ut à teſtibus oculatis acceperat. Ita ille in de illuſtribus Provinciæ ſuæ Scriptoribus pag. 138. num. 9.

201 D. Andreas de Ortega Valdivia, Mexicanus ſaltem Domicilio (quoniam Natio ejus & Patria nos præterit) floruit apud Michoacanenſes, Doctoris gradu inſignitus, & in Eccleſia Valliſoletana dignitate Cãtoris ornatus, S. Inquiſitionis Commiſſarius, & pro Cruciatæ expeditione ſubdelegatus, dignus majoris premij, ut inquit Ægydius Gonzalez Davila in Theatro illius Eccleſiæ pag. 135. Ipſo referente, compoſuit vernaculo ſermone

Deſcriptionem actorum Illmi. D. D. Fr. Marci Ramirez de Prado Epiſcopi Michoacanenſis, & illuſtrium ejuſdem Eccleſiæ Virorum.

202 P. Andres Perez de Ribas, Natione Hiſpanus, Cordubæ natus anno 1576. poſtquam Sacerdotio initiatus fuerat, Inſtitutum JESU Societatis amplexatus anno 1602. ut ſcribit P. Ribadeneira in Bibliotheca ſua, non dum abſoluto tyrocinio in oras appulit Mexicanas, Provinciam Familiæ ſuæ in Nova Hiſpania florentiſſimæ petens, ut Sodales in ſalutis Indorum negotio juvaret. Et ſanè ſua Deus vota ex animo edita cumulavit, quòd in longinquas dimiſſus Orbis novi Nationes, à Mexicanis multis diſſitas paraſangijs, 16. annos in barbaris edocendis Fidem & Pietatem chriſtianam poſuerit. Dein Præfecturas egit, ſubditis acceptiſſimus, tum Collegij Maximi Mexicani, tum Domus Profeſſæ, tum etiam univerſæ Provinciæ, à qua Romam Procuratoris titulo fuit delegatus. Coaluit eo tempore Congregatio Generalis octava So-

cietatis, cui ipse interfuit cum Jure suffragij. Mexicum repetens iterum Professorum Domui Præpositus, pristinos redorsus labores pro Dei gloria & animarum lucris, ad mortem usque illis incubuit, quam propè octogenarius oppetijt die 26. Martij 1655. Edidit hispano sermone

Epistolam de morte & virtutibus P. Joannis de Ledesma, qui obijt Mexici anno 1636. Mexici anno eodem in quarto.

Historiam de Triumphis S. Fidei inter gentes barbaras Mexicani orbis per Missiones PP. Societatis Jesu. Item Supertitionum, Portuum, Climatum, & variorum quæ ibi evenère. Matriti, apud Alphonsum de Paredes 1645. in folio.

His à Bibliothecâ Societatis adductis, itemque à D. Nicolao Antonio in Bibliothecâ Hispanâ (qui duos ex Nostro uno facit Andreas) subjungimus Mss quæ ipsos in tanta distantia latuerunt.

Historia Societatis Jesu in Provincia Novæ Hispaniæ.

Hanc citat P. Florencia cùm in Historia à se composita & edita ejusdem Provinciæ pag. 138. n. 144. tum in *Origine de insignibus novæ Galleciæ Sanctuarijs*, signatim pag. 5.

Æstimatio æternæ Beatorum gloriæ, ad quam Deus hominem destinavit, quam que ipsi cruoris sui pretiosi effussione emit. Extat idiomate hispano in quarto in Bibliothecâ Collegij Maximi Mexicani SS. AA, Petri & Pauli.

Meminit etiam Nostri Ægydius Gonzalez Davila in Theatro Ecclesiæ Novæ Cantabriæ p. 243. Itemque Antonius de Leon Pinelo in Bibliotheca Occidentali addita, qui &si cognomen de Ribas prætereat, opinamur, Nostrum & non alium indicare, dum col. 151. P. Andream Perez recenset Authorem duplicis alterius opusculi, hispanicè editi in folio, scilicet,

Responsi ad Proposita V. D. D. Joannis de Palafox, de redditibus Collegiorum Mexici & Angelopoli stantium Societatis Jesu.

Columna vero 868 Mss. A qui in Bibliotheca Barciana asservatur Mantuæ Carpentanorum, etiam hispanicè

Responsorum ad varia de rebus Indiarum quæsita sibi facta à Joanne Diaz de la Calle, cum aliquibus monitis.

Nam Chronologiâ inspectâ temporum, quibus & Noster in Europam profectus est, & Joannes Diaz de la Calle sua elucubrabat Indica Monumenta, & negotium vertebatur reddituum Collegiorum Societatis JESU, rectâ trajectione isthæc à Nostro opella fuisse scripta conficitur.

Demum P. Joseph Cassani in de Glorijs secundi Societatis Jesu seculi, seu de Illustribns ejusdem viris tom. 2. qui ordine ad Eusebianos 8 est, in vita P. Thomæ Basilij, Nostri memoriam habet pp. 452. 453.

203 ILLMUS. D. D. F. ANDREAS

DREAS QUILES GALINDO, Natione Mexicanus, in Provincia de Zelaya, Diœcesis Michoacanensis nobilissimis genitoribus ortus, pro imbibendis litteris in Mexiceâ Universitate ejusque Collegijs, violaceâ apud Regium & Antiquius S. Ildefonsi trabeâ insignitus, inde Gymnasia Maximi SS. AA. Petri & Pauli Societatis JESU, Academiæque nostræ frequentavit, à queis Latinitate doctus atque Rhetoricâ, Philosophiam postquam & Theologiam excoluit, laureas retulit minervales haud pœnitendis eruditionis fructibus. In Patriam reversus, Seraphici Ordinis alumnis adscribi discupiens, voti compos efectus est in Provinciâ Michoacanensi, quæ à SS. AA. Petro & Paulo cognominatur. Ubi religiosa nuncupaverat vota, ita moribus & doctrinâ probari Superioribus & Sodalibus perrexit, ut opportuno jussus tempore fuerit Palæstram inire, instituereque & Philosophicis & Theosophicis disciplinis tyrones, Cathedris utriusque Facultatis præpositus, quas totis annis 15. strenuè moderatus est, atque inde honestissimâ donatus missione, Emeriti Lectoris privilegia retulit & honores. Alijs in Familia clarus muneribus, & apud Mexiceum Fidei Consistorium à Censuris Theologicis destinatus, in Europam Pro-Minister Provincialis à Michoacanensi mox dicta dimittitur, curæque suæ & in agendis rebus peritiæ negotia mandantur, ceu Indicatum Provinciarum Generali Procuratori; quibus industriè & sapienter tractatis, nomen sibi comparavit egregium. A Catholico Hispaniarum Rege Consiliarios inter adscriptos suos, unàque Pontifex Nicaraguensis Ecclesiæ Americæ nostræ electus, hanc itidem aggressus Provinciam strenuè, pastorali se officio mancipavit. Porrò vastissima loci distantia, infrequensque commercium, ejus in Episcopatu actorum nos destituit notitia, quæ subinde, inviti licèt, necesse est prætereamus. Edidit hispano sermone

Apologiam pro conservatione Apostolici Collegij Urbis Queretarensis. Matriti, in folio anno 1714. cujus meminit Bibliotheca Franciscana tom. 3. inter Appendices littera A.

Eadem linguâ publicavit

Absolutam Descriptionem Provinciarum, Climatum, Montium, Fluviorum, Portuum, ac Littorum Novæ Hispaniæ Excmô. Comiti de Frigiliana Regij Indiarum Consilij Præsidi nuncupatam. Anno 1707. in quarto. Quam & si dicta Bibliotheca tacito loco & anno editionis prodijse in lucem dixerit; Pinelus tamen in Bibliotheca Occidentali col. 772. annum 1707. designat.

His addimus

Supplicem libellum ab Authore Regio Consilio oblatum de earum negotio Parochiarum Jucatanensium, quas Ordinis Sodales Franciscani te-

nent ac regunt. In folio, tacitis loco editionis & anno, habeturque in Bibliotheca D. Ludovici de Mendoza inter Opuscula non dum compaginata.

Ineditis *Philosophicis, Theologicis, & Oratorijs* elucubrationibus cēsendis prohibemur, quòd ipsarum tituli latent nos.

204 D. ANDREAS SAENS DE LA PEÑA, Natione Canariensis, apud Fortunatas Insulas natus, in Americam Mexicanam profectus, Collegio Majori Divæ Mariæ & omnium Sanctorum Mexici adscriptus, atque ejusdem Rector, Doctoris pileum in Universitate nostra promeritus, Domicilium sibi constituit Angelopoli, regente Ecclesiam illam V. D. D. Joanne de Palafox, cui à secretis fuit: Parochiam celeberrimæ ac fidelissimæ Urbis Tlascalensium administravit, Pastoris curas in commissas sibi oves sedulò exercens, unde inter Canonicos ascitus Angelopolitanos Dignitate Archidiaconatus effulsit. Munere cùm vacaret Curionis, Præsulis sui ac Domini D. Joannis de Palafox mandato composuit, atque publici Juris & usus fecit

Manuale SS. Sacramentorum juxtà Pauli V. Rituale formatum. Mexici, ex Typographia Francisci Robledo 1642. in quarto.

Archidiaconus autem majoris operæ librum à se conscriptum suo justis de causis tacito nomine typis commissit hispanis, nomine Didaci de Lemus Parochi Villæ de Pedraza apud Segovienses, scilicet

Vitam V. M. Mariæ de Jesu Angelopolitanæ, in Monasterio Purissimæ Conceptionis professæ. Anno 1683. in quarto, pro ut tradit Antonius de Leon in Bibliotheca Occidentali addita col. 846. quamvis nulla Nostri mentione factâ, cujus divinare latens nomen haud poterat.

205 F. ANDREAS DE TORDEHUMOS RIBERO, Natione Mexicanus & Patria, S. Augustini in Provincia SS. Nominis JESU Novæ Hispaniæ clarissima Institutum sectatus, Magistrum audivit in theologicis, juridicis, & multis alijs eruditissimum Fr. Alphonsum à Vera-Cruce, Universitatis Mexiceæ Theologiæ Professorem Primarium, à quo optimè institutus, egregius ipse Theologus evasit, Juris haud imperitus, latinèque non mediocriter elegans, & propterea viris gravissimis meritò acceptus, ut ex Epistolis ad ipsos datis, & ab eisdem acceptis cernere est in libro, quem statim indicamus à se conscripto, videlicet

Apologia Theologica de interioribus animæ actibus & libertate voluntatis humanæ, applicationeque Sacrificij Altaris. Accedit Dissertatio luculenter juxtà Sacri Tridentini Concilij sanctionem agitata, de contrito & non confesso, habitâ copiâ Confessoris idonei, Sacramentum Altaris sumente.

Approbatus à Mexicanis Acade-

demiæ & alijs Antecessoribus Liber editus est hispanis typis Metinæ anno 1581.

Authorem & Opus in sua Nicolaus Antonius Hispaniæ Bibliothecâ novâ recenset pag. 70.

206 P. ANDREAS DE VALENTIA, Natione Mexicanus, apud Michoacanenses in loco Argentifodinis insigni Guanajuato illustribus genere parentibus ortus, anno ætatis suæ 19. & salutis nostræ 1597. Societati JESU sese junxit, unus futurus ex illustrioribus doctrinâ & virtute viris, quibus Novæ Hispaniæ Provincia scatet. Postquam Philosophiam tradiderat, aliasque Theologiæ Cathedras moderatus fuerat pro egregiâ in Scholasticis, Moralibus, & Positivis rebus eruditione, successor datus fuit in Primariâ Collegij Maximi Cathedrâ clarissimo P. Joanni de Ledesma, Mexicanensi. Ejusdem in Moralibus Responsa sæpius petita, magni à doctis sunt habita, & prætermisso ejus nomine, ab alijs in publicum data, ut legimus in Bibliotheca Societatis JESU à P. Sotuelo aucta pag. 60. Consulebatur frequentissimè à Pro-Regibus, Archiepiscopis, Cathedralium Capitulis, & Ordinibus religiosis, tantique ejus opinio fiebat, ut nonnumquam Pro-Rex quidam ab ea quam conceperat sententia commodisque suis non parvi momenti propterea recesserit, quòd oppositam à Nostro probari rescijsset. Ad hæc virtutum ornamentis efulsit, præsertim demisissimæ humilitatis, paupertatis egregiæ, obedientiæ eximiæ, & castitatis admodum claræ. In extremâ constitutum infirmitate insignis moribus fœmina Dei nomine docuit, miraculo hactenus inter vivos servatum ut Novæ Hispaniæ consilio esset, brevique decessurum, qua propter se ad extremam horam pararet. Supremo ipse Numini addictus ex animo, ejus se voluntati commisit, & egregiâ animi quiete ad mortem aptavit, quam pijssime aspexit Rectorem agens Angelopolitani Collegij à Spiritusancto nuncupati die 11 Januarij 1644 ut legere est in Menologio à P. Oviedo edito anno 1747 à quo memorata discrepat Bibliotheca Societatis JESU, emortualem Nostri diem 12. Januarij, annum verò 1645. assignans. Edidit hispano sermone, quæ Bibliotheca ipsa recenset opera, scilicet,

Vitam P. Joannis de Ledesma Societatis Jesu.

Vitam P. Alphonsi Guerrero ejusdem Societatis.

His addimus sequentia:

Pro Apostolico ac Regio S. Cruciatæ Tribunali Mexiceo, è quo, ceterâ contentione remotâ, ad Supremum ejusdem Hispaniarum Consilium unicè liceat in disceptatione qualibet tendere & provocare. Extat tacitis, ut usus ætatis ferebat, nomine Typographi & loco editionis, excussum opus anno 1636. in folio, tom. 2. cui titulus, *Con-*

tentiones de Jurisdictione & Auxilio, Collectionis Mendozianæ.

Graviora, quæ elucubravit opera, injuria licèt temporis non compareant, prætermitti tamen omnia haud debent, cùm exploratum sit scripsisse etiam, ut solenne est cunctis in hac Provincia Artium Professoribus,

Cursum integrum Philosophiæ, Summulas, Logicam, Physicam, Metaphysicam, Animasticam, de Ortu & Interitu Cœloque libros complexum.

E Theosophicis, quos dictavit, Tractatibus habemus inter cymelia nostra egregium Mss constans dispp. 24

De Incarnatione Verbi Divini.

Alios libenter indicaremus, quos inviti prętermittimus, quòd eorum nos præterierint nomina & fugerint.

207 Fr. Andreas del Valle, Natione Hispanus, Vallisoleti natus, in Portu Brigantino Dominicanorum habitu assumpto, atque solenni emissâ professione, in Americam demum translatus, ferventius inserviendi Deo in lucrandis animabus Indorum zelo, Provinciam instituti sui de Chiapa & Goatemala maximè illustravit egregiâ sanctitatis opinione, quam religiosissimæ vitæ exemplis meruerat, & post se reliquit. Scripsit hispana lingua

Sermonum tomos 3.

In Bullam Adriani VI. Indiarum Provincialibus religiosis privilegium, quod Omnimodam dicunt, concedentis, Opusculum.

De generatione & corruptione tomum latinum.

Asservari omnia Authographa in Bibliotheca Conventus Dominicani de Goatemala ejusdem PP. datis ad nos litteris attestantur.

208 Illmus. D. D. F. Andreas de Ubilla, Natione Hispanus apud Cantabros in Provincia de Guipuscoa, Urbe aut Villa nobis incomperta natus, subindeque nobilis genere, studijs & Domicilio Mexicanus, vir fuit clarissimus. Adolescens Mexicum advectus, dotibus egregijs instructus, atque ære non exiguo ditatus, nuntium dare mundo speique in eo proficiendi, ut uni Deo vacaret famulareturque studiosissimè, secum constituit, atque Ordinem Prædicatorum in Conventu Mexicano professus est 23. Julij anno 1559. Excultus litteris admodum accuratè, quas ibi à Sodalibus accepit, dein è Cathedra docuit Philosophiam atque Theologiam, inter Magistros Ordinis tempore suo ex jure relatus, & in Universitate Mexiceâ Theologi laureâ Doctoris cinctus 16. Septembris 1678. ejusdem Facultatis Vespertinum egit Antecessorem. Imperiale Mexiceum Cœnobium, quod Sancti Jacobi Provinciæ Primarium est, bis tam rexit prudenter & religiosè, quam qui maximè. Præibat exemplis cunctis, seu in choro Dei laudes canentibus, seu prandentibus in triclinio, seu alia alibi agenti-

tibus. Officinas quotidie invisebat, Fratribus tam ægrotis, quàm valentibus, benè ad victum, vestitum, & cœtera quæ illa cumque necessaria suppeditabat, vigenti subinde regulari in omnibus observantiâ. Ædes quoque Cœnobij ipsas amplissimas pro multorum numero Sodalium ædificavit. A Goaxacensibus, qui unâ adhuc cum Mexicanis Provinciâ tenebantur, Prior Conventus præcipui sui electus, peræque se gessit, magno cum religiosæ disciplinæ emolumento. Nec secus Angelopoli Collegium à S. Ludovico nuncupatum, primus ei Rector datus, studiosissimè procuravit. Tandem Provincialis institutus canonicè, late patentem ditionem suam omnibus ut in dies florentiorem dotibus & virtutibus redderet, perdius & pernox cogitabat, laboribus semper intentus multisque negotijs, valetudine neutiquam firmâ.

209 In Hispaniam ad Philippum II. publici desiderio boni profectus, ut Gubernatorem his in partibus non admodum opportunum compesceret, Regem adivit, Crucifixi, quam è collo suspensam Imaginem tulerat, ob oculos ponens, ejusque obtestatus nomine, uti Mexicanensibus eo in negotio rebus occurreret; quem ut Prudentissimus Hispanorum Monarcha excepit, Visitatorem destinavit Episcopum Tlascalensem, ac non multo post Novæ Hispaniæ Pro-Regem constituit D. D. Ludovicum de Velasco (cui Noster à sacris confessionibus fuit secundò Mexicanum tenenti clavum) Novem non amplius mensibus in itinere ac negotio eundo & redeundo insumptis, redux in nostra Andreas, postmodum anno 1592. die 5. Martij à Rege in Episcopum de Chiapa præsentatus, atque ecclesiastico ritu inunctus, Ecclesiæ suæ regendæ totum se dedit, quam cùm in concernentibus spiritum rebus auxit, tum etiam in cœteris. Sacellum majus, id est, principem Templi partem longiorem fecit, sacra pro decentiori altaris ministerio paramenta donavit, argenteam item lampadem, è qua juge coram Eucharistico Sacramento lumen fulgeret, idque genus alia ultrò in Dei gloriam detulit. Charitate conspicuus in omnes, Indos potissimum recèns Fidei aggregatos complectebatur maximo rei christianæ incremento. Regionem de Soconusco dictam Ecclesiæ suæ adjunxit, quam etiam ornavit, erecto pro Virginibus nobilibus & egenis, Cœnobio ab Incarnatione nuncupato anno 1595. ære quidem alterius, proprijs tamen officijs & curis: nec enim tot sumptus ferebant Ecclesiæ suæ redditus, quos insumebat omnes in Dei cultu & pauperum subsidio, ipse tenui mensâ contentus & habitu, uno duntaxat Pontificali reformatis dissimilis Religiosis, primitivos

redolens Ecclesiæ Prælatos. Annos ubi novem exegerat Chiapæ, in Michoacanenses infulas destinatus, priusquam Litteras translationis acciperet, in Cœlum, ut piè credimus, transferendus obijt mense Majo anno 1602. sepultusque fuit in Ecclesiâ sua Cathedrali hac ejus sarcophago incisâ hispanâ inscriptione:

Hic jacet
D. Fr. Andreas de Ubilla
In Sacra Theologia Magister,
Hujus Cathedralis Episcopus annis novem.

Scripsit tomos duos, quorum primus est

In Primam secundæ Divi Thomæ à quæstione 49 usque ad quæst. 89. Extat Mss. anno 1572. operâ & calamo P. F. Dominici à Cruce, in Bibliothecâ Conventus Dominicanorum de Goaxaca, in quarto.

Secundus verò tomus hunc præsefert titulum: *Prima pars D. Thomæ Doctoris Angelici dignissimi cum annotationibus R. P. Fr. Andreæ de Ubilla, Lectoris optimi: à quæstione 1. usque ad quæstionem 43. anno 1575.* Habetur in eadem Bibliothecâ Dominicanâ de Goaxaca, ut compertum nobis est litteris inde ad nos datis. Authoris meminere Ægydius Gonzalez Davila in Theatro Ecclesiæ de Chiapa pag. 197. P. Alphonsus Franco in Historiâ Mss Provinciæ Dominicanorum Mexicanæ lib. 1. cap. 42. & Magister Burgoa in Geographica descriptione, seu Historia Provinciæ Prædicatorum de Goaxaca tom. 1. qui est secunda pars ejusdem Historiæ (si quidem primam Palestræ titulo donavit) cap. 19. fol. 87. Plaza in Chronicis Mss Universitatis Mexicanæ lib. 2. cap. 3. n. 27. & cap. 25. n. 233.

210. P. Andreas de Velasquez, Natione Mexicanus, Patria Goatemalensis, adolescens JESU Societatem ingressus, & Scholasticorum votis emissis, humanioribus litteris apprimè excultus, magnos in Philosophicis & Theologicis fructus est consequutus, gradumque Professorum quatuor nuncupatis votis adeptus. Angelopoli in Collegio S. Ildefonsi triennium posuit tradendæ publico in Theatro illo auditoribus multis frequenti, Philosophiæ Aristotelicæ, quam rursus triennio altero exhibuit in Collegio Maximo Mexicano confertissimæ multitudinis. Sexenium aliud Theologicis in eodem Collegio Cathedris moderandis incubuit, Provinciæ Sodales in primis imbuens, & Morali doctrinâ, & quæ ad Scholæ palæstram attinet indeque dicitur Scholastica. Majoribus eo itidem in Gymnasio præfuit studijs, donec Præfecturis Collegiorum ab admodum Reverendo Familiæ Generali Præposito destinatus, Angelopolitana cœpit incolere & moderari, in quibus ad obitum usque cum laude religionis & prudentiæ versatus sui desiderium So-

Socijs alijsque doctissimis viris reliquit. Opera ejus quæ versantur in Discipulorum manibus recensemus. Sunt autem illa

Integer Philosophiæ Cursus constans

Summulis.

Logica.

Physica.

Metaphysica.

Animastica: Libris de Ortu & Interitu &c.

Theologia verò ita habent.

Tractatus de Visione Beatifica.

Tractatus de Beatitudine.

Tractatus de Divini Verbi Incarnatione pars prima.

Tractatus de Divini Verbi Incarnatione pars secunda.

Tractatus de Justitia & jure.

Tractatus de Mutuo, in quarto.

His accedunt Conciones multæ & ad mores & panegyricę hispano sermone, Prolusionesque variæ & Carmina latino idiomate.

Rectorem agens Collegij Angelopolitani à Spiritusancto dicti, edidit

Vitam Joannis Gomezij, ejusdem Societatis Coadjutoris, ut dicunt, temporalis formati, religiosisque conspicui virtutibus. Anno 1748. Angelopoli ut caracteres indicant, in quarto, quam habemus in Collectaneis nostris t. 71 in quarto.

211 FR. ANDREAS VICENTE, Natione ut videtur Mexicanus, Provinciæ Sancti Evangelij Franciscanorum alumnus, scripsit hispano sermone

Testimonia pro vitis Religiosarum ejusdem Instituti apud Cœnobium de Atrisco pridem florentium. Anno 1682. Mss ut legimus in Pineliana Bibliotheca novissimæ editionis tom. 2. col. 840.

212 D. ANDREAS DE VIVAR, Mexicanus Domicilio, sin minus Natione & Patria nos prætereuntibus, causarum Patronus apud Regium Novæ Hispaniæ Senatum, edidit

Allegationem pro semetipso in Jure fundatam, tacitis & anno & Typographo, ut quondam in his scriptionibus fiebat, extatque in folio tom. 13. Collectionis D. Ludovici de Mendoza.

213 P. ANDREAS XAVERIUS GARCIA, Natione Hispanus, Patriâ Bituricensis Diœcesis, è Provincia Societatis JESU, cui juvenis se addixerat, in Mexicanam ejusdem Instituti trajecit. Quatuor nuncupatis Deo votis professus, multis in Familiâ & Republicâ ministerijs insignis est. Philosophicis & Theologicis ornamentis, quibus scatet, egregiam in Mexicano idiomate peritiam jam diu addidit, cujus linguæ usum & elegantiam non nullos docuit. Indorum apud S. Gregorij Mexiceum Collegium confessionibus excipiendis quondam multumque deditus, egregio eisdem in sacris fuit adjumento & concionibus & alijs officijs. Plura & primaria quidem rexit Collegia, totique Præpositus Provinciæ Novæ Hispaniæ, religiosè juxtà & prudenter mune-

nera gessit. Illmô. Archiepiscopo Mexicano D. D. Fr. Josepho de Lanciego & Eguilaz, viro doctrinæ & sanctæ vitæ dotibus, Ecclesiæ antiquioribus Patribus comparando, acceptissimus, comes fuit in vastissimæ Diœcesis iteratis visitationibus, in queis Archipræsul consilio ejus utebatur & operâ, cùm ad Indorum aliorumque eruditionem atque solatium, tum etiam pro id temporis occurrentibus varijs & arduis. Illmûs. pariter D. D. Joannes de Lardizaval & Elorza, Angelopolitanus Episcopus, mox laudato Archiepiscopo vitæ & doctrinæ, cœterisque decoribus dissimilis nihilo, peræque illum habuit, sociumque sibi itidem lustraturus ditionem adhibuit. Præpositum Domus Professæ in præsentiarum agit. Habitam à se Orationem in obitu V. Angelæ Xaveriæ Joannæ Mariæ Josephæ, Capuccinarum Cœnobij Virginum Angelopoli Fundatricis & Abbatisæ, Illmô. Angelopolitano, quem mox memoravimus, Principi exposcenti, typisque daturo, commissit, qui addita ad easdem sacras Virgines Nuncupatoriâ publici juris fecit,

Sermonem in Exequijs ductis R. M. Angelæ Xaveriæ &c. Angelopoli, litteris Viduę Michaelis de Ortega 1733. Extatque in Collectaneis Nostris tom. 67. in quarto. Author habet præterea Mss non pauca â se elucubrata.

214 ANGELOPOLIS, Urbs Americæ nostræ nobilissima & fidelissima, ac, post Mexicani Imperij caput & principem Civitatem Mexicum, prima & insignis, condita dicitur frequentissimè ab historiographis anno 1530. Præside Mexicei Auditorij Illmô. Episcopo D. D. Sebastiano Ramirez de Fuenleal, queis tamen meritò reffragatur Magister Fr. Joannes de Villa in Vita S. Agnetis de Montepoliciano c. 27, p. 134. eo ductus momento gravissimo, quòd Episcopus Fuenleal nominatus Præses Mexicei Conventus juridici Mexicum advenerit anno 1531. ut in confesso est eruditissimo Torquemadæ lib. 5 cap. 9. à quo Angelopolitanam epocham cœteri sunt mutuati, Urbis erectionem anno 1530. censentes. Id circo doctissimus ipse Villa, à D. Michaele Zeron Zapata in Mss Angelopolim conditam anno 1531. scribente, jure pariter optimo abscedens, quoniam anni ejusdem mense sextili Illustrissimus Fuenleal auspicatus fuit Præfecturam, constat autem jacta fuisse Angelopolis fundamenta 16. Aprilis; probabilius sibi habet initam Urbem fuisse anno 1532. idque ab ejusdem primis libris confirmat, anno 1533. primos itidem ordinarios Magistratus nominatos fuisse docentibus. Sita est illa 22. à Mexico leucis ad Orientem in amplissimo solo, quod ea erat tempestate diuque retro infrequens, belli inter ejus quomdam incolas Indos & conter-

terminos causâ. Ea Urbs ut extrueretur optantibus ac petentibus Apostolicis Ordinis S. Francisci viris, qui rem christianam unàque politicam eximio procurabant zelo & labore, concessum fuit, atque eorum unus vir magni nominis P. Thoribius à Motolinia Sacris operatus, immortali quidem operi initium dedit, confluentibus è non longe dissitis Populis, Indis numero 16 millibus, à quibus lutea id temporis Civitas fuit extructa, optimis tamen lineamentis, & appositissimo ordine ædificata, quæ postmodum omnibus evasit numeris absoluta, interque insignes novi Orbis connumerata, sive nobiles familias amemus, & insignes litteris ac virtutibus viros, sive Ædes prophanas contemplemur expolitissimas, sive magnificentissimas sacras intueamur. In eam anno 1550. translata fuit Cathedralis Ecclesia jam inde ab anno 1526. Tlascalæ condita. Est quidem Angelopolis magnitudine, artificio, ornamentis, & quæ cœteris cumque ambiri decoribus possunt religiosis & politicis, spectabilis & gravissima, atque Ecclesiastico Capitulo admodum clara, ac plurimorum egregij meriti hominum fœcundissima. Ad hæc 5 Parochiales Ecclesiæ conditæ fuere, quibus aliæ in subsidium sunt additæ. Religiosa virorum Regularium Cœnobia & Collegia 12. quibus Oratorianæ S. Philippi Nerij Ædes accedunt; Sacrarum autem Virginum Monasteria sunt 11. & Puellarum Collegia 4: Male nuptarum domus, Pœnitentium alia mulierum, & pro expositis Horphanotrophium: Sodalitia plurima & Congregationes, ac pro exercitationibus S. Ignatij habendis Domus amplissima ad S. Spiritus Collegium Soc. JESU. Athenæis floret omni litterarum genere instructissimis, Reg. SS. AA. Petri & Joannis Collegijs secundùm Tridentini sanctiones erectis, in queis Grammatica, Philosophia, Theologia Scholastica, Moralis, Positiva, & utrúque Jus traditur & accipitur pro Academicis gradibus in Universitate Mexiceâ ferendis. Illustre etiam Theologorum Collegium habet majoribus simile. Gymnasia ad S. Ildephonsi Societatis JESU ornatissima, in quibus Grammatica, Eloquentia, & Philosophia, & qua late patet Theosophia omnis exponitur auditoribus pluribus, cùm à S. Hieronymi Collegio, tum etiam è S. Ignatij, Societatis JESU regimini subditis, & extraneis alijs in Ildefonsianas Aulas confluentibus. Demum, S. Dominici Martyris nomine Collegium est aliud pro puerulis Grammaticâ efformandis & Musicâ ad Cathedralis Ecclesię obsequia, & Ecclesiastica in choro officia agenda destinatis. Xenodochia, idque genus alia pietatis & politicæ argumenta sunt multa, & ornatissimam Urbem decentia. Quæ ad Diœcesim, cujus ipsa est caput, spectant

ctant quoniam instituti nostri non est ea narratione prosequi, indicare sat erit, latissimè porrectam 168 Ecclesias Parochiales complecti, multaque, præter superius indicata Cœnobia & Valetudinaria, Templaque, Sacella, Oratoria publica pro divinis erecta, ut conjectura non levi putetur numerum 1500 excedere; incolarum autem summam quindecim centena millia hominum superare, eximiâ Dei gloriâ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ fide jam diu illis infixâ medullitus, & christianis operibus cultâ. Angelopoleos Urbis nomine habemus edita hæc Opuscula hispano sermone, in quibus latina item legere est Poemata.

Inferiæ, seu lugubris pompa ab Illustri, augusta, & admodum fideli Angelorum Civitate habita in obitu Elisabethæ Borbonicæ, Hispaniarum Reg. Angelopoli, apud Emmanuelem de los Olivos 1645. in quarto. Extat tom. 26. Collect. nostræ.

Palma nescia marcescere, Symbolum Excmi. D. D. Melchioris Fernandez Portocarrero, Comitis de Monclova, Mexicei Pro-Regis, Triumphali excipiendi apparatu ab Urbe Angelopolitana. Mexici, formis D. Mariæ de Benavides 1686. in quarto.

Testimonium & Allegatio pro Angelopolitana Urbe in causa de Raciocinijs circa vectigalium administrationem. Tacitis anno editionis & Typographi nomine, in fol.

Ejus meminere Urbis Torquemada in Monarchia Indica lib. 3. cap. 30. Betancurtius in de Urbe Angelopolitana post Menologium à fol. 45. Balthasar de Medina in Chronicis Provinciæ S. Didaci Mexicanæ à fol. 242. n. 835. & seq. Ægydius Gonzalez Davila in Theatro ejusdem Ecclesiæ, Joannes Diaz de la Calle in Memoriali & notitijs Sacris Imp. Indiarum Occid. & plures alij.

215 Fr. Angelus Garcia Duque, Natione Hispanus, cujus Patria nos latet, Ordinis S. Francisci de Observantia in Provincia S. Jacobi, inde in Apostolicum S. Crucis Collegium de Propaganda Fide Queretarense ejusdem Ordinis advectus, Lectoris Theologiæ munere, Guardianique, ut dicitur, effulsit honore, longe tamen exemplis illustrior & virtutibus fuit, quas prætiosa consequuta mors est 11. Januarij 1725. uti P. Fr. Isidorus Felix de Espinosa in Vita V. Fr. Antonij ab Angelis Bustamante scribit pag. 184. Incœperat ejusdem Bustamantij Vitam Noster ornare, quam morte prohibitus initiatam reliquit. Ediderat tamen à se habitam in ejusdem funere Orationem hispano sermone, scilicet

Elogium sepulchrale pijs manibus V. P. F. Antonij ab Angelis, Collegij Queretarensis alumni. Mexici, apud Hæredes Viduæ de Lupercio 1712. in quarto.

216 Illmus. D. M. D. Fr. An-

Angelus Maldonado, Natione Hispanus, Patria Occaniensis, Domicilio Mexicanus & munere, postquam in clarissimo S. Bernardi Ordine emissâ professione Monachum egerat religiosissimũ, & in amplissima Complutensium Universitate Moralis Philosophiæ præpositus Cathedræ, cùm in ea expeditè Facultate tradenda egregiam laudem tulerat, tum etiam in omni optimè excultus & versatus Theologiâ; secundo hujus sæculi anno Episcopatum tenuit Antequerensem, seu de Goaxaca ad id muneris destinatus à Catholico Rege Nostro Philippo V, & à SS. Clemente XI Pontifice Summo Apostolicis litteris institutus. Pastoris vigilantissimi curas zelo, prudentia, charitate, cœterisque virtutibus omnes explevit. Diœcesim admodum amplam, obviantibus montibus difficillimam peragratu, intercurrentibus fluminibus periculosissimâ, & multis ab ardente climate incommoditatibus scatentem, universam non semel lustravit, Parochos exemplis hortatus & verbis, atque oves ipsorum demandatas solicitudini prædicatione, confirmationis Sacramenti unctione, cœterorumque pro christianâ vitâ subsidiorum ministratione pascens diligentissimè. Paupertatis cultor, vix necessarijs sibi pro morigeratâ contentus familiâ, redditus Ecclesiæ suæ omnes egentibus destinaverat & Dei gloriæ, hanc enixè procurans. Inde, si quos irrepere abusus in ditionem suam aliquando videret, eos illico cohibiturus, cùm modis alijs, tum etiam doctissimis agebat concionibus, ut legere est in his quas edidit 35. 36 & 37. in quibus de vectigalibus, & inter se dissentientibus negotiatoribus multo tractat spiritu & doctrina perutili. Argumento est pariter editum à Nicolao de la Barreda, Parocho strenuo & docto, Responsum Nostro datum, in quo hujus pro Indorum instructione & salute multa se legentibus offerunt specimina.

217 Certè, traditum sibi à Deo gregem Antequerensem tanti æstimabat, ut oblatas sibi à Rege infulas Oroliensis Ecclesiæ in Regno Valentino constanter recusaverit, rursusque pro Ecclesia Michoacanensi, quæ inter Americæ primarias censetur, destinatus, ei se subduxerit, litteris cùm hispano, tum etiam latino sermone datis anno 1726. grates ei eximias rependens pro munere egregio, testatus pro conscientia sua, proprias, quas jam diu noverat oves, haud dimittere posse; & si valeret, non aliter nisi cum discrimine vitæ præ dolore deserturum, quas 24 retrò annis paverat, & tenera charitate dilexerat. Nec segniori in Philippum ipsum Regem amoris flammâ & pietatis exarserat, cujus igniculi promicant in concionibus plurimis legendis in tomo quem infra dabimus, à se habitis eo tem-

pore,quo rebusHiſpaniæ turbatis, multi à debita Regi noſtro fide deſciverant; quod ſcelus longiſſimè licet ab America abfuerit, huic in juratâ Philippo fide incredibilique erga ipſum amore confirmandæ Orationibus doctiſſimis inſtitit. Porro, ut gregi ſuo quotquot poſſet modis provideret, non ſe durum ac difficilem in Diſpenſationibus exhibebat, atque urgente periculo animarum in mora, gravibusque datis momentis, pro ea qua erat in Theologicis rebus peritia, aut ſolitis à Sede Apoſtolica Facultatibus ſibi traditis utebatur, aut Epijkia benèque Romani Pontificis præſumptâ in arduis negotijs voluntatè. Frequentiſſimè, nec minus erudite ac graviter quam ad auditorum profectum utiliter, nedum in Quadrageſimis, ſed per annum concionabatur, in hoc reliquisque paſtoris muneribus quam diligentiſſimus. Tandem meritis & laboribus cumulatus in pace quievit, poſtquam viginti & ſex annos ſuam Eccleſiam optimis curis adminiſtraverat. Multa doctrinæ & pietatis monumenta reliquit, quorum indicem exhibemus ſequentem. In primis edidit tomum vernaculo idiomate Orationes complexum 48 hoc titulo

Orationes Evangelicæ. Mexici, apud Hæredes Joannis Joſephi de Guillena Carraſcoſo 1721. in folio.

Ad calcem adjecit *Directorium Spirituale*, jam pridem à ſe editum ſeorſim. Mexici, in Typographia HæredumViduæ Michaelis de Ribera 1717. in octavo.

Ex his quas in tomo mox laudato legimus Orationibus doctiſſimis quidem, aliquas etiam ſeorſim habemus editas, quas ſubjungimus, plures alias addentes, quas fruſtra in eo libro quæſiveris. Sunt autem omnes à nobis viſæ

Oratio de S. Tereſia à Jeſu, Carmelitarum Matre nudipedum. Mexici, typis de Carraſcoſo 1703. in quarto.

Oratio de S. Thoma Doctore Angelico. Angelopoli, ex Officina Sebaſtiani de Guevara 1703. in quarto.

Oratio in ſolennitate S. Crucis de Huatulco apud Antequerenſes nominatæ. Mexici, è Domo Franciſci de Ribera Calderon 1703. in quarto.

Oratio de Proto-Parente Divo Petro cum gratiarum actione pro Philippo V. ſalute. Angelopoli, litteris Didaci Fernandez de Leon 1706. in quarto.

Oratio habita in Antequerenſi Sanctuario, à Solitudine dicto, die SS. AA. Philippo & Jacobo ſacra in Regis obſequium. Mexici, formis de Carraſcoſo 1707. in quarto.

Oratio habita in nativitate Ludovici I. Hiſpaniarum Principis. Angelopoli, litteris Didaci Fernandez de Leon 1708. in quarto.

Studia in Deum, & Regem ſeptem

tem quæsita orationibus Evangelicis. Angelopoli, Prælo Didaci Fernandez de Leon 1709. in quarto.

Oratio Evangelica de S. Francisco Xaverio. Matriti ex Typographia Didaci Martinez Abbad 1711. in quarto.

Exhortatio ad Reformatas Antequerenses Virgines Augustinianas. Angelopoli, ex Officina Michaelis de Ortega & Bonilla 1713. in quarto.

Oratio Evangelica habita in actione gratiarum pro victoria à Philippo V. relata apud Viruegam. Mexici ex Typographia Hæredis V. Michaelis de Ribera 1715. in quarto.

Oratio habita Mexici in funere solennissimè instaurato D. D. Mariæ Aloysiæ de Sabaudia, Hispaniarum Reginæ. Extat edita in libro cui titulus *Luctus Floræ* à P. Luca del Rincon Societatis JESU concinnato. Mexici, apud Hæredes Viduæ Michaelis de Ribera 1715. in quarto.

Oratio Evangelica, dicta in gratiarum actione pro Philippi V. felicitate. Ibidem 1716. in quarto.

Oratio Evangelica de magno Parente & Patriarcha S. Dominico de Guzman. Mexici, apud Hæredes Lupercij 1716. in quarto.

Oratio Evangelica de Seraphico Parente S. Francisco. Mexici, Typis Viduæ Michaelis de Ribera 1716. in quarto.

Oratio Evangelica in Festo SS. V. Mariæ de Mercede. Mexici, apud Hæredes Viduæ Francisci Lupercio 1718. in quarto.

Testimonium ad Regium Mexiceum Senatum probandi ergo æquè in Ecclesia Antequerensi auctas fuisse Præbendas quatuor. Mexici, apud Franciscum de Ribera Calderon 1720. in folio.

Epistola brevis hispana, latina longior ad Philippum V. Regem Catholicum data, ubi Noster Michoacanenses infulas recusavit. Mexici 1726. in folio, tacito Typographi nomine. Extat tom. 5. Collect. D. Ludovici de Mendoza.

Oratio Evangelica de Magno Ecclesiæ Doctore S. Augustino habita apud Recollectas ejusdem Sanctimoniales Antequerenses. Mexici, ex Officina H. F. Lupercio 1726. in quarto.

Exhortatio Catholica :: ad Indos Goaxacenses. Mexici, apud Carrascoso 1708. in octavo.

218 FR. ANGELUS SERRA, Natione Mexicanus, ortus apud Michoacanenses, Provinciç Franciscanorum ejusdem Regni à SS. AA. Petro & Paulo nomen sortitæ Alumnus, quondamque, ut dicitur, Custos, Parochusque canonico titulo Pagi de Charapan primum, mox inclytæ Urbis Queretarensis institutus, Tarascanorum idiomatis Magister peritissimus, communisque boni solicitus, pro juvandis Indis Michoacanensibus ea linguâ utentibus, atque eorum Parochis, edidit

Manuale pro ministrandis Sanctis Sacramentis hominibus Hispanis & Indis trilingue, *scilicet, Latino, Hispano, & Tarasco idiomatibus.* Mexici,

xici, typis D. Mariæ de Ribèra 1697. in quarto.

Porrò huic operi utilissimum aliud subjunxit à fol. 107. ad finem tomi complectens hispano & tarasco idiomate

Catechismum brevem, quondam à P. Bartholomeo Castaño, hispanicè editum. Item

Methodum quadruplicem, Tarascanum & Hispanum pro excipiendis Confessionibus sacris.

Paratum habebat geminum opus aliud, quod an typis dederit, nescimus,

Artem pro imbibendo Tarascorum idiomate.

Dictionarium ejusdem idiomatis.

Pro ut testatur Fr. Joannes de Avila, S. Officij Censor, & Provinciæ S. Evangelij Pater in Approbatione libri à nobis indicati.

219. D. Anna Maria a Latere Christi, Natione Mexicana, Patria Tlascalensis anno 1650. vel circiter nata, indeque Mexicum advecta, atque habitum induta Tertij Ordinis S. Francisci, eximiæ virtutis nomine ad mortem usque floruit quam oppetijt 5 Novembris 1710. Admodum R. P. Fr. Joannes de Luzuriaga, Lector Emeritus, Cōcionator Apostolicus, è Provincia Cantabriæ, Commissarius Generalis omnium quæ in America nostra vigent Franciscani Instituti, vir multis præditus litteris & virtutibus, Directorem se præstitit & ducem Nostræ in spiritus via, tot inter muneris amplissimi turbas negotiorum ei audiendæ tempora opportunè reservans, à quo & ejus Acta plurima conscripta fuisse testes nobis gravissimi fidem jam diu fecère. Quòd verò librum ad manus habere non licuerit optantibus, nil præterea de insigni referre Muliere valemus, nisi quod ab eisdem accepimus testibus, attinet que ad scripta, quę proprio caractere ipsa reliquit, consignavit que R. admodum P. Commissario Generali S. Francisci, qui has moderabatur Provincias eo tempore quo ipsa è vivis exivit. Erat autem huic intentus muneri R. P. Fr. Joannes à Cruce, cui illi ipsi qui nobis horum fuere Authores, universos Codices statim ab Annæ obitu tradiderunt. E multis, quæ in tot chartarum mole, argumentis memoria illi tenebant, hęc nostræ sucurrunt.

Vita morsque Jesu-Christi Domini nostri.

Vita immaculatæ Virginis Deiparentis.

Vita Præcursoris Sancti Joannis Baptistæ.

Vita Seraphici P. S. Francisci.

Vita inclytæ Virginis Sanctæ Claræ.

Vita Subtilissimi Doctoris Joannis Duns Scoti.

Alia præterea multa, quæ si Bibliopegi operâ consuerentur tomos supra viginti quinque in folio conficerent, quoniam varietati argumentorum & multitudini accesserant Gotticæ queis uteba-

batur, litteræ. Ubi autem isthæc delitescant nescimus, relinquentes Sodalibus Franciscanis illa disquirere in Tabularijs suis, otium pro eo nobis opere multa quæ nos sollicitant non faciente.

220 D. ANNA MARIA GONZALEZ ET ZUÑIGA, Natione Mexicanensis, Mexici nata, honesto que conjugi juncta, ex quo & filium Sacerdotio initiatum, & filiam suscepit Virginibus Capuccinis adscriptam, censeri ipsa meruit inter Parnasi indigenas, bonis instructa litteris, evolvendis dedita eruditorum libris, numineque felici ditata, quo aflante multa facili negotio carmina frequenter scribit, non ex artis duntaxat pręscripto normâque tornata, sed acumine etiam & eruditione pro rebus idoneâ, opportunè bellèque prædita. Hinc pluris habita à Doctissimis viris primarios inter Poetas comparuit in gravioribus Theatris, quæ Mexici trigesimò retro ab hinc anno, plaudentibus Musis ipsâque gestiente Minerva, nec Apolline invito, suavissimis cantibus insonuère. Nam & in poetica Concertatione, quam Regia Universitas Mexicana indixit pro Ludovici I. Catholici Hispaniarum Regis inauguratione, lauream Anna reportavit promeritam; & in Palæstra Musarum cultoribus à Collegio Majori Mexiceo apud Carmelitarum Templum oblata plaudendi ergo S. Joannis à Cruce Apoteosim, haud sine laude interfuit & præmio; ac rursus Mexicanâ Academiâ Vates publicis evocante œneatoribus Ferdinandi VI. Catholici Regis nostri fausta qui pro communibus votis canerent & avibus dextris ominarentur; Poetria nostra gravibus audiendam se numeris dedit, plausibus iterum redimita; ut legere est in libris argumenta, quorum meminimus, ab ovo narrantibus, in primo quidem cui titulus *Litteræ laureatæ* pag. 180. in altero qui *Secunda quintadecima Januarij Mexicea* habet, pag. 664. & in tertio *Colosi eloquentis* nomine insigni pag. 99. in quibus Poetriæ numeri nostrę habentur. Edidit præterea amœnissima opuscula sequentibus titulis prænotata.

Floridus ramus ab Imperiali Mexicea Civitate SS. Mariæ Guadalupanæ in ejusdem ludis spectaculisque solutus. Mexici typis D. Maria de Ribera 1748. in quarto.

Exsicatæ Melpomenæ lachrymæ in solenni Ferdinandi VI. proclamatione. Mexici eisdem formis 1750.

Suscitatæ pulchræ Caliopes gloriæ in publicis spectaculis habitis Mexici pro Ferdinandi VI. inauguratione. Mexici, in eadem Officina, sed tacita.

221 D. ANTONIUS DE ALCALA ET MENDIOLA, Natione Mexicanus, Angelopoli ortus, Sacerdotioque insignis, in Mathematicis disciplinis doctissimus, supputandis Monialium, quæ Episcopo Deœcesis subsunt, omnium

nium redditaum numeris destinatus, annis quinque supra triginta Diaria pro Ecclesiasticis persolvendis Officijs edidit, varias que tabulas pro anni tempestatibus alijsque conjectandis ex arte tradidit; graviora ad Mathematicas spectantia relinquens Mss, quę cujus signatim argumenti fuerint, prætermisit diligens cœteroquin Scriptor D. Didacus Bermudez de Castro, in Syllabo Angelopolitanorum scriptis illustrium ad nos dato.

222 D. ANTONIUS DE ALDERETE, Natione Mexicanus, cujus patria nos fugit, in Academia nostra Sacræ Theologiæ infulam Doctoris adeptus, Sacerdotio, quem Canonicatum dicimus, in Ecclesia Guadalaxarensi Novæ Regni Galleciæ capite, aliquando potitus, pro Mexicano ad Conciones habendas destinato in Palęstra Sapientum concertaturus aderat, cùm Illustris Clericorũ sub Protoparentis Divi Petri nomine militantium Congregatio nuper defuncto Goatemalæ Episcopo, qui eos inter censebatur, viro clarissimo Doctori D. Bartholomæo Gonzalez Soltero, Mexicano, quondamque Apostolico Fidei in hacce Hispania Nova Quęsitore, ut justa persolveret præsentibus S. Inquisitionis Proceribus; injunxit Nostro uti Funebrem laudationem intexeret, atque è sacro suggestu diceret, quam etiam edidit hispano sermone, atque ita habet

Concio habita in exequijs ab Illmâ. Congregatione S. Petri Mexicea coram S. Inquisitionis Tribunali peractis, pijs manibus Illmi. D. D. D. Bartholomæi Gonzalez Soltero Goatemalensi Episcopi. Mexici, typis Viduæ Bernardi Calderon 1650. in quarto.

Noster in Ecclesiam suam Guadalaxarensem reversus, auctusque Dignitatibus, primam tandem post pontificalem adeptus fuit, ibidemque non inglorius supremam diem egit anno 1678. mense, ut videtur, Januarij, cujus memoriam habet Robles in Diario fol. 106. col. 2.

223 F. ANTONIUS ALEXOS, Natione Mexicanus, apud Chalchiguites, Coloniam à fossili argento celebrem, ortus, Franciscanis de Observantia dictis in Provincia Zacatecanorum religiosâ professione sociatus, à Philosophiæ & Theologiæ Cathedris, quibus regendis quindecim annos posuit, Lector Emeritus, dein Minister Provincialis anno 1613. solennibus Comitijs destinatus, eo defunctus strenuè fuit munere. Scripsit,

Philosophiæ Cursum ad Scoti mentem, & Theologiæ Tractatus varios.

Præterea tomum 300. folijs, hispano sermone, constantem, cui titulum dedit:

Homiliæ in Evangelia totius anni.

Argumenta porrò ejus multa variaque esse, cùm ad Cœlites elogijs colendos multis, tum ad forman-

mandos mores, testis nobis est R. admodum P. Fr. Josephus Arlegui, in Cathalogo Scriptorum Provinciæ suæ, nobiscum communicato, à quo etiam accepimus, asservari librum in Cœnobio Fráciscanorum ad Villam à Dei nomine nuncupatam.

224 D. ANTONIUS ALVAREZ, Natione Mexicanus, cujus nos Patria latet, Præsbyter à virtute comendatus & litteris, Philosophicis Theologicisque satis excultus, atque Academicis laureis redimitus, primùm in Collegio Divi Pauli & Purissimæ Conceptionis Metropolitanę Ecclesiæ Mexicanensis Cathedram Philosophię publicè rexit, dein Parochijs Curio datus varijs, singulas accuratè quidem administravit, & postremò de Maninaltenango dictam, in qua præmaturâ morte obijt. Scripsit

Philosophiæ Cursum, Summulis, Logica, Physica, Metaphysica, cæterisque Tractatibus Aristotelicorum usu constantem. Extat Mss in Discipulorum scrinijs.

225 F. ANTONIUS AB ANUNCIATIONE, Natione Hispanus, Patria Cordubensis, Domicilio Mexicanus, Excalceatorum Carmelitarum Institutum in Cœnobio patrio Provinciæ Bæticæ à S. Joanne Baptista nuncupatę professus, dein Nostris adscriptus, cùm reformatæ, quam colebat, vitæ virtutibus, litteris tum etiam effloruit, Prælaturasque gessit insignes: asperrimum unàque amplissimum Mexicanæ Provinciæ Desertum Vicarij nomine moderatus, & Angelopolitano Conventui præfectus Prior, fortèque alijs clarus muneribus, quæ nos fugiunt. Reliquit Mss idiomate hispano

Descriptionem historicam S. Mexicanæ Provinciæ Deserti, in quarto, cujus exemplar transcriptum anno 1703. vidimus in Bibliotheca Collegij Cuyoacanensis, seu S. Angeli Carmelitanorum.

Devotionarium pro gerendis in vitâ horaque mortis. Mss in octavo. Extat ad S. Angeli.

Authoris & operis primi meminit Doctor Gomez de la Parra in Historia primi seculi Teresianarum Angelopoli florentium pag. 3.

226 P. ANTONIUS ARIAS, Natione Hispanus, Mexicanus Domicilio, Societatis JESU Labaro nomen dedit, sub quo optimè meritus quatuor se Deo votis mancipavit. Egregium ejus paucis elogium verbis contexuit vir incomparabilis P. Antonius Nuñez de Miranda, ejusdem Instituti lumen clarissimum, quod nostras infra multas illustrabit paginas. Is scilicet Doctor clarissimus Sanctimonialibus, quarum in cœlestia dirigebat spiritus, dono dedit à Nostro compositum librum pro religiosâ Virgine instruendâ, cui proprio Nuñez caractere & subscriptione solita Authoris notitiam præfixit, testatus fuisse primum Sacrorum Biblio-

 rum

rum Interpretem, qui divinas è Cathedra litteras in Collegio SS. AA. Petri & Pauli Mexiceo tota que Provinciâ Societatis JESU Novæ Hispaniæ tradiderit: Doctissimum plenis bucis apellat, & admodum sanctum, atque Purissimæ Deiparenti Virgini addictissimum, quæ se illi multoties dederit conspiciendam, signatim que aliquando vernantibus rosis redimitam. Ad hæc, P. Florencia in Menologio Provinciæ Novæ Hispaniæ 10. Junij ijs suffragatur, testatus, quidquid illi temporis superesset, totosque feriatos ab Scholæ laboribus dies orationi tradidisse in loco à strepitu longe sejuncto. Ter singulis annis pedes adibat Sanctuarium 9. à Mexico milliaribus dissitum, ab insigni miraculis icone Deiparentis Virginis de Remedijs nuncupatum, à qua postremò inibi salutatâ pretiosam in conspectu Domini mortem obtinuit, domesticis unà & exteris lachrymabilem, quòd ante 40. ætatis annos evenerit, hominemque egregiè pium ac doctum substulerit. Præfectum egerat Congregationis Anunciatæ, id temporis florentissimæ, non discipulis tantùm, sed Præsbyteris etiam & Magistris doctissimis, ut in loco dicemus, quæ propterea Parenti suo & Duci amantissimo justa solenni apparatu persolvit Oratione funebri latinè habitâ à M. Damiano Gonzalez de Cueto, quæ edita fuit Mexici apud Henricum Martinez eodem anno 1603. Æqualis fuit V. Gregorij Lupezij apud Oppidum S. Fidei florentis, quem convenire sæpe solebat, & de difficilioribus sacrorum Bibliorum controversijs consulere, ut testis est D. D. Joannes Diaz de Arce in Quæstionario expositivo lib. 4. quæst. 103. fol. 234. col. 4. colligiturque ex allatis à P. Francisco Losa in Vita Gregorij cap. 12. pag. 54. editionis Madritanæ 1727. Noster, cùm multis ad animarum lucra spectantibus pro suo deditus instituto esset, ut ex Libro mox laudato ejusque Introductione fit palam; tum etiam inspiratis à Deo litteris enucleandis optimè insudavit ex munere, postquam Philosophicas enucleatissimè etiam tradiderat, ut ex operibus quæ supersunt ab ipso elucubratis satis apparet. Sunt autem quæ vestigantibus occurrère nobis sequentia.

Illustris explanatio Commentariorum P. D. F. Toleti de Physicâ auscultatione. In hoc opere multo donata splendore exhibet egregia ab eruditissimo Cardinali in Aristotelis libros Physicorum edita Commentaria pro Philosophiæ cultoribus utilissima.

De Generatione & Corruptione.

Tractatus de Sphera Mundi, tum ex veterum Astronomorum, tum ex Recentiorũ doctrinâ & observatione collectus.

In libros Aristotelis de Cœlo Scholia & præcipuæ Quæstiones.

Brevis summa de rebus Metheorologicis, in quarto.

Ex-

Extant hactenus recensita Mss in Bibliothecâ Congregationis Oratorij Mexicanensis. Tractatus verò de Sphera invenitur etiam apud Carmelitanam S. Angeli.

His annectimus tomos in octavo tres eodem idiomate, quorum primus est,

Expositio in Cantica.

Secundus: De originali Lingua.

Tertius: De instructione Sacerdotis.

Habentur Mss in Bibliothecâ Collegij Societatis JESU apud Tepozotlan. Idiomate autem hispano opus reliquit, quod hoc titulo prænotatur.

Apologia pro Christianâ veritate contra præsentium temporum Judæos duabus divisa partibus, quarum in prima ostenditur, Christum Jesum verũ esse Messiam; in secunda objectionibus in contrarium respondetur. Extat Mss in quarto ad SS. AA. Petri & Pauli.

Eâdem usus Hispanâ Linguâ conscripsit doctissimas

Epistolas

Ad Magistrum Fr. Antonium à Delgadillo datas de rebus Biblicis, quas se legisse testatum reliquit citatus supra D. D. Diez de Arce dicta quæst. 103.

Eodem hispano sermone librum condidit pro sorore sua in Hispaniâ degente, & religiosam vitam professâ, in spiritu instruenda, cui titulum dedit

Perfecta Sanctimonialis, in caput 31. Proverbiorum. Atque in hoc libro ipse Author meminit alterius à se ejusdem capitis Commentarij è cathedra dicti; quod hactenus nos fugit, ut & alia, quæ non ambigimus scripsisse. Hunc quem ultimo nominavimus loco librum habuimus, ex instructissima Bibliotheca Doctoris & Magistri D. Josephi de Elizalde, nostri in Metropolitana Ecclesia Sodalis.

227 P. ANTONIUS DE ARIAS, Natione Mexicanus, & forsan Patria, JESU Societatis alumnus, & quatuor votorum nuncupatione Professus, litteris claruit & virtutibus, quas docendo, concionando, cœteraque Apostolici ministeria Instituti peragendo, strenuè exercuisse nominis ejus delata ad nos fama testatur, cujus etiam ingenij monumenta invenimus in Bibliotheca Collegij Maximi Mexicani in libris Mss Opuscula complectentibus quæ singulis annis à Rhetoricæ Professoribus elucubrantur pro Natalitia Assertoris Nostri die celebranda, inter quæ ad annum 1685 transcribitur à Nostro laborata

Concertatio Poetica in nascentis Jesu laudem.

Meminimus ad hæc vidisse quadraginta retrò ab hinc annis apud Regale S. Ildefonsi Collegium Mexiceum multo cum fructu diurna noturnaque manu versari à Doctore & Magistro D. Joanne Jordan & Valle

Cempendium Scholasticæ Theologiæ, in quarto,

Quod à Nostro pro suo quondam

dam usu compositum fuisse ille enarravit.

228 F. ANTONIUS DE AROCHENA, Natione, nisi fallimur, Mexicanus, & Goatemalensis Patria, Ordinem S. Francisci in Provincia SS. Nominis JESU professus, Scholasticis diu multumque Palęstris incumbens, Philosophiâ Sodalibus tyronibus & Theologiâ è suggestu traditâ Lector Emeritus renunciatus est. Ad hæc, in Regia & Pontificia, quæ Goatemalæ viget, insigni Academia Doctor inauguratus, multa præterea varia pollet eruditione. Ejus diligentiæ debemus & curæ multorum notiam Scriptorum Provinciæ suæ, gratesque subinde neutiquam silentio premendas. Quòd verò se non Authoribus, quorum texuit Indicem, inseruerit, modęstiæ viri damus, ægre cœterà sustinentes, opera à se elucubrata tacita præterijsse. Porrò, nobiscum communicatum Catalogum memoratum, operâ admodum R. P. Fr. Marci Linares, Provinciæ id temporis capitis, cui itidem nos fatemur adstrictos; inter scripta meritò duximus reponendum, quòd non Indicem duntaxat operum præseferat & nominum, sed Authorum quoque gesta non nulla exponat, omniaque ex ordine, in tres distributis clasibus Scriptoribus, pro ut Indorum, Hispanorum, & Romanorum linguis sunt usi. Titulus verò opusculi apud nos stantis idiomate hispano, latinè sic habet

Narratio de præcipuis Provinciæ SS. Nominis Jesu Goatemalensis Regularis Observantiæ N. S. P. S. Francisci Scriptoribus, &c. in folio.

229 D. ANTONIUS DE ARTEAGA, Natione Mexicanus & Patria, clara natus stirpe, fratres habuit Sacerdorio conspicuos & moribus, alterum S. Augustini Institutum Heremitarum professum; alterum natu majorem Præsbyterum sæcularem Blasium nomine, de quo infra dicemus. Noster & ipse Præsbyter admodum religiosus, & Christianis atque Ecclesiastico viro dignis moribus clarus, in Seminario S. Pauli & Purissimæ Conceptionis Collegio Grammaticam docuit, proque suæ commissis Pueris institutioni edidit

Explicationem generis Nominum & Verbi præteritorum, &c. Mexici, apud H. V. Michaelis de Ribera 1716. in octavo.

230 FR. ANTONIUS AB ASCENSIONE, Natione Hispanus, Patria Salmanticensis, ubi Commographiæ operam dedit, Mexici appud PP. Carmelitas Excalceatos habitu Deiparentis assumpto, & emissâ professione, magna ex inde virtute floruit & scientiâ. Potiebatur id temporis rerum Mexicanorum, nomine Philippi III. Catholici Hispaniarum Regis D. Gaspar de Zuñiga & Acebedo, Comes de Monte-Rey 5. Novembris 1595. Mexici inauguratus: cùmque multa, Regis jussione, expeditissimè moliretur, qua

erat

erat christianâ virtute conspicuus pro Indis juvandis, & amplificandâ Fide Catholica; alias inter arduas, quas feliciter auspicatus fuerat expeditiones, maritimæ institit ad detegendas Insulas Californias; quatuor navibus, ducentisque in eis militibus & nautis, Duce clarissimo viro Sebastiano Viscaino. His nostrum adjungi voluit cum alijs ejusdem instituti Socijs duobus, ut qua eminebat in geographicis rebus peritiâ, mari, terraque Cosmographi munere fungeretur, cunctaque ignota tunc usque accuratè describeret. Nec falsus Pro-Rex fuit, aut segnis in officio suo Noster, qui exactissimam & itineris & Insularum Descriptionem confecit, quam D. Nicolaus Antonius hoc hispano in sua Bibliotheca nova proposuit titulo tom. 1. pag. 76.

Iter pro nova terrarum apertione institutum in Nova Hispania è Portu de Acapulco per pacificum mare in extremum Mendozinum anno 1602 Clasem ducente Sebastiano Viscaino.

Testatur Mss fuisse in Bibliotheca clarissimi viri D. Laurentij Ramirez de Prado: Vidimus nos quoque exemplar ejusdem in libro Mss cui titulus: *Lumen pro terra ignota*, cap. 23 à D. Joanne Mange composito, qui extat in Bibliotheca Indi in paucis insignis D. Patricij Lopez, de quo suo loco multa trademus. Authographum hujusce operis Mangesiani penes tabularium suum esse testatur eques Laurentius Boturini in Cathalogo Musei Historici Indici sui pag. 22. n. 5. Nostri Descriptionem, licèt partem impugnet, laudat D. Andreas Medina Davila in opusculo argumentum id concernente, qui legitur in eodem Mangesiano libro capp. 22 & 24. Meminit etiam Nostri & operis P. Martialis à S. Joanne Baptista in Bibliothecâ Carmelitarum Excalceatorum pap. 37. n. 38. Item Leon Pinelo in Epitome Bibliothecæ Indicæ col. 611. Editionis Madritanæ novissimæ: Et Author Historiæ Reformationis Carmelitanæ tom. 6. p. 389.

231 FR. ANTONIUS AB ASCENSIONE, Natione Hispanus, Hispali ortus, & à primis annis in Mathematicis eruditus in Collegio pro Nautarum institutione ibi constructo, tandem Magister in illis disciplinis insignis est habitus. Ad Americam nostram non sine ingenti labore & multo discrimine advectus, tutissimum sibi Portum elegit Carmelitarum Nudipedum Ordinem, quem amplexatus fuit in Conventu S. Sebastiani Mexiceo, in quo solennem anno 1602. professionem emissit. Bibliothecæ Author mox citatus Carmelitanæ, ubi isthæc refert n. 39. pag. 37. subjungit, Nostrum Martyrij cupidum in Californias Insulas navigantem adversa plurima substinuisse. Scilicet, ut facilis est conjectura, statim ab nuncupatis votis destinatus aperiendis illis regionibus fuit, datusque Socius alteri, quem di-

ximus, Antonio etiam ab Ascensione, quo cum eo ipso anno classem petivit. Nam duos ejusdem Cognominis fuisse Carmelitas Antonios Mexicani alumnos per id tempus Cœnobij, argumento est diversas eis Patrias constitui, Scriptaque distincta, quamvis non multum imparia, imò in idem propositum ex parte collimantia. Siquidem inter opuscula Nostri eminere dicuntur, quæ Cosmographiam attinent. Omnia autem esse Author ipse inquit

Variæ eruditionis duodecim volumina,

Quæ asservantur in Conventu Angelopolitano, in quo Noster ætatis suæ anno 63. cumulatus meritis terras deseruit, in cœlum, ut pie est credere, perventurus.

232 P. ANTONIUS DE ASIAIN, Natione Mexicanus, Patria nobis incerta, Societatis JESU quatuor Deo votis nuncupatis professus, vir fuit clarissimus. Postquam in Maximo Collegio Mexicano Philosophiæ Cursum & Sodalibus & exteris tradidit egregiâ cum laude, mancipatus Apostolicis ministerijs ætatem ad mortem usque gloriosè duxit. In concionando assiduus, & accerrimus erat in vitiorum objurgatione, luxum multis impetens fœminarum in vestitu, eas ut ad honestatis normam revocaret atque decentiam. Confessiones sacras domi & extra diu noctuque excipiebat nullis præpeditus incommoditatibus & laboribus. Extremo afficiendos supplicio egregiâ charitate comitabatur, nullum non movens lapidem ut ad scelerum eos contritionem cœteraque christiana permoveret officia, quibus in cœlum deducerentur. Sodalitati Bonę mortis in Ecclesia Mexiceà Domus Professæ, procurante Excmô. Duce de Linares Pro-Rege Novæ Hispaniæ, excitatæ, Præfectus datus fuit unà cũ Socio P. Nicolao Zamudio, cui meritas in suum locum laudes servamus. Sodales ferventibus ad omnem virtutem exhortationibus è sacro suggestu singulis hebdomadis alternatim cum Socio incendebat. Consultationibus in arduis conscientiæ negotijs frequentabatur, queis, ut erat in omni Theologia doctissimus, accurata responsa dabat. Apud Sacrum Inquisitionis Tribunal Censores inter adscriptus Theologos maximi est habitus. Denique his alijsque pijs operibus ex instituto deditus, felicem, quam toties docuerat opperiri mortem, aspexit, immortali nominis sui gloriâ relictâ. Scripsit

Aristotelicæ Cursum Philosophiæ,

Cujus exemplaria non ambigimus fuisse multa pro discipulorum numero, è quorum manibus ad alios transierint.

Conciones item & panegyricas & morales plures:

Quas ut composuisse certum, ita incertum nobis ubi serventur.

233 M. FR. ANTONIUS DE

Ayala, Natione Mexicanus & Patria, Ordinis Heremitarum S. Augustini in Provincia SS. Nominis JESU Mexicea alumnus, à tenneris annis quòd suxit à parente religiosissimâ juxtà & doctissimâ litterarum & virtutum lac, uberius multis & cumulatius filijs impendit Pater ipse multorum factus. Nam eximiâ eruditus doctrinâ Cathedras Philosophiæ moderatus est & Theologiæ, Primariam quoque, in Regali Divi Pauli Mexicano Collegio, cui postmodum Rector datus & studiorum Regens multum profuit, non in religiosis tantùm rebus & scholasticis, sed verò etiam in œconomicis, quas omnes curavit, Aulamque in primis majorem, seu Palæstram pro concertationibus publicis illustrium imaginibus virorum ornatam. Magistri gradum pro meritis in Ordine tenuit, atque in Universitate Mexicanensi Doctor in Theologia creatus, pro ejusdem Cathedris aliquando, obedientiâ duce, certavit Prælectionibus, quas audivimus, eruditissimis, sive Philosophica cócernentibus, sive Theologica; & porrò obtinuisset, ni candidatum ulterius agere detrectasset, cùm sibi per Superiores licuit receptui canere. Ingenio & studio comparatus ad plura & gravia, in maximis Theatris plures habuit conciones, & in S. Inquisitionis Officio Censor Theologus negotijs extricandis incubuit. Cœnobium Regium Mexiceum Augustinianum Prior rexit, in quo haud absimilia monumenta reliquit his quæ in Pauliano Musæo posuerat. Comitijs Provincialibus quandoque præfuit, & Provinciam ipsam, cujus inter Deffinitores adscriptus fuerat, Rector administravit, dignus qui majora gereret munera. Plurimi à gravissimis viris habitus fuit, quos inter nominamus Illmûm. D. D. Fr. Josephum de Lanciego & Eguilaz, Archiepiscopum Mexicanum, qui pro eximio quo flagrabat commissarum sibi ovium salutis zelo, libros aliquot conscribi voluerat de rebus Indicis à tribus Doctoribus, è quibus Nostrum destinaverat unum, qui ut alij, morte dilectissimi Præsulis quo minus aggrederentur opera fuere impediti. Tandem, vitâ ut religiosum decet virum exactâ, diuturnâ licèt ægritudine divexatus, vegeto erat & valente pro studijs capite, 74 annos dimensus, donec 12. Julij 1752. Sacramentis obarmatus cœterisque Ecclesiæ præsidijs diem clausit extremum. Funeri ejus religiosi omnes Ordines interfuere unà cum Senatu Academico & Proto-Parentis D. Petri Clericorum Congregatione, cui jam pridem adscriptus fuerat. Edidit hispano sermone

Deprecationem pro terræmotibus, conflagrationibus, & incommodâ valetudine arcendis, nomine Provinciæ SS. Nominis JESU Augustinianæ, Imagini Deiparentis Virginis Guada-

dalupiæ factam. Mexici, typis Francisci de Ribera Calderon 1712. in quarto.

Altare novum S. Joanni à Cruce Carmelitarum Excalceatorum Patri dicatum. Extat pag. 372. in libro *Secunda quintadecima Januarij Mexicana,* edito Mexici, apud Josephum Bernardum de Hogal 1730. in quarto.

Transitus corporis solaris expensi in magni Parentis S. Augustini Corporis invētione, aperta ritè, & solennissimè celebrata. Mexici, ex Officina Josephi Bernardi de Hogal 1729. in quarto. Extat t. 4 Coll. nostrę.

Multas inter opera Mss. *Conciones* habet,

Prælectiones & Tractatus Philosophicos & Theologicos,

Quos inter caput effert quem scripsit

De Beatissimâ Virgine Maria.

234 FR. ANTONIUS DE BAÑOS, Natione Hispanus, in Belmontio natus, Prædicatorum Ordini in Conventu SS. V. Complutensi habitu suscepto, & emissâ professione, se dedit: Inde in Provinciam S. Vincentij de Chiapa & Goatemala delatus, magnæ in ea perfectionis religiosæ & litterarum efloruit laude, cujus apud Sodales haberi hispanâ linguâ confectos,

Sermones varios,

Fidem nobis ijdem fecère litteris ad nos datis, addentes nesciri quot ex illis confici possent tomi, quòd multos inter Religiosos dispersi fuerint.

235 D. ANTONIUS DE BELVIS, Mexicanus Domicilio tantùm an etiam incunabulis fuerit, ambiguum nobis est: Doctorem ipsum appellat D. Antonius de Leon Pinelo in Epitome Bibliothecæ Occidentalis, editionis novissimæ Madritanæ tom. 2. col. 815. testaturque edidisse opusculum in quarto propugnandi ergo

Epistolam Pastoralem encyclicam à V. D. Palafox Episcopo Angelopolitano typis commissam anno 1642 in quarto ad Parochos in primis Tlascalenses, Tepeacenses aliosque suæ Diœcesis,

Quam encyclicam oppugnaverat F. Ludovicus de Orduña, Dominicanus: Et hunc quidem Noster scripto petit eo potissimum collimante, ut acta ab Illmô. Angelopoleos Præsule in Clericos advocante Parochias ab Religiosis administratas, bono in lumine posita, vindicet, historiæque ad amusim reducat.

236 D. ANTONIUS DE BONILLA GODINES, Natione Mexicanus, Angelopoli natus, in Collegio SS. Petri & Joannis Latinis, Philosophicis & Theologicis litteris eruditus, Cathedras Philosophiæ rexit & Moralis Theologiæ: Inde Parochijs Curio destinatus successive varijs, Tepeacæ eodem fungens munere obijt, reliquit que editam pridem à se habitam Orationem latinam, hocce titulo prænotatam.

Funebris ad posthumam parentationem laudatio, quam Regalis SS.

AA.

AA. Petri & Joannis Angelopolitana Academia sacravit cineribus Illmi. Rmi. atque Excmi. D. D. Didaci Osorio de Escobar & Llamas, ejusdem Patroni & Antistitis dilectissimi. Angelopoli, ex Theca & Graphiario Viduæ Joannis à Borgia & Gandia 1674. in quarto. Scripsit

Cursum Philosophiæ ad mentem PP. Thomistarum,

Et

Tractationes theologicas morales,

Quarum exemplaria credimus à gentilibus suis servari.

237 FR. ANTONIUS A S. BONAVENTURA, cujus Natio & Patria nos latent, Mexicanus ut minimum Domicilio, Collegij Apostolici Queretarensis Franciscanorum de Propaganda Fide, Guardianus, scripsit idiomate hispano

Diarium seu Ephemerides itineris à flumine, qui Magnus audit, versus Aquilonem in Nova Hispania ad terminos usque Tequarum: vulgo Tejas: Describuntur in eo cùm telluris amœnitas & feracitas, tum etiam Nationum, quæ illam incolunt, varietas, & alia ab Authore lustrata. Mss vidimus, & forte fortuna distracti, Bibliothecam aut Tabularium ubi opus deteximus, in adversaria retulimus minimè.

238 F. ANTONIUS DE BRIONES, Natione Hispanus, cujus nos latet Patria, è Provincia Ordinis Minorum Burgensi, quo tempore Theologiæ addiscendæ operam dabat, in Provinciam Ordinis ejusdem Zacatecanorum trajecit, in qua demum absolutis scholæ curriculis, Ecclesiastes Emeritus, Notarius Apostolicus, Conventus Urbis Potosinę Guardianus, alijsque muneribus clarus, ad clavum etiam sedit, & Censoris Theologi à Fidei Quæsitoribus Mexicanis titulum habuit. Typis dedit hispana lingua à se dictam è suggestu

Orationem Funebrem justis D. Mariæ de Uresti. Mexici, apud Hæredes Viduæ Francisci Rodriguez Lupercio 1727. in quarto.

239 D. ANTONIUS DE CARDENAS ET SALAZAR, Mexicanus equidem Domicilio, & Goaxacensis munere, cujus nos fugiunt Natio & Patria, Archidiaconum egit Antequerensem, in memorato nuper de Goaxaca Valle Diœcesis Visitatoris munere insignis, & Doctoratus infulâ, edidit que idiomate hispano,

Juris allegationem in negotio Parochiarum administrationis à Regularibus cum Seminario Collegio decertantibus. In folio, tacitis anno & Typographo pro antiquorum in hisce more.

240 D. D. ANTONIUS CARDOSO ET COMPARAN, Natione Mexicanus, Vallisoleti Michoacanensium genitus, ibidemque apud Societatis JESU Gymnasia Latinis litteris eruditus, Mexici majoribus studijs incubuit. Philosophiâ hausit ab optimo multisque nominibus claro D. P. Petro Fernandez Zorrilla, ejus Facultatis in Co-

Collegio Maximo Societatis JESU Professore, laureâque Academicâ redimitus, præcipuâ inter coetaneos laude, in Theologorum album exceptus, strenuam huic scientiæ operam dedit cùm in Aulis Universitatis, tum etiam in Academia S. Philippi Nerij, quam diu frequentavit, scholasticis, moralibus, oratorijs, & amœnioribus exercitationibus sic intentus, ut nomen sibi apud sapientes viros pepererit, Doctoratusque apicem tulerit. Conciones haud vulgari plausu habuit, sacras confessiones excepit, Cathedrasque petivit. Apud Tridentinum Seminarium Collegium Mexiceum inito de more pro suggestu Philosophiæ regendo concursu, solitisque præmissis scholarum concertationibus, Moderator renunciatus, triennium in ea adornanda sparta reposuit. Patrios ubi lares repetijt, multi ab Illmô. Michoacanensium Præsule cœterisque viris perdoctis habitus, ad Paræcias expetitus regendas, insignem tenuit Urbis S. Ludovici Potosini, quæ primarias inter Regni censetur. Huic jam pridem obeundo muneri deditus, etiamnum incumbit, ægrâ licèt valetudine divexatus, qua ut liberetur, D. O. M. pro antiquâ nostra amicitiâ & consuetudine deprecamur. Scripsit

Cursum Philosophicum 3. aut 4. tomis distinctum. in quarto,

Cujus apud Discipulos ejus sunt exemplaria.

Prælectiones Philosophicas & Theologicas varias.

Hispanicè autem

Poeticam pro recèns nato JESU Academico ritu laudando concertationem, dato vatibus symbolo.

Sermones panegycicos & morales.

Authographa apud ipsum credimus asservari.

241 M. F. ANTONIUS CASIMIRO DE MONTENEGRO, Natione Mexicanus, primam Mexici lucem aspexit, & primis litterarum ac Latinitatis rudimentis instructus in Regio S. Joannis Lateranensi Collegio, quod já inde ante annum 1549 in fundo Lateranensis Ecclesiæ, quæ Mater est omnium Urbis & Orbis, constructum fuit, eximijsque privilegijs munitum, cùm ab Apostolica Sede, tum etiam à Catholicis Hispaniarum Regibus, qui pro convictoribus sumptus adhuc usque ministrant: Inde clarissimum Ordinem Prædicatorum quæsivit, in quo fausto quidem Parentis sanctissimi sidere effulgente professus, studijs traditus Artium atque Theosophiæ, utrâque familiarem sibi Facultatem tam fecit, ut suo à Superioribus tempore destinatus Lector earumdem, non perfunctoriè docuerit discipulos. Sacris insimul pro suo Instituto concionibus & se exercere, & prodesse auditoribus haud omisit, doctrina ad id muneris etiam, cœterisque talentis ornatus. In Civitatem Guadalaxarensem, Novę Gallecię amplis-

plissimi Regni potiorem, obedientiâ duce profectus, Magister datus est & Director illustri non ita pridem erecto in Dominicanorum Cœnobio Tertij eorundem Ordinis & Christi Militiæ Sodalitio, cujus officij partes ut impleret numeris omnibus, multis è superiori loco Sermonibus hortationibusque egit doctis & fervidis, nec pias alias prætermisit exercitationes, quibus demandatos sibi filios instrueret, Ordinemque illustraret. Hinc in cœlos abeunte, ut pium est credere, ejusdem Sodalitatis Priore Venerabili viro sæculari Præsbytero Joanne Gonzalez de Villa-Verde, Mexicano, qui primus id munus obierat; justa ei ut solennissimè agerentur curavit, honorarium poematibus tumulum & hispanis & latinis instruxit, Orationemque habuit eruditam & doctam, virtutes emortui Sacerdotis complexam, quam hocce donatam titulo typis obtulit.

Moyses Dominicanus V. P. & Præsbyter D. Joannes Gonzalez de Villa-Verde primus admodum Venerabilis Tertij Ordinis & Christi Militiæ S. P. N. Dominici Prior: Oratio habita coram Regio Auditorio Guadalaxarensi, Nobilique ejusdem Civitatis Senatu, atque religiosis Familijs, in Prædicatorum Templum confluentibus honoris ergo viri, quem viventem omnes suspexerant. Mexici ex Typographia Josephi Bernardi de Hogal 1735 in quarto. Extat t. 56. Collect. nostræ.

Ediderat ante duos annos alteram à se dictam Concionem funebrem in Exequijs ductis admodum R. M. Josephæ Mariæ à Christo, Carmelitæ Excalceatæ Cœnobij à S. Josepho Granatensis, ab ejusdem nepote D. D. Josepho Messia de la Zerda & Vargas, Consiliario Regio, Auditoreque Guadalaxarensi; cui titulum fecit Lamentationi

Judith Religiosa. Mexici, formis Hæredum Francisci de Lupercio 1733. in quarto.

Ediderat itidem habitam à se Panegyrim

In Canonizatione S. Joannis à Cruce, apud Excalceatas Virgines Carmelitanas Guadalaxarenses solennissimè celebratâ. Mexici, in Chalcographia H. Viduæ Francisci Rodriguez Lupercio 1729. in quarto. Et habetur in Libro ejus Argumenti conscripto à D. D. Lucas de las Casas, mox dictis formis & anno excusso. Habet etiam Mss *Sermones plures.*

242 F. ANTONIUS CASTRILLON, Natione Mexicanus, ortus est Zamoræ, Villa apud Michoacanenses illustri, Mexicumque translatus ut studijs vacaret, apud Regale S. Ildefonsi Collegium, ejusdem cohonestatus trabeâ tandiu substitit, quo usque factis multis in Philosophia & Theologia progressibus laureas sibi Academicas meruit. Sectatus Ordinem Seraphicum in Provincia SS. AA. Petri & Pauli Michoacanensi, sacro deditus indefessè sug-

suggestui, Prædicatoris Emeriti gradum tenuit, Custodisque ejusdem Provinciæ munus insigne, & Præfecturas alias. Edidit à se habitam vernaculo idiomate

Orationem funebrem panegyricam, justa persolvente inclytâ Queretarensium Urbe munificentissimo Benefactori suo D. D. Joanni Antonio de Urrutia, Arana, Cuerrero & Davila Equiti Ordinis Alcantarensis, Marchioni Villæ del Villar ab Aquila nuncupatæ. Mexici, typis Viduæ Josephi Bernardi de Hogal 1744. in quarto. Habetur t. 31 Coll. nost.

Poemata cùm hispana, tum etiam latina pro ornando Cenotaphio eidem Marchioni erecto, à Nostro disposita unà cum molis & apparatus funebris descriptione. Extat in eodem mox indicato Codice.

His ut Mss adjiciantur optamus.

243 P. ANTONIUS DE CAZERES, Natione incerta nobis, Jesu Soc. alumnus, Rhetoricam dum profitebatur in Collegio Maximo SS. AA. Petri & Pauli Mexiceo, amœnissimum scripsit opusculum, cum multis alijs in eumdem scopum collimantibus diversorum Authorum reservatum in libris Annalium hujus argumenti in Bibliothecâ ejusdem Collegij. Scilicet

Natalis Jesu-Christi Domini nostri sub Cupresi symbolo. Anno 1686. Alia hujus Scriptoris nos fugiunt.

244 D. ANTONIUS DE CHAVES ET LIZARDI, Natione Mexicanus, Patria Queretarensis, nobilibus ortus Parentibus, Latinitati addiscendæ incubuit & Philosophiæ in Collegio Societatis JESU ejusdem Civitatis, quæ nativis, quibus abundat floribus fructibusque pulcherrimis, cultiores addit & sapidiores sub illis Magistris, ceu amœnissimi Horti accuratissimis olitoribus. Mexicum transplantatus pro majoribus audiendis Facultatibus, Regium S. Ildefonsi Collegium incoluit annos 16. Nam, quòd in Civili juxtà & Canonico Jure egregiè profecerit, laureasque Minervæ propterea retulerit; atque alies inter candidatos Regiæ, ut vocant, Trabeæ, seu Prębendæ ejusdem Musæi horarijs prælectionibus & concertationibus id honoris & commodi postulantes, eminuerit palmamque retulerit, substitit ibidem decennio, sibi juxtà ac Sodalibus studio & dissertatione egregias eruditionis comparans opes. Triginta, quibus constat secundus Decretalium liber, titulos, multis & gravissimis onustos quæstionibus, præside Illmô. viro D. D. Carolo Bermudez de Castro, Primario Canonici Juris Antecessore in Universitate, per diem integrum propugnandos coràm exhibuit, & egregiè, plaudentibus auditoribus sapientissimis, propugnavit. Doctor in Jure Canonico creatus, & apud Senatum Mexiceum Regium institutus causarum Patronus, atque apud Quæsitores Fidei pro carceratis tuendis insignitus Defen-

sor,

ſor, his ritè muneribus functus eſt. Pro regendis Univerſitatis Cathedris certans, varias victor obtinuit, ſcilicet Decreti, quam ad quadriennium eſt moderatus, dein Clementinarum, cui pręfuit ſexennio, hinc Inſtitutionum Juſtinianarum quadriennio itidem frequentatam, poſtmodum Veſpertinam Juris canonici Perpetui Anteceſſoris regendam titulo: tandem ſimiliter Primariam Juris civilis, cujus Facultatis Doctorali laureâ donatus, in ea Emeriti tenet honores, poſtquam totos 27. annos docendo poſuit ſtrenuâ quidem operâ, ſive quotidianas prælectiones requiras, ſive privatas & publicas quæras in Palæſtra concertationes. Nec accuratè minus Academiæ præfuit Rectoris munere, Pareciæque à Sancta Catharina Martyre perpetuò titulo, è qua in Primariam Cathedralis Eccleſiæ Parochiam tranſlatus, huic in præſentiarum curandæ incumbit. Ad hæc, Eccleſiaſtici Fiſci Promotorem duodecim amplius annis egit exactè, multis intentus & arduis negotijs, cùm ex his quæ munus id ſuopte petunt, tum etiam particulari ſibi junctis delegatione. Hæc licèt nimis operoſa implicataque ſint, nihilo tamen minus expeditum fecère ut Carmelitanis Virginibus in Cœnobio à S. Joſepho degentibus ſacra promptiſſimè miniſtraverit Capellani defungens onere annis retro 19. quam etiamnum provinciam inſequitur. Jam, ne amico adblandiri videamur, ad ejus ſcripta veniamus quæ ex Academicis Libris eruuntur, ſunt autem Commentaria

In Cauſam 3. Q. ultim. Decreti Gratiani.

In Cauſam 2. Q. 6 ejuſdem Decreti.

In Titulum 2. Lib. 1. Clementinarum: De Reſcriptis.

De Hæredibus inſtituendis.

De Vulgari & Pupillari ſubſtitutione.

De Regulis Juris in 6.

De Renunciatione.

De Procuratoribus.

De alijs ſelectis ad jus civile ſpectantibus controverſijs.

Præterea habet penes ſe Mss

Prælectiones varias canonicas & civiles,

Et

Allegationes fiſcales.

245 Fr. Antonius de Ciudad Real, Natione Hiſpanus, ortus in ea Urbe quæ ipſi cognomen dedit, eſtque in Oretanis; Inſtitutum S. Franciſci ſectatus in Conventu Toletano à Regibus dicto, Latinitate egregiè inſtructus & Philoſophia, nondum Sacerdotio initiatus, eo tempore Americam petijt, quo ejuſdem Ordinis vir inſignis D. F. Didacus de Landa, Jucatanenſi ſe reſtituit ditioni ejuſdem deſtinatus Epiſcopus anno 1573. ſecum deferens conſecrato triginta ejuſdem Seraphici Regulæ Sodales, quos inter advexit Noſtrum. Is animum pro juvandis Indis ſtatim appli-

applicuit idiomati Provinciæ addiſcendo, quo tam fuit imbutus & doctus, ut peritiſſimis quibusque facilè anteiret. Eccleſiaſtem egit multo cum neophitorum fructu, atque ut erat egregiâ prudentiâ, & in gubernando peritiâ, aſcitus à multis Familiæ Præſidibus Socius à ſecretis, apud Commiſſarium in America noſtra Generalem Fr. Alphonſum Ponce, eo functus munere, ipſum comitatus fuit in adverſis, quorum extant penes Torquemadam monumenta in Monarchia Indica tom. 3. lib. 19. cap. 28. Hac de cauſa in Hiſpaniam eo cum delatus, ubi extremum ille diem vidit, Noſter Jucatanum repetijt ſuo Indos fovendi propoſito inſiſtens. Provincialis electus, res opportunè pro inſita ſibi manſuetudine adminiſtravit atque prudentiâ, qua cum non emineret is qui prophanarum potiebatur ea tempeſtate, locum diſſidiis eum inter & Noſtrum dedit. Semi ſeculo fere poſtquam Jucatanum coluerat, nec voce duntaxat, ſed chriſtianis etiam exemplis gentem docuerat, religioſæ & exemplaris vitę laude conſpicuus obijt 5. Julij anno 1617. ætatis 66. & religioſę vitæ 51. Ex his, quadraginta magnæ molis operi ſcribendo dicavit, adeo ut ne quidem negotijs Commiſſarij Generalis, quibus intendebat, multisq̃ diſtrictus itineribus, illud dimiſerit, uti ex ejus ore accepiſſe teſtatur P. Lizana relatus à Cogolludo loco mox dando. Fuit quidem opus id *Magnum Linguæ Mayæ ſeu Jucatanicæ Dictionarium*, quod appellavit

Calepinum ejuſdem idiomatis ſex grandibus voluminibus conſtans, quorum quòdque quadringenta folia, octingentas ſubinde complectitur paginas, tam illud copioſum & dives, ut elegantias Linguæ cunctas ditiſſimæ exhibeat, & ne quidem vocem unam fruſtra in eo quæras. Extare Mss apud librariam techam Ducis Infantatus tradit D. Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Hiſpaniæ Nova pag. 86. ex P. Lizana qui idem in ſuaHiſtoriaJucatani teſtatur c. 16. Nos verò addimus haberi etiam aut integrum, aut majorem partem, carioſum blattisque transfixum, in Bibliotheca Cœnobij Franciſcanorum Emeritę Civitatis, quę caput eſt Jucatanæ Provincię, ut ab ejus Sodalibus jam pridem accępimus. Præterea Noſter condidit

Dictionarium Hiſpano Jucatanum.

Dictionarium Jucatano Hiſpanum.

Sermones de Sanctis & per annum integrum; uti citati hactenus tradunt.

His annectimus opus aliud, quod Bibliothecas Hiſpanam Franciſcanamque fugit, & affertur à Cogolludo lib. 9. cap. 16. pag. 514. Scilicet

Tractatus de Novæ Hiſpaniæ magnalibus, & eventibus in ea quam Com-

Commiſſarius ſuus lite traxerat. Non tamen ſcriptum hoc effugit Antonium de Leon ejus memorem col. 606. aliorum verò col. 730.

246 M. F. ANTONIUS CLAUDIUS DE VILLEGAS, Natione Mexicanus, incunabulis uſus Mexiceis, & optimè traductâ pueritiâ, Prædicatorum Ordini in Sanjacobea patria Provincia ſeſe dedit. Philoſophicis apprimè informatus atque Theologicis, utriuſque Cathedras Facultatis in Perilluſtri & celebri de Porta-Cœli Collegio ejuſdem Ordinis Mexicano tenuit egregiâ laude, quòd inſignes inſtituerit diſcipulos, qui poſtmodum evaſère Magiſtri doctiſſimi, & aſſuetis publicis ſcholæ certaminimus majora & non ita uſu frequentia indixerit, quibus interfuiſſe nos quoque, & ſymbolum poſuiſſe meminimus. Hinc & alios Palæſtrę honores, & Magiſterij gradum adeptus, Procuratorem egit generalem Provinciæ, & Cœnobijs præfectus fuit nobilibus Queretarenſi, Guadalaxarenſi, multisque alijs, ac demum Mexiceo, quod totius primum eſt & caput Provinciæ, quam etiam Rectoris munere adminiſtravit defuncto ejuſdem Priore Fr. Emmanuele Ximenez de Ziſneros; Indictis verò pro familię jure comitijs, Provincialis eſt renunciatus, quod in præſentia onus non abſque communi emolumento gerit & laude. A Quæſitoribus Fidei Cenſor adlectus, huic exactè muneri incumbit, pro ut in Diœceſi Guadalaxarenſi Examinatoris Synodalis onus explevit. Concionatoris partes jam diu ſuſceptas, nempe ab eo tempore quo Aulis Academicis ſeſe addixit, etiam nunc implet, doctis ſanè & ex arte atque eruditione multa factis ſermonibus, ex quibus prælo dedit aliquos his prænotatos titulis.

Phenix triplex in triplici ſingulariſſimæ Deiparentis Martyrio. Mexici, typis Joſephi Bernardi de Hogal 1737. in quarto. Extat tom. 19. Collect. noſtræ.

Myſticus Jacobus. Oratio funebris habita in Exequijs Mexici ductis à Provincia Prædicatorum S. Jacobi Excmô. ac Rmô. Magiſtro ſuo Generali Fr. Thomæ Ripoll. Mexici, litteris D. Mariæ de Ribera 1749. in quarto. Legitur tom. 34. Collect. dictæ.

Ethites Mexicana. Oratio habita in Cathedrali Eccleſia Proto-Parenti Sancto Petro die ſacra. Mexici, mox dicta Typographia 1750. in quarto. Habetur tom. 69. Coll. noſtræ.

Major gloria Maximi inter cœleſtes Spiritus, primique majores inter Principes Archiſeraphini S. Michaelis. Mexici, prælo V. D. Joſephi Bernardi de Hogal 1751. in quarto.

Quòd ſpectat ad Mss, & *Sermones & Theologicas Philoſophicasque Tractationes* Author reſervat, è quibus tomos edere poſſet, quos non ſine laude eruditi perlegerent.

247 M. Fr. Antonius de Cordova, Natione Mexicanus & Patria, post strenuè navatam Philosophiæ operam, Medicinæ alumnum se prestitit, cujus Facultatis infulam Doctoralem fuit assecutus, & è multis candidatis Cathedræ Primarię ejusdem Moderator ad tempus adscitus, cui tandiu insudavit, donec vocatus ad sublimiora, ipsam ultrò deposuit, & cœteris etiam relictis, Ordinem S. Francisci in Provincia S. Evangelij professus est, & Sacerdotio initiatus. Tum sacram excoluit Theologiam, ægrotisque animabus medendis se dedit, religiosis incumbens officijs, auctus que etiam honoribus: quos inter Commissarij, ut dicunt, Hierosolymitani titulum multis annis ad mortem usque tenuit, libentissimè curans uti Sodales loca sacra Redemptoris nostri sanguine insignia incolentes, & religiosâ pietate frequentantes, Americanis juvarentur subsidijs. Obijt plenus dierum in Conventu Maximo S. Francisci Mexiceo, in quo celebri pompa sepultus fuit, concurrente cum religiosis Familijs Academiâ Mexiceâ Decani sui Medici funus prosequente. Alia quamvis scripserit ad rem Medicam attinentia, unius duntaxat in Libris Academicarum Lectionum Commentarij,

De Sanguinis missione,

Memoriam invenimus, propterea quòd eo tempore consuetudo cœperit redigendi in tabulas Professorum Lectiones, quo Noster illis subductus in Seraphicum se gremium recepit.

248 F. Antonius Correa, Natione, ut videtur, Mexicanus, ignota nobis Patria, Seraphici Ordinis alumnus in Provincia S. Evangelij, Tertiarijs in Villa de Carrion, Vallis de Atrisco Commissarius, atque in spiritu Director datus, vir fuit non modò in sacris & theologicis doctus, sed adeo in amœnioribus litteris eruditus, Oratorque insignis, ut de ipso scribere haud dubitaverit emunctæ naris homo Fr. Balthasar de Medina & ipse eruditissimus, in Censura mox indicandę Concioni data, quod de ejusdem nominis & cognominis Lusitano D. Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Hispaniæ Novâ tom. 2. p. 242. scripserat: *Insignis enim Rhetor & Poeta in eloquentiæ laude unum aut alterum parem, superiorẽ verò habuit neminem.* Nec immeritò: Nam, ut legentibus, quas subdimus, Orationes palam fit, judicio ille fuit in cogitando disponendoque, acumen in dictione præsefert, & undique artem spirat, nisi quod aliquando (ne hoc dissimulemus) violentiam fere periodo inferat, quod seculi magis vitium præteriti proximè quam Authoris dicendum. Edidit hispano sermone

Annulum Salomonis, seu de Augustissima Triade panegyrim. Mexici, ex Typographia Viduæ Bernardi Calderon 1682. in quarto. Habetur tom. 36. Collect. nost.

Sy-

Syllogismum Sacramentalem atque Marianum, seu panegyrim de Immaculata Beatissimæ Virginis Conceptione. Mexici, formis Francisci Rodriguez Lupercio 1683. in quarto. Extat t. 60. Collect. nost.

Funebrem panegyrim pijs manibus nobilissimi ac pientissimi civis Didaci del Castillo in Cœnobio Excalceatarum à S. Elisabetha Virginum. Mexici, ex Officina ejusdem Lupercij 1683. in quarto.

249 P. Antonius Cortez et Puebla, Natione Mexicanus, ortus Mexici prænobili gente, litterarum à teneris studium arripuit, & cùm Maximum SS. AA. Petri & Pauli Societatis JESU Collegium frequentavit, tum etiã Mexiceam Academiam, in qua, post absolutos Philosophiæ cursus, pro laureâ decerpendâ præscriptos, eaque donatus, egregios audivit Magistros D. Joannem de la Peña Butron, Primarium Theologiæ Antecessorem, & D. Isidorum de Sariñana, Sacrorum Bibliorum Interpretem, atque alios Minervæ id temporis subsellia tenentes. Societatem inde Jesu in Provincia patria ingredi optavit, composque voti factus, talis tantusque evasit, celebriores inter ut computetur ejusdem alumnos. Nam & Collegia rexit nonnumquam, & diu incubuit Cathedris moderandis, Philosophiam primùm publicè tradens, deinde Theologiam in Goatemalensi Musæo, quod insigne meritò habetur, concurrentibus in ea Urbe, amplissimi capite Regni, viris doctissimis omnium Ordinum, florenteque Universitate, à S. Carolo dicta, illustri admodum, & omnium scientiarum Magistris ornatâ. Hanc postquam non perfunctoriè obierat provinciam, in Mexicum Superiorum destinatione translatus, è cathedra in suggestum sacrum transiliens, Præfectus institutus fuit Congregationis Salvatoris, quæ antiquitate & multis clara nominibus viget in Domo Professâ Mexiceâ. Hoc in theatro magnam sibi, Dei gloriam quærens, laudem paravit, communi satisfaciens expectationi, quæ fuerat eximia hominis, cujus fama jam diu Mexici percrebuerat, & qui sufficiebatur viro incomparabili P. Joanni Martinez de la Parra, scriptis suis toto orbe notissimo, nuper extincto, dum eidem præesset Congregationi, singulis Dominicis diebus Sodales & confertissimam, etiam eruditorum hominum, multitudinem instruens egregijs pro suo more Concionibus. Nostrum, Atlantem dixeris, qui demortui partes Herculis tulerit, Sodalitio cœlesti suis admoto humeris; & redivivum in Cortezio Parram auditores demirabantur, gratulati sibi metipsis talem Sodalitio obtigisse Præfectum, qualis sperari vix posset decessoris suis hæres ex asse. Erat enim verò Cortezius eximiâ præditus eloquẽtiâ, multâ imbutus doctrinâ, & perrara dicendi gratiâ, quibus facilè dotibus audito-

tores trahebat, delectabat, movebat, ut propterea avidè audiretur, & à popularibus,& verò etiam à Sapientibus, quæsitus Orator pro Festis & diebus tota Urbe insignibus. Ubi suæ per aliquot annos Præfecturæ munus implevit, alijs à Superioribus destinatus, rursus ad scholasticam revocatur Palæstram, jussus studijs majoribus præesse in Collegio Maximo Mexicano, donec per ætatem gravatus & valetudinem, aliò commigrans, inde ut pie credimus, migravit in cœlum. Quamvis ediderit nulla, quæ sciamus, opera, reliquit tamen Mss plura & egregia, quæ uti scripsisse sumus certissimi, ita incerti quo in præsentiarum scrinio contineantur, aut Bibliothecâ. Sunt illa porrò

Cursus Philosophiæ, Libros complexus Summularum, Logicæ, Physicorum, Metaphysicorum, aliorumque de quibus Aristotelici tractant nostri.

Theologiæ Scholasticæ Tractatus varij.

Salvatoris Vita,

Quæ non uno claudi posset, magno licèt, volumine, quoniam Conciones fert omnes, quas habuit eo tempore quo illustri, quam diximus, præfuit Congregationi,

Sermones varij morales & panegyrici, qui similiter tomos implere possent aliquos.

Responsa Moralia.

250 F. Antonius Davila Padilla, Natione Mexicanus & Patria, germanus Fratrer Illmî. D. D. Augustini, Ordinis Prædicatorum, Archiepiscopi Dominicopolensis, quem elogio deinceps, vulgari minimè, excipiemus egregiâ ob acta & scripta; idem sectatus est Institutum S. Dominici in patrio Monasterio, cui splendorem addidit haud exiguum. Reliquis à se compositam

Artem pro Mexicanâ Linguâ addiscendâ:

Ejus elegantias, quæ oppido multæ sunt, faciliorem in methodum redigens, maximo studentium emolumento, ut Authores sunt citatus Augustinus in Historia Sanjacobeæ Provinciæ lib. 2. cap. ultimo. D. Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispaniæ Novâ pag. 81. allegans Historiam Ord. Præd. lib. 4. cap. 55. quæ alia certè est à mox à nobis dicta, & duobus, non quatuor libris absoluta. Meminit etiam ejus Fernandez in Historia Ecclesiæ nostri temporis lib. 1. cap. 31. pag. 122. & Leon Pinelus in Bibliothecæ Occidentalis Epitome col. 720. editionis novissimæ Matritensis.

251 Fr. Antonius Davila, Natione Mexicanus, Patria Goatemalensis, Vexillum Seraphici Patris S. Francisci in Provincia SS. Nominis JESU secutus, vir fuit non doctrinâ tantùm, sed pietate etiam illustris, quas ipse dotes scriptis à se libris palam exhibuit, suas eò curas intendens, ut Redemptori nostro dira pro nobis passo, ejusdemque dolentissimæ Genitrici honor & amor

amor penderetur egregius, animæque in virtute proficerent. In hunc finem tres in quarto tomos idiomate hiſpano compoſuit, è quibus primus continet

Sermones de Virgineis Doloribus, de Paſſione Domini, & de quinque Vulneribus.

Secundus: *Sermones de ſeptem Jeſu-Chriſti verbis in Cruce morientis.*

Tertius: *Exhortationes pro Monialibus, & Tertiarijs, cum excerptis ordine alphabetico pro Feſtis omnibus.*

Aſſervantur Mss in Bibliotheca Conventus Præcipui Franciſcanorum de Goatemala, ut eorumdem Litteris docti ſumus.

252 M. F. ANTONIUS DELGADILLO, Mexicanus ut minimum Domicilio, Ordinis S. Auguſtini in Provincia SS. Nominis JESU Mexicea alumnus, in Sacra Theologia Magiſter, & Univerſitatis noſtræ Sodalis, Cathedram Sacrorum Bibliorum in ea rexit ad tempus nomine Perpetui ejuſdem Anteceſſoris M. Fr. Melchioris à Regibus, ſui itidem Inſtituti, quo tempore per ſe illam moderari haud poterat gravisſimis curis diſtentus ab Academiâ jure probatis. Florebat ea tempeſtate apud Oppidum S. Fidei Venerabilis Gregorius Lupecius egregiæ nomine ſanctitatis atque doctrinæ, in Scripturis potiſſimum cœlitus nobis traditis, quo cum Noſter agebat ſæpe conſulendi gratiâ de difficilimis pro ſuo munere Bibliorum locis, atque etiam in ſpiritu proficiendi, quem certè Gregorius facilè conſpectu ſuo, & paucis admodum verbis afflabat & incendebat. Nec minus familiariter utebatur P. Antonio Arias, Societatis JESU, viro graviſſimo, qui primus in Gymnaſio Collegij Maximi Sacras publicè Litteras interpretatus eſt, in unum uterque collimãtes ſcopum, & ſimul quandoque inviſentes Gregorium, rogantes ipſum, excipientes dicentem cœleſtia, cœleſtemque inter homines vitam mirantes, ut Author eſt nobis vir item mirabilis electusque Dominicopolenſis Archiepiſcopus D. Joannes Diaz de Arze Primarius itidem Sacrorum Interpres Mexicanus, in Quæſtionario Expoſitivo ſuo, lib. 4. q. 103. fol. 234. col. 4. ubi etiam teſtatur ſe legiſſe Noſtri ad P. Antonium Arias, & hujus ad illum ſcriptas doctiſſimas

Epiſtolas.

Commentaria verò, aut opera alia ab ipſo elucubrata nos fugiunt, quòd ea ætate vixerit, nempe ante nonageſimum proximè lapſi ſeculi annum, qua non dum lex invaluerat Academica notandi in Annalibus Profeſſorum Lectiones. Meminit etiam Noſtri M. Grijalva in Chronicis ſuis f. 81. col. 3.

253 D. ANTONIUS DELGADO BUENROSTRO, Natione Hiſpanus, ortus Hiſpali, atque ut ipſius utamur ſententia, Angelo-

politanus itidem Patria, namque ſic ipſe in Urbem hanc gratiſſimus publicè teſtatum voluit in Nuncupatoria, quam præfixit Sermoni de S. Roſa Peruana à ſe edito, apud Hiſpaniam eo tempore agente, ac memorante quæ retrò acceperat Angelopoli, Senecamque adducente, qui cordatè ſatis ſcripſerat: *Patria eſt ubicumque benè eſt.* Ab Hiſpalenſibus in tennera ætate laribus in Americam noſtrâ deductus anno 1640. Angelopoli, celeberrima Urbe, conſtitit, & exorſus à Grammatica, Philoſophiam, Theologiam que optimè didicit inter ephębos V. Præſulis D. D. Joannis de Palafox; tum ſacris initiatus, & Concionatoris munere functus, magnum ſibi peperit nomen, litteris mores utique probatiſſimos ſocians. Propterea Illmûs. D. D. Joannes Garcia de Palacios, è Canonico Angelopolitano Habanenſis creatus Epiſcopus, eum ſibi à ſecretis delegit tulitque in Eccleſiam illam, eo uſus cùm ad peragenda negotia alia, tum etiam pro examinandis ijs qui Ordinibus initiandi eſſent, Confeſſionibus audiendis exponendi, aut aſcenſuri ſacrum ſuggeſtum, aut Parochias recturi. Hinc natale ſolum brevi repetijt, in quo multas habuit, audientibus cultiſſimis viris, Conciones, nonnullas etiam edidit, probantibus ipſas Magiſtris doctiſſimis, eximijs pro earumdem merito elogijs. Ille tametſi multi, ut par erat, factus à gentilibus ſuis, quam elegerat Patriam cogitans Angelopolim expetensque, in Americam ſe reduxit Domiciliumque priſtinum, ubi ſermonibus denuo habendis traditus, & auditorum fructu, & Doctorum plauſu ſuſceptus, haud abſimiliter Mexici fuit auditus, non numquam tempore quadrageſimali ſtatis diebus argumentum, ut fit, ſingulare ſecutus ex Hiſtorijs petitum ſacris, ordinatè ad mores expenſum atque partitum. Certè, magnum erat ejus in oratoria Evangelica nomen, nec immeritò comparatum: Ut enim operum, quæ typis dedit, Cenſores accuratiſſimi, & in eadem Facultate primarij teſtantur, & ipſa ſe legentibus ſcripta exhibent, egregia ſunt, quòd gravitatem rerum ſubtilitati ſociatam, ingenium unà ac judicium, dictionis elegantiam fucatam minimè, diſpoſitionem ex arte, cœteraque chriſtiani Eccleſiaſtes decora præſeferant. Fama eſt apud Angelopolitanos, ipſum memoriâ Biblia Sacra univerſa tenuiſſe. Ad Patres & Doctores quòd attinet, ſatis fuiſſe eruditum, cùm panegyrici ejus Sermones, tum etiam morales oſtendunt, in quibus quadraginta fere annos poſuerat 1693. vertente, quo tomus in folio multi voluminis prodijt idiomate hiſpano hoc titulo:

Hiſtoriæ variæ canonicæ ad mores traductæ in Conciones. Angelopoli, ex Typographia Didaci Fernan-

nandez de Leon 1693. in folio.

In quo, præter Evangelicas Orationes, à pag. 753. ad 948. varijs in Festis dictas, leguntur, *Jobi nobilitas sex concionibus illustrata. Mors Patriarchæ Josephi totidem expressa sermonibus. Arca noetica allegorica, eluvionisque moralis historia in sex item orationes partita. Thronus Salomonis æquali & ad ejus gradus respondente numero expressus. Sex majora, quæ à Mundo prodierunt scandala. Præclara animæ gesta justæ, in Muliere Apocalyptica designatæ. Septem Angelicæ tubæ. Amplificationes expositivæ in Dominicæ Passionis historiam. Elogia Deiparentis Virginis ex Antiphona Salve Regina eruta & explanata.*

Alium item in folio tomum emissit sub titulo:

Panegyrici sacri,

Qui Orationes continet 35. de Christo Domino, de SS. Deiparente, de Cœlitibus varijs, ac de piacularibus ignibus addictis animabus. Hispali, ex Chalcographia Hæredum Thomæ Lopez de Haro 1696. in folio.

Seorsim præterea ediderat tomum in quarto alium simili ferè nomine:

Panegyrici sacri apud Indias Novæ Hispaniæ dicti varij argumenti. Hispali, ex Officina Thomæ Lopez de Haro 1679. Item 1680. in quarto. Extant etiam.

Oratio evangelica in laudem S. Caietani Tiennæi. Angelopoli typis Didaci Fernandez de Leon 1695. in quarto.

Oratio sacra in septimum Psalmi 50. versum. Angelopoli, formis Joannis de Villareal 1696. in quarto.

Poema hispanum acta describens laudansque egregia Illmi. D. D. Emmanuelis Fernandez de Sancta Cruce, Episcopi Angelopolitani. Extat ad calcem Panegyrici funebris ejusdem Præsulis editi à D. Josepho Gomez de la Parra. Ibidem ex Officina Hæredum Joannis de Villareal 1699. in quarto.

254 F. ANTONIUS DIAZ, Natione Mexicanus & Patria, strictiora S. Francisci Instituta sectatus in Provincia Excalceatorum S. Didaci Mexicana, à religiosè & preclarè gestis, atque à litteris etiam meritò commendandus, Lector primùm Philosophiæ, dein Moralis Theologiæ Sodalibus datus, optimè functus Magisterio, alijs dein incubuit muneribus, cùm domesticis, tum etiam extraneis, quæ doctrinam hominis & vitam commendant. Apud Episcopatum Antequerensem, seu de Goaxaca, cujus in primaria Urbe nudipedum Franciscanorum Cœnobium insigne viget, Synodalis Examinator est renunciatus, & ab Apostolico Fidei Senatu Mexiceo inter Theologos censendis propositionibus destinatos adscriptus. A Socijs verò Guardianus, ut dicunt, in præcipuis Conventibus habitus, tum etiam Deffinitor, & Provinciæ caput seu Minister electus, Paterque sub inde Familiæ, quam optimis exemplis &

& prudentiſſimâ regulari diſciplinâ informavit. Scripſit

Philoſophiæ Curſum ad Scoti mentem Ariſtotelisque ſenſum, ſeu Libros Summularum, Logicæ, Phyſicæ, Metaphyſicæ, &c. in quarto.

Varia ad Theologiam ſpectantia Moralem. in quarto.

Sermones item varios. in quarto.

Quæ omnia penes ſuos Mss ſtare cenſemus. Edidit autem

Sermonem panegyricum in Apoteoſi S. Joannis à Cruce, à Carmelitis Excalceatis octiduo Mexici ſolenniſſimè celebrata. Extat in libro ejuſdem argumenti Conciones alias opuſculaque id concernentia junctim amplectente. Mexici, apud Joſephum Bernardum de Hogal 1730. à pag. 346.

255 F. ANTONIUS DIAZ DEL CASTILLO, Natione Mexicanus & Patria, Ordinis Seraphici in Provincia S. Evangelij filius, Philoſophiâ donatus atque Theologiâ, bonisque litteris eruditus, Prædicatoris multa cum laude munus plurimis annis, & alibi & Mexici exercuit, quòd aptus natus ad dicendum eſſet, ſtilo minimè fucato, fluidâ oratione ad artis præcepta, judicioque polleret & facilitate, non exiguâ dives Scripturarum atque Interpretum eruditione. Sermones quidem condidit vix multis voluminibus comprehendendos, è quibus aliquos typis datos habemus, ſtatim indicandos, ubi tomum à ſe hiſtoricum editum dixerimus idiomate hiſpano ſequenti titulo

Manus religioſa, ſeu Deſcriptio Sacrarij Parochiæ Tolucenſis. Mexici, ex Typographia H. V. Michaelis de Ribera 1731. in quarto.

Panegyris in dedicatione ejuſdem Sacrarij dicta ab Authore. Ibidem ſub eodem codice.

Oratio funebris habita ab eodem in Exequijs ductis D. Gaſpari de Villalpando Centeno. Mexici, mox datis typis 1722. in quarto. Habetur tom. 34. Collect. noſtræ.

Concio moralis in Sacello Regio Mexiceo dicta coram Senatu Regio ſecunda Feria ſexta quadrageſimæ. Mexici, litteris Hæredum Viduæ de Lupercio 1724. in quarto.

Panegyris in dedicatione Templi Deo ſub nomine S. Bartholomæi Apoſtoli apud Oppidum de Ozolotepec excitati. Formis Hæredum Michaelis de Ribera 1729. in quarto.

Panegyris de S. Patriarcha Dominico in novi Altaris dedicatione Deo ejus nomine conſecrati. Mexici, eiſdem litteris 1722. in quarto. Habetur tom. 74. Collect. noſt.

256 P. ANTONIUS DIAZ DE GODOY, Natione Mexicanus & Patria, Latinitate inſtructus & Philoſophia in Collegio Maximo Societatis JESU Mexiceo, Aulis itidem Academicis frequentatis, laureâ donatus, Theologicas etiam excoluit magno cum fructu, quem ut ferret multo uberiorem, Academiæ ſe adjunxit tum coaleſcenti apud ædes Congregationis Oratorij, proptereaque à S. Philippo Nerio etiamnum dictæ; in qua cùm Theoſophiæ reſerandis arcanis,

nis, tum etiam Orationibus construendis panegyricis, numerisque poeticis concinnendis incubuit. Tum mox dictæ Oratorij addictus Congregationi, & Sacerdotio initiatus, ad mortem usque annos fermè 40. in ea substitit, atque pro Instituto, quod susceperat, laboravit. Potissimum verò sacro à Superioribus destinatus suggestui, hanc alacer obeundam provinciam assumpsit, & strenuè quidem excoluit: nam frequentissimè è superiori loco dicebat, & domi & foris, etiam exiguo sibi tempore dato, imò multoties extemporè ferè, quòd casus ita tulerint multi, multumque ipse huic muneri vigilaverit. Duodecim extremis vitæ annis in Oratorio ad fratres dixit alternatim cum Socio diebus Dominicis, multa quidem Scripturarum & Patrum atque Interpretum eruditione, quam usu sibi comparaverat & studio quotidiano, suas in libris delicias & otia reponens, ac subinde assiduus in Bibliotheca, cujus perpetuam curam gessit, communi, cui moriens multa & selecta legavit volumina. In historiâ versari sacra etiam amabat, & in Theologia mores dirigente pro consulentium utilitate, quibus & in confessione sacramentali & extra providere multis satagebat. Ad hæc librorum Censor à Quæsitoribus Fidei designatus, hanc itidem ornavit spartam. In Congregatione multis fulsit muneribus, nam & Præfectus Oratorij non uno fuit triennio, & unus è Deputatis, qui Superiori adsunt pro Congregationis regimine, & Præpositus eidem, ut fit per triennium. Hæc inter piè vitam duxit christianis conspicuam virtutibus, & multis erga SS. Deiparentem, potissimum sinu complexam suo mortuum Filium, amoris argumentis insignem, quam deposuit anno 1743. die 27. Maji, non dum absoluto solenni, quod agitur quotannis in honorem S. Parentis Philippi, triduo, quem in cœlestibus laudaturum, pro ut in terra fecerat, speramus. Scripsit

Compendium vitæ S. P. N. Philippi Nerij pro meditationibus traditæ italo sermone à P. Francisco Amadæo de Ormea, è Congregatione Oratorij Augustæ Taurinorum, hispanâ donatum versione. Mexici, typis Hæredum Viduæ Michaelis de Ribera 1714. in octavo.

Sanctorum spiritus Fundatorum in S. Philippi Nerij spiritu expressum. Idiomate hispano. Mexici, in eadé Typographia 1727. in quarto. Habetur tom. 4. Collect. nostræ.

Instauratum Altare: Sanctus in conversione sua Apostolus Paulus. Hispano sermone. Mexici, typis D. Mariæ de Ribera 1742. in quarto. Extat dict. t. Collect. nostræ.

Alia quæ edidit opuscula minuta prætermittimus. In Schedis autem reliquit latino sermone

Commentaria in librum Job; sed non absoluta, in folio.

Commentaria in caput primum Ge-

Geneseos, duodecim codicibus, quos ferè omnes legimus, Authore vivente, multa cùm ex sacris Biblijs & Doctoribus eruditione refertis, tum etiam ex Theologiâ Scholasticâ, quæ sex dierum primordialium opera expendit, in quarto.

Hispanâ linguâ, *Exercitia S. Antonij Patavini, degentis in solitudine, id est, Christianæ meditationes ex Scriptis S. Antonij desumptæ, verbis ejusdem & sententijs per totum deductis opusculum*, quod itidem legimus.

Sermones item panegyricos & morales. Tomis 5. eodem etiam idiomate.

Monumenta pro historiâ Congregationis suæ Mexiceæ texendâ. In quarto. Quæ omnia Mss extant apud Symmistas suos.

257 Fr. Antonius Escaray (Non Escaroy, ut bis legitur in Bibliotheca Franciscana, nempe tom. 1. pag. 103. & tom. 3. in Appendice post Indicem alphabeticum) Natione Hispanus, ortus apud Mantuam Carpentanorum, in Americam nostram deductus ab Illmô. viro D. D. Fr. Bartholomæo Garcia de Escañuela, ejusdem Instituti, Episcopo Portudivitensi, ut à secretis sibi esset & sacris Confessionibus, eo usus est etiam pro Testamentorum & Piarum causarum Judicio, proque ejus nomine Visitatoris titulo invisendâ Provinciẹ parte. Promotus Antistes in Ecclesiam Novæ Cantabriæ, vulgo dictam de Guadiana, Nostrum secum transtulit eisdem institutum muneribus, si unum excipias Judicis Testamentorum & Piarum Causarum. Undecim apud Episcopum annis moratus, Mexicanæ se adjunxit Provinciæ Regularis Observantiæ S. Francisci, nuncupatæ à S. Evangelio, cui à secretis fuisse anno 1681. habemus ex Oratione in laudem immaculatæ Virginis in Universitate Mexicanensi ab eo recitatâ, Doctoribusque plaudentibus edita. Certè multo cum Sapientum plausu sæpe per id tempus è superiori loco dicebat, quamvis non defuerint obtrectatores, plagij ipsum nota inurentes, perinde quasi Domini quondam sui D. Bartholomæi de Escañuela, notissimi Concionatoris & celeberrimi, partus asciceret, Æsopicumque Graculum ageret. Hanc ut à se propulsaret calumniam, eidem Illmô. Præsuli nuncupavit concionem, quam & dixit & edidit de *Compensandis Assertoris nostri ac vindicis dilectissimi injurijs*, Mecœnatem obtestatus, uti ea clientem liberaret criminatione, palamque diceret, quot & quales sibi suggesisset sermones, aut scriptos, ut eisdem uti posset, unquam communicasset. Fatetur quidem Magistrum auscultasse Patronum suum, à quo didicisse profecisseque multum, quod hominis est ingenui, haud erubescit; cœterum Corniculæ instar alienis implumescere calamis, furtoque orna-

nari, pro sui nominis honore detrectat. Sanè nulli deinceps dubium ea de re hæsit, experientiâ cunctos docente, quantum in oratoria Facultate emineret, quod clarius multo patuit atque difusſius, brevi eo Collegium Querentanſe à S. Cruce nominatum petente, quod nuper erectum fuerat, & de Propaganda Fide institutum profitetur, Sodalibus ejus expeditionibus ſpiritualibus, non modò Fideles inter, ſed verò etiam inter Paganos deditis.

258 Eò ubi ſe Noſter recepit, concredita ſibi à Deo talenta in animarum procurandâ ſalute collocavit, & quòd non dum liceret infidelibus evangelizare, Fideles duobus comitibus luſtrandos ſuſcepit in vaſtiſſima Diœceſi Guadalaxarenſi, ſeu Novæ Galleciæ, quam peragravit totam, anno 1685. ſolido in expeditione illa conſumpto, eximijs conquiſitis pœnitentiæ & reformationis innumerabilium penè chriſtianorum lucris, quæ recenſet diligens æque ac eloquens Chronographus eorumdem Collegiorum Fr. Iſidorus de Eſpinoſa lib. 1. cap. 20. & 26. Nec minori profectu res in ipſa Urbe primaria, Epiſcopi & Regij Auditorij Sede, ſucceſſit, Noſtro primâ hebdomade ſingulis alternatim diebus ad frequentiſſimam multitudinem è ſuggetu dicente, & viciſſim clariſſimo Pontifice D. D. Joanne Jacobo de Leon Garabito, qui in Antonij ſuffectus locum hebdomade ſequenti, quòd ægrotaſſet, tribus continenter diebus ejus vices ſubſtinuit. Hinc verſus Zacatecas Noſter iter inſtituit, qua in Urbe difficile dictu eſt, quantum verbo & exemplo profecerit, jactis ex tunc ſeminibus, ut tempore procedente ampliſſimum ibi Collegium inſtituti de Propaganda Fide ſurgeret, quod à Guadalupe dictum jam diu eminet. Reliquum erat ut Paganis eamdem prope ditionem hùc illùcque vagantibus, ad littora fluminis Blanco dicti in Novo Legionis Regno, Catholicæ Fidei dies illuſceſceret, quam ut illis Noſter afferet, multis egit ac multis, donec doctus experimento poſt non paucos meſes, immaturam adhuc ſegetem novit, nec miteſcere poſſe fugientes barbaros, à quibus ſubinde receſſit, alia in Collegio ſuo, quod repetijt, acturus, quæ quoniam nos fugiunt, ea tacente Hiſtoriographo, & in alterum Tomum, qui non dum eſt editus, reſervante, ſilere & nos cogimur, ſcripta jam hominis relaturi ſequentia.

Doloris voces ex ſcelerum multitudine natæ, quæ luxus cauſâ veſtium oriuntur.

Hiſpano ſermone liber intextus eſt multis & graviſſimis adverſus prophanorum habituum luxuriem objurgationibus, quam egregio inſectatus eſt Author zelo, & fructu haud minori in concionibus ſuis, plurimas ab iſtiuſmodi vanitate fœminas revo-

cans. Hispali, typis Thomæ Lopez de Haro 1691. in quarto.

Vernaculo item idiomate Sermones publicavit, quos subdimus.

De Immaculata SS. Mariæ Virginis Conceptione. Mexici, litteris V. Bernardi Calderon 1681. in quarto. Legitur tom. 17. Collect. nostræ.

Vindiciæ pro Christo Domino injurijs affecto. Mexici, eisdem formis & anno. Extat t. 15. dict. Collect.

Panegyrica oratio in solenni B. Virginis sub invocatione de Aranzazu festivitate. Ex eadem Typographia 1683. in quarto. Habetur tom. 75. ejusdem Collect.

Oratio panegyrica habita pro Comitijs Provincialibus Mexicanæ S. Evangelij. Ex eadẽ Officina 1683. in quarto.

Oratio pro Christi Domini funere prosequendo apud Queretarenses dicta. Eisdem itidem typis Mexicanis V. de Calderon 1682. in quarto. Clauditur tom. 66. dict. Collect.

Cœtera ejusdem opera latent nos.

259 D. ANTONIUS ESPEJO, cujus Natio & Patria notitiam adhuc aufugiunt nostram, Mexicanus fuit ut minimum Domicilio, novæque Mexici novus item Columbus, si fides adhibenda est diligentissimo Torquemadæ tom. 1. Indicæ Monarchiæ lib. 5. cap. 51. testanti primum fuisse eum qui vastissimam Provinciam detexerit, tot tantisque insignem dotibus, ut nova propterea Mexicus audiat. Nec verò Betancurtius, vir itidem admodum eruditus, sic à Torquemada dissentire hac videtur in re, uti nullo conciliari fœdere possint. Quamquam enim jam inde ab anno 1540. hanc Franciscus Vazquez Coronado conquirendam regionem susceperit, & ut cumque aperuerit, in quam rursus anno 1581. Franciscani à Betancurtio nominati, inquisierint; Noster verò sequenti 1582. eidem accinctus operi fuerit; stare quidem optimè potest, hunc demum explicatè aperuisse Provinciam, citraque hæsitationem res ejus, sin minus omnes, plerasque bono in lumine collocasse. Profectò Noster, uti idem Torquemada Author est nobis, peritior instructiorque omnibus qui ad ea usque tempora novam perlustraverant Mexicum, in his quæ concernunt ipsam, meritò est habitus. Nec ea tantum gloria conspicuus quòd amplissimam aperuerit ditionem industriâ, consilio, & militari robore insignis, in quam mox Evangelium delatum fuit multo cum animarum fructu, quotidie ad nostra usque tempore germinante; sed verò etiam, quòd proprijs militaverit stipendijs, secumque equos in expeditionem illam centum, armatosque milites duxerit multo in his omnibus ære suo expenso. Tandem obicibus benè multis superatis strenuè, mense Novembris proximè consequentis anni 1583 comite F. Bernardino Beltran, Seraphici alumno Ordinis, in

in optatam devenit regionem, cujus, idiomate hispano, construxit historiam brevem, seu

De Nova Mexico narrationem historialem, prout monet præcitatus Torquemada loco supra indicato pag. 708. editionis Madritanæ de anno 1723. Betancurtius verò nostri meminit in Theatro Mexicano part. 4. tract. 3. pag. 95. editionis Mexicanæ anni 1697.

260 D. ANTONIUS FERNANDEZ LECHUGA, longo ad minus domicilio apud nostros habito Mexicanus, ut ex Nuncupatorijs præfixis editis opusculis ejus conjectu est facile, Natione item & Patria an fuerit ambigimus: Vir fuit 36. annorum curriculis lectioni deditus & studio cùm historiarum aliarum, tum præcipuè earum, quæ Genealogijs intexendis subserviunt, Familiarum Stemmata indicant & Insignia, illustres ob oculos majorum imagines Nobilibus exhibent, avos atavosque clarissimos: hinc Nobiliaria, ut dicunt, præ manibus semper ferebat, deque stirpe & gente consultus, pro ea qua pollebat eruditione, respondebat, imò & discipulos, quos novimus, in his quidem instructos, post se reliquit. Poeticam etiam coluit hispanis numeris, quibus publici juris fecit opusculum hoc insignem titulo

Nulla ad bonos mores fera vita est, christianis peccatores admonens documentis, non ut ad Kalendas Græcas, quod dicunt, pœnitentiam cunctentur, sed de suis promptè sceleribus conterantur. Mexici, typis Joannis Ruiz 1671. in quarto.

Pia ad Jesum-Christum Dominum columnæ alligatum lamentatio. Mexici, eisdem litteris, anno 1675. in quarto.

261 FR. ANTONIUS DE FIGUEROA, Natione, ut conjectura est, Mexicanus, inter Goatemalenses natus, atque Regij & Militaris Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de Mercede Institutum professus, ut ab ejusdem Sodalibus per litteras docti sumus, Apostolicus Prædicator, tomum conscripsit vernaculo idiomate, cui titulus:

Sermones varij,

In folio, an in quarto, vel aliter, nescimus, qui apud suos in Conventu de Ciudad Real habetur.

262 P. ANTONIUS DE FIGUEROA VALDES, Natione Mexicanus, Mexiceis ortus laribus, majorum imaginibus clarus, illustriorem multo sibi delegit Familiam, ubi per ætatem licuit, Societatem JESU, in qua votis se quatuor Deo religavit, & eximijs ac præclaris dotibus fulsit. Omnium ornamenta Scientiarum egregio potitus ingenio, studio que æquali, facilè comparavit; eminuit verò, cùm amœnioribus litteris, Oratoria & Poesi latinis, adeo ut extemporè diceret tanta sermonis eloquentia proprietate

que,

que, quanta Docti alij cuperent eloqui meditatò; tum etiam in Philosophia, & qua latissimè patet omni Theologia, atque etiam civilis & canonici Juris sapientia: nec in hispana dictione sermonibusque sacris habendis inferior sibi fuit, cunctis in ejus labijs manibusque Musis ultrò insidentibus, quarum subinde illicijs tracti non vulgares modò, sed etiam homines eruditi audire illum sæpe cupiebant. Quæ eo majori laude sunt omnia, quòd singulis insimul incubuerit, multis Antecessorem annis agens in palæstra Gymnasij, cœtera minimè prætermittens, imò eis plura pro instituto conjungens ad animarum attinentia salutem. Philosophiam Angelopoli docuit, in qua discipulum habuisse gloriamur nostrum in ipsa Magistrum P. Marcum de Somoza, egregiè eruditum, aliosque haud absimiles.

263 Theologiæ itidem in eodem Collegio scribendæ & dictandæ tandiu institit, quo usque in Maximum Mexiceum traductus Primariam moderatus fuit Cathedram. Interea Provincialibus comitijs indictis pro delegandis ad Europam Procuratoribus, suffragante plaudenteque gravissimorum PP. Congregatione, destinatur, Socio ei dato egregio viro P. Petro Ignatio de Loiola. Quòd verò ad Primarium Theosophiæ Professorem spectet Conclusionibus eo tempore præsidere eidem nuncupatis Congregationi honoris causâ & officij, per diem integrum, mane Theologicis decem & octo titulis, è quibus singuli graviores & multas id argumenti exhibent propugnandas; vespere autem sex ad Jura attinentibus, & similiter gravidis; hanc Noster spartam ornavit multo cum sapientissimorum, qui aderant, plausu: nam cum gratissimus ijs esset Doctoribus Jurisque Antecessoribus in Universitate Mexicanensi, qui de more, tempore vespertino erant disputaturi D. D. Carolo Bermudez de Castro, Primario Canonici Juris Magistro, postmodum Archiepiscopo Manilensi: D. Josepho de Torres & Vergara, Primario Juris Civilis Doctori multis titulis ornatissimo, alijsque similibus Academiæ Proceribus; continere se non valuerunt, quin ante quam theses scholarum ritu argumentis tentarent, latina singuli Prolusione Delegato ad Europæ Curias Præsidi, ipsumque destinanti Provinciæ Mexicanæ multa eruditione gratularentur. Tum ille, qua erat in dicendo facundia, extemporanea reposuit oratione, tam ad proposita sibi nata, quam quæ multo fuisset studio quæsita.

264 Iter suo tempore arripuit cum Socio multis instructam navibus classem in Hispaniam reducem petiturus, quæ feliciter quidem ad Habanensem appulit Portum, sed inde solvens versus

que

que Europam tendens, ad fretum Bahamæ & Floridæ littora luctuosissimo casu naufragium fecit die S. Ignatio Loiolensi sacro anno 1715. plurimis nautis & vectoribus pereuntibus, Nostroque & Socio, qui egregio morientibus fuerant auxilio, hortantes monentesque perfervidè cunctos, uti contritione scelerum misericordiam Dei invocarent, animasque ad Sacramentalem absolutionem opportunè disponerent, Jesu-Christi, cujus Imaginem è Cruce pendentis ferebant, Sanguine pretiosissimo confidentes. Jacturam certè maximam Provincia Mexicana Societatis JESU passa est, imò & universa, quà latissimè porrigitur, Hispania Nova hisce viris orbata, quos ad maturitatem usque insignes & litteris & religiosis moribus duxerat. Quòd ad Nostrum spectat, placet ejus hic elogium innuere, quod Amicus noster P. Vincentius Lupecius, ejusdem Societatis, vir in paucis eruditissimus, Magistro suo in Theologia contexuit data ocasione, in aureo opere quod Mss nobiscum communicavit, à capiteque ad calcem, perlegimus, *Secula immaculatæ Conceptionis Marianæ* inscriptum: seculo itaque 18. pag. 873. Periclem jure nominat, & Americanæ Oratoriæ fulmen, in utrâque Theologiâ clarissimum, & delibatum amœnissimum omnium fere scientiarum florem: In scholæ arena Martem robustum Herculemque vincendis natum monstris dificultatum: In defendendis Problematibus admodum facilem, ac demum talem hominem tantumque, quo in uno locupletiorem multo nova Hispania thesaurum habuerit illis omnibus quibus fœcundissimæ auri argentique venæ ejus ditescunt. In hunc hactenus sensum ille. Et verò elucubrata à Nostro opera gemmis non injuria nobilissimis comparanda dicet qui legerit, quamvis majorem earum partem vel amissam doleamus vel absconditam thesauri instar ritu & gemmarum. Recensere nihilominus possumus & quæ in scriniis habemus nostris, & quæ non visa licèt à nobis, indubiè ab eo profecta novimus, accepimusque à fide dignis testibus. Habemus quidem Theologicas elucubrationes in quarto.

De necessitate Scientiæ Mediæ.

De Justificatione impij.

Scimus è suggestu Scholæ dictasse:

Tractatum de Ente supernaturali.

Tractatum de Merito justi.

Quibus si alios & Theologicos & Theojuridicos adderemus nobis ignotos, æque multi ac nobiles essent. Philosophici verò, quorum itidem exemplaria multa sint oportet, nostratum more censentur

De Summulis.

De Logica.

De Physico auditu & auscultatione.

De Metaphysicis.
De Anima.
De Ortu & Interitu.
De Cœlo, Mundo, & Metheoris.
Tandem è Latinis Prolusionibus, Sermonibusque Hispanis pulcherrimis omnibus, aliqui compingi possent Tomi, quos fortè editos cum alijs Operibus legeremus, ni avarum juxtà invidumque Occanum cuncta unà cum Authore absorbuisset.

265 D. Antonius Flores Valdes, Natione Mexicanus, è Michoacanensi Diœcesi oriundus, Latinitate instructus, Mexici, alumnus Regij S. Ildefonsi Collegij, Philosophiam, moxque Theologiam tam avidè hausit & faustè, ut ipsarum academicis laureis insignis, Academias in eodem Collegio pro utriusque Sophiæ exercitatione pridem destinatas rexerit Præses; tum canonico Juri haud minorem operam enucleando posuit, gradumque subinde meritò tenuit. Ubi, absolutis studijs, egregio plausu sibi comparato ab perspicuitate, amœnitate, & sublimitate ingenij, multâque & floridissimâ eruditione, patriam remeavit, sacris initiatus, Præfecturam Scholaris Sodalitij pro Moralis Theologiæ nodis solvendis adeptus in Urbe Potosina, Illmô. decreto Pontificis ditionis ejusdem, eo ita defunctus est munere, ut insimul Oratoriam sacram concionibus pulcherrimis excoluerit, è queis nuncupatam mox insinuato Antistiti D. D. Martino de Elizacocheà, publicæ dedit luci hoc hispano titulo

Cœlestis conceptio & nativitas Mexicana Imaginis Guadalupiæ SS. Deiparentis. Mexici, ex Chalcographia D. Mariæ de Ribera 1750. in quarto. Extat tom. 19. Collect. nostræ.

266 D. Antonius de Folgar et Amunarris, Natione Mexicanus, nobili admodum stirpe Mexici ortus, à PP. Societatis JESU ad SS. AA. Petri & Pauli Grammaticam ut acceperat, Philosophiam ex eodem fonte hausturus, Regium S. Ildefonsi Collegium adivit, violaceâque decoratus trabeâ primos inter æquales suos habitus meritò, insignitusque gradu in Universitate, ejusdem albo Theologorum voluit adscribi, in quorum Aula multum profecit, adeo ut exacto statuto quadriennio reportatâque laureâ Baccalaureatus, sponte sua theses ex omni Scholastica Theologia decem & octo divisas titulis, ut fit à provectioribus, defensandas mane palam posuerit multas & graves, ad vesperam autem Theojuridicas ad sex reductas titulos propugnandas pariter dederit in amplissimo Universitatis Theatro publicis destinato concertationibus, non absque Magistrorum ex omnibus Ordinibus plausu. Hæc inter S. Philippi Nerij Academicis cooptatus, eorundem pensa multa variaque exsolvit, cùm Scholastica & Mora-

ralia, Poetica tum etiam & Oratoria. Doctor publicè inauguratus, insignitusque Sacerdotio, confessionibus excipiendis, habédisque se dedit concionibus, quas ingenio confectas & arte, juxtà quę sacra pulchras eruditione Docti viri probarunt. Constitutâ Regiâ & insigni Ecclesiâ Collegiatâ propè Mexicana Pomaria apud Sanctuarium à Guadalupanâ SS. Mariæ Virginis Imagine ante duo secula miraculo depicta notissimum, is unus fuit è primis Canonicis, qui à Catholico Rege Patronatus sui jure destinati, ecclesiastico ritu instituti fuere pro Dei cultu & Purissimæ Deiparentis. Huic in præsentia muneri vacat, Censoris Theologi honore à Trium-Viris Fidei Mexiceis adauctus. Pridem in publicum dederat à se conditos Panegyricos habitos his titulis vernaculo idiomate:

Fortuna Americæ potior, scilicet, Instauratio Imaginis Servatoris nostri è Cruce pendentis divinitus facta. Mexici, apud Franciscum de Ribera Calderon 1731. in quarto.

Contentiones amoris Patrem inter æternum & S. Josephum. Mexici, in Regia Typographia D. Maria de Ribera 1734. in quarto. Extat tom. 7. Collectionis nostr.

Nuper verò hispanis formis & eosdem recussit & alios primùm edidit Codice hunc in modum scripto:

Sermones panegyrici, in Mexiceâ Urbe Imperiali recitati, &c. Mantuæ Carpentanorum, apud Antonium Marin 1753. in quarto.

Mss reservat multos luce publica haud indignos, brevique edendos; itemque pro suo paratum usu

Compendium Theologiæ Scholasticæ, variarumque Juris disputationum, quod nonnumquam habuimus præ manibus.

267 D. ANTONIUS DE GAMA, Natione Mexicanus, clarissimo Lusitanorum sanguine Mexici genitus, alumnusque Regij S. Ildefonsi Collegij, apud Maximum Soc. Mexiceum Latinitati addiscendæ operam dedit & Philosophiæ, Theologiæ autem in Academia, cujus inter Doctores suo tempore eminuit, Decanumque egit multis nominibus venerabilem. Totos quadraginta annos Theosophiam docuit, biennio quidem sacra interpretatus Biblia, dein Vespertinæ, & tandem Primariæ Antecessor Cathedræ, in qua demum Emeriti honores geminatis utique titulis retulit. In quotidianis prælectionibus tam erat assiduus, ut ne gravissimis causis eas prætermisserit: nam ut ab ejus discipulis jam pridem audivimus, accidit, ut quadam illi die omnes abfuerint, quòd Magistri Sororis an Matris ambigimus defunctæ corpus ea ipsa die publicâ efferendum pompâ novissent; proximè verò sequenti luce Gymnasium ille ingressus quæsivit, qui præteriro vespere eorum venisset nullus, coactusque ipse recesserit:

queis reponentibus in causa fuisse domesticum funus, quo eum judicaverant præpeditum, Minimè enim verò, inquit, quamvis namque Civitas ruat, si tamen Academia consistat, ægrâque valetudine non impediar, Gymnasium petam. Et porrò ita ferè tandem evenit: Anno siquidem 1692. populari excitato tumultu, susque deque Urbe omnibusque actis, Regio conflagrante Palatio, publicisque Ædibus, & alijs permultis ardentibus, die tamen subsecuta luctuosissimam noctem in qua isthæc contigerant, ille perinde quasi quieta esset Respublica, funestumque nihilum passa, Aulam adivit, consuetam traditurus lectionem.

268 Academiæ Rectorem egit postquam regendis Cathedris supersederat; quamquam transacto quadriennio (quo datus per octo virorum suffragia EmeritoProfessori Vicarius secundùmStatuta nostra Cathedram est recturus) ipsam repetijt, cui ad mortem usque sedulò incubuit, quam & si octogenarius aspexerit, tam fuit compos sui, & in Scholarum apicibus promptus, ut cùm satis frequenter Præses adesset conclusionibus, tam quæ Cathedræ nomine ipsi obtingebant, quam quibus Decani titulo jure destinabatur, de tot tamque varijs tricis & difficultatibus sæpe occurrentibus, expeditissimè loqueretur, egregia ut decebat eruditione, qua de testes nos ipsi sumus, qui ipsum audivimus, signatim in concertatione gravissima, quæ indicta fuit in Aula maxima Academica coram frequentissimâ doctissimorum hominum multitudine pro excipiendo salutando que recèns advecto Archiepiscopo Mexicano Illmô. D. D. Fr. Josepho de Lanciego & Eguilaz, ipso cum perillustri Metropolitano Capitulo adstante argeunte que: Præerat Noster, ut cui secundum Scholæ statuta, vices inter Antecessores pro hujusmodi actibus distribuente Primarios inter Facultatum omnium & Vespertinos, ea obtigerat: Reminiscimur enim verò quamvis 37. retrò ab hinc annis res evenerit, perdoctè illum è Cathedra de Divina Scientia Media, de Merito, de Maternitate Dei, deque similibus in disceptationem positis, inter respondendum dixisse.

269 Alijs item illustris muneribus fuit, Abbas Congregationis Clericorum gravissimę Proto-Parentis Divi Petri ab ipsis electus, Examinator Synodalis à Præsulibus Mexiceis destinatus, & post Præbendam in Metropolitana Ecclesiâ habitam, Penitentiarij Sacerdotium doctos inter retulit candidatos, cui fuit immortuus. Ad hæc insitâ mansuetudine & humanitate omnibus charus, pauperibus in primis acceptus, quibus alendis redditus obvenientes undique impendebat ex animo, in propriamque domum multos tra-

trahebat miseros, utique sublevandos. Pœnitentibus Pater pro officio aderat amantissimus: Capuccinas Virgines statutis temporibus Confessarius datus eisdem extraordinarius, fovebat, solabatur, instruebat, nec Sanctimoniales cœteras præteribat. Denique christianis & Sacerdote dignis moribus clarus obit in Domino anno 1715. Mense Januario. Ex his quæ laboravit Operibus, extat edita latino sermone

Oratio funebris habita in Ecclesia Metropolitana Mexicea pro Caroli II Catholici Hispaniarum Regis parentatione,

In Libro ejus argumenti opuscula nectente sub titulo hispano *Sol deficiens, &c.* Mexici, apud Joannem Josephum de Guillena Carrascoso 1701. in quarto.

Quæ porrò expiscari nobis licuit Mss ex Academiæ Annalibus hæc sunt:

Tractatus de Scientia Dei.

Tractatus de Divina Scientia Media.

Tractatus de SS. Trinitatis Mysterio.

Tractatus de Angelis.

Tractatus de Virtutibus.

Tractatus de Peccatis.

Tractatus de Gratia actuali.

Tractatus de Divini Verbi Incarnatione.

Tractatus de BB. Virgine Maria.

Reliqui, quos è suggestu dixit, nos prætereunt, libros evolventes Scholæ, ab anno 1670. ad 1715. è quibus relatos hactenus aucupati sumus. Nec à se duntaxat elucubratis profuit Opusculis, sed verò etiam alienis, de re publicâ multum propterea meritus: Curavit siquidem ut opus immortale à Ludovico Bezerra Tanco eruditissimè concinnatum atque editum, postea verò auctum, nec cum additionibus adhuc excusum, *De mirabili Guadalapanæ Mexiceæ Deiparentis Virginis Apparitione,* eo è vivis abeunte, typis denuò prodiret Mexicanis, cui etiam Nuncupatoriam Procemiumque dedit, in quibus quanto adversus Purissimam Deiparentem afficeretur amore indicat satis. Prodijt liber ex Officina Viduæ Bernardi Calderon 1675. in quarto, de quo multa in *Ludovicus Bezerra Tanco* habemus dicenda.

Meminit Nostri P. Julianus Gutierrez Davila in Vita P. Barciæ pag. 231. n. 194. & Plaza in Chronicis Universitatis multis in locis. P. Florencia in Historia Guadalupanæ Virginis, cum alibi, tum num. 186.

270 D. D. ANTONIUS GARCIA, Natione Mexicanus & Patria, apud Regium Divi Ildefonsi Collegium, quod regimini subest Societatis JESU, alumnus, & Maximum ejusdem Societatis, & Universitatem frequentavit, institutusque Romanis litteris, atque Aristotelicis disciplinis, Philosophicâ insignis laureâ, albo discentium Jura adscribi voluit, sedulam amplissimæ Facultati operam

ram navaturus. Ingenio præditus haud exiguo, magnoque adversus sapientiam amore, quam auspicatus fuerat, exegit feliciter viam, cujus ad metam apices Doctoratus in Jure canonico petivit tenuitque, plaudentibus Academicis Magistratibus, nec secus ipsum excipientibus SenatoribusRegijs, pro agendis apud Mexiceum Areopagum causis fuit destinatus. Fori juxtà assuetus negotijs & Scholæ dissertationibus, dignus habitus est Octovirorum judicio (qui dignitate prętantes & litteris, pro Cathedrarum honoribus ad justam distribuendis lancem à Rege instituti sunt) ut Primariam Juris civilis quadriennio regeret, cui subinde cogitationes suas impendit & conatus, non pœnitendo auditorum profectu. Porrò altiora occupaturum pro meritis subsellia mors intercepsit, demessuitque uberiorum fructuum spem. Scripsit quod à Codicibus Academicis erutum exhibemus,

Commentarium in titulum de Legitimis successionibus.

Reliquitque in Schedis

Juris Allegationes Prælectionesque varias.

271 F. ANTONIUS GODINES, Natione Mexicanus, Zamorę Michoacanensium ortus, nudipedis S. Francisci alumnis Provinciæ, quæ à S. Didaco nominatur, Mexiceæ, professione junctus, litteris & moribus clarus, triennium posuit in docendâ Philosophiâ, mox verò totis annis 12. Theologicæ Cathedrę incubuit regendæ. Provincialis etiam munere clarus fuit, teste Medina in ejusdem Provinciæ Historiâ pag. 66. n. 216. Scripsit

Cursum Philosophiæ,

Et

Tractatus Theologicos, à Sodalibus inter manu exarata Opuscula requirendos.

272 ILLMUS. D. D. ANTONIUS GONZALEZ DE ACUÑA, Natione Peruanus, Limæ ortus insigni Americæ Meridionalis principe Civitate, ad Septentrionalis tádem Americę Domicilium translatus, quòd secundum politicam Geographiam ad Nostros spectet Provincia de Caracas in Insula Venezuela appellata, cujus Ecclesiæ Pontificalibus fuit infulis initiatus: Apud natale solum Ordinem Prædicatorum in Conventu SS.Rosarij LimensisProvinciæ nuncupatis votis sibi delegit, Doctorisque in Sacrâ Theologiâ apice insignitus in percelebri Universitate Limæ florente, ejusdem Cathedras moderatus, in Catholici Regis nostri Curiam Procurator dimittitur. In ea dum ageret, Deffinitor Provincię à Sodalibus destinatur, proptereaque Romam transfertur. Eximiâ ut erat in negotijs tractandis peritiâ, & cùm Scientiâ alijs florebat dotibus multis, statim ab Ordinis Generali Magistro admodum R. P. Joanne Baptista de Marinis tanti est habitus, uti so-

cium

cium ipſum adlegerit pro rebus ad Indiarum Occidentis Provincias opportunè expediendis, quam itidem ornavit ſpartam Dominicanorum clavum tenenteM. Joanne Thoma de Rocaverti, viro meritis æque ac purpurâ deinceps Eminentiſſimo, qui proximè Marinis ſucceſſit. Comitijs Ordinis generalalibus bis interfuit cum jure ſuffragij Limenſium nomine Sociorum. Vertebatur per id temporis in Romana Curia arduum de Canonizatione florentiſſimæ Virginis S. Roſæ à Sancta Maria, Limenſis, negotium, quod ut fauſtè & ocyus expediretur, inſtitit profuitque multum pro Dei gloria Americæque eximio decore. Ubi hæc egerat, à Catholico Rege deſtinatus Epiſcopus Caracenſis, initiatus Romæ Menſe Novembris 1670. anno ſequenti iter arripuit Eccleſiæ demandatæ ſibi invigilaturus. Alia inter, quæ in ea geſiſſe ambigimus minimè, nos tamen latent, admodum clara, id compertum habemus, inſtitutum à ſe Collegium à Sancta Roſa Limenſi nuncupatum, quod ætate demum noſtra, unitum ſcimus Regiæ ac Pontificiæ Univerſitati eximio Reipublicæ bono inibi conditæ, procurante in primis id operis D. D. Franciſco Martinez de Porras. Noſter typis exhibuit, quæ ſubnectimus opera latio ſermone.

Compendium admirabilis vitæ Roſæ de Sancta Maria Limanæ, Ordinis S. Dominici, ex prolixiori vita à Fr. Leonardo Hanſen anno ſuperiori edita contractum. Romæ typis Tinaſſij 1665 in 32. pp. 148. Editio 8. prodijt Romæ 1672. in octavo. Eadem gallice reddita prodijt Avenione 1668. in 16.

Ejuſdem S. Virginis vitam hiſpano fuſſiore ſcriptam ſtilo paratam habuiſſe apud D. Nicolaum Antonium in Bibliotheca Hiſpanię Novâ pag. 96. tom. 1. & *Scriptores Ordinis Prædicatorum* legimus ad annum 1681. pag. 692. tomi 2.

Bullarium Confraternitatum Ordinis Prædicatorum. Romę, typis Cameræ Apoſtol. 1668. in quarto pp. 207. apud *Scriptores ejuſdem Ordinis* mox citatos.

Summarium Privilegiorum Ordinis Prædicatorum *à S. Sede Apoſtolica conceſſorum ab anno 1216. quo ordo fuit confirmatus, ad 1669.* Romæ eiſdem typis 1670. in quarto. Acceſſit

Status Cauſarum Beatificationis & Canonizationis Servorum Dei & Beatorum ejuſdem Ordinis è Regiſtris S. Rituum Congregationis excerptus, pagg. 212. Huc uſque relata extare Romæ in Caſanatenſi Dominicanorum teſtantur Authores Ordinis ejuſdem Scriptorum annales texentes. Hiſpano autem idiomate publicavit

Teſtimonium ad R. P. Ordinis Prædicatorum Generalem Fr. Joannem Baptiſtam de Marinis. Matriti, 1659. in quarto pagg. 447. quod aſſervari Pariſijs apud Dominica-

nos ad S. Honorati ijdem sunt Authores.

Paratam prælo habuisse

Historiam Generalem Provinciæ S. Joannis Baptistæ Ordinis S. Dominici, testis est D. Nicolaus Antonius citato loco, & ipsam Mss allegare Fontanam in Theatro pag. 606. Critici Galli citati hactenus docent.

Italico idiomate, ejusdem Nationis usus Interprete, ut Socios suos Missionarios instrueret, Visitatorem agens & Vicarium Generalem Provinciarum Regni Neapolitani, edidit

Brevem S. nostræ Fidei Catholicæ explicationem. Neapoli, ex Officina Novelli de Bonis 1662. in 12.

D. Nicolaus Antonius meminit Operis alterius hispana lingua, quod subterfugit citatos Gallos, nempe,

Compendium Historiæ Provinciæ de S. Joanne Baptista Peruviensis, Ordinis Prædicatorum. Matriti 1660. in quarto.

273 F. ANTONIUS GONZALEZ, Natione Mexicanus, in Oppido Janhuitlam Episcopatus de Goaxaca, parentibus Andreâ Gonzalez, & Maria de Zepeda legitimè genitus, & christianis moribus educatus, ad S. Dominici de Antequera Prædicatorum Ordinis institutum ambibit, religiosisque votis se Deo mancipavit 11. Junij anno 1689. Liberalibus artibus eruditus & Sacra Theologia, ubi Presbyter ordinatus evasit, pro instituendis Indis Nationis Mistecæ à Superioribus fuit electus. Callebat quidem gentis idioma, cui cùm observationes junxerit accuratas, strenuamque praxim, primos inter Magistros habitus est. Prædicatoris generalis titulo in ea lingua insignis, multas familiæ Domos Prior Vicariusque rexit. Ut quam nactus fuerat spartam multis ornaret, librum in octavo conscripsit hoc titulo hispano, cœterà idiomate Misteco:

Versio Catechismi hispani P. M. Hieronymi de Ripalda Societatis Jesu in Linguam Mystecam. Accedit Epitome præcipua exhibens nostræ Catholicæ Fidei Mysteria, & methodum pro sacro Viatico Indis in eo idiomate ministrando. Angelopoli, ex Typographia V. Michaelis de Ortega 1719. in Octavo.

274 D. ANTONIUS GONZALEZ LASO, Natione Mexicanus, Angelopoli natus, Parochiam Urbis admodum claræ & fidelissimæ Tlascalensium jure proprio ex collato sibi titulo rexit, quo usque in Capitulum Cathedralis Angelopoleos à Rege vocatus, ejusdem insignitus Præbenda fuit. S. Inquisitionis Officij Commissarium egit. In dicendo è superiori loco conspicuus, frequenter, nec sine plausu, conciones habebat, è quibus nonnullæ evulgatæ sunt typis idiomate hispano conceptæ, scilicet

Oratio panegyrica in translatione cinerum V. viri Didaci à Sanctis

ctis Ligero, apud desserta Tlascalæ heremiticam vitam professi, cui Author fuerat à sacris Confessionibus. Angelopoli, ex Officina Viduæ Joannis de Borja 1657. in quarto.

Oratio panegyrica de Purissimâ Deiparentis Virginis Conceptione.

Oratio panegyrica de Proto-Parente Divo Petro.

Oratio panegyrica S. Philippi Nerij.

Oratio panegyrica B. Ritæ de Casia.

Authoris unà cum datis Opusculis certos nos fecit D. Didacus Bermudez de Castro in Mss de Scriptoribus Angelopolitanis, testatus istos sermones typis excussos, è quibus prçter primum, cœteros invenire non potuimus.

275 ILLMUS. D. D. F. ANTONIUS GUADALUPE LOPEZ PORTILLO, Natione Mexicanus, in Diœcesi Guadalaxarensi, seu Nova Gallecia, parentibus, multis familię stemmatibus admodum claris genitus, piè juxtà & liberaliter educatus, Mexicum amittitur litteris excolendus. Alumnus Collegij S. Ildefonsi Grammaticam haurit Philosophiamque à Magistris Societatis JESU apud SS. AA. Petri & Pauli Maximum Gymnasium eas profitentibus: Academiam insimul frequentat, & exactis prçscriptis curriculis, laureâ donatur, anno ętatis 12. bienniumque proximè consecutum Theosophiæ inchoandis studijs impendit. Ad propria reversus, brevi ita se eis abdicat omnibus, ut ne quidem illustria reservet stirpis cognomina, nobilissimum longè adsciscens sibi à Deigenitricis Imagine, veteri apud nostrates religione signisque prçclarissimâ, nuncupatâ de Guadalupe. Tum Seraphicam Provinciam Divi Jacobi de Xalisco Guadalaxarensem conceptis sacris votis aggreditur, moxque data ulterius Theologicis operâ talis tantusque evadit, ut, post Philosophiam, ipsam è Cathedra doceat Sodales (è queis multi insignes doctrinâ, Familię plures annos ornatui fuere) donec Emeritus renunciatur. Interea prudentiam moresque Religioso dignos doctrinæ ita sociat, ut Custos & Pro-Minister Romam destinetur ad Comitia Ordinis generalia, coram Sanctissimo Patre Innocencio XIII cogenda. Interest ipsis cum jure suffragij, tantique à Superioribus dein habetur, quod multis in Ordine augeatur honoribus: Romę quidem à secretis Curię deligitur, hinc Indiarum in Hispania, & totius familię Franciscanæ: ad hæc omnibus Provincijs Pater datur, quę eximia quidem domestica decora.

276 Porrò extraneis quoque fulget clarissimis, sacri Pontificij Solij Princeps, Domini nostri Papę à SS. P. N. Benedicto XIII Domesticos inter Prçlatos adscitus, & à Catholico Rege nostro Philippo V pro ditione Comaiaguensi Episcopus præsentatus, & à Consilijs assumptus. Muneri ut sa-

ſatiſfaciat, Americam repetit, ſuæ que Eccleſiæ regendę ſiſtitur, nullumque non movet rudentem, ut ipſam ad antiquorum Patrum normam exactiſſimè moderetur. Horis canonicis in choro Cathedralis Eccleſiæ perſolvendis adeſt ita aſſiduè, ut qui nihil præterea curare videatur, cùm tamen procurandis innumeris rebus totus incumbat. Singulis dominicis diebus populo catechiſmum tradit, ſolennioribus autem feſtis, & quadragenarij jejunij tempore concionatur: pœnitentiæ alia que Eccleſię Sacramenta & ſanis & lue etiam correptis miniſtrat. Templa eggreſſus ædificare quatuor, mirum quantum & laboraverit & expenderit in tantâ proventuum inopiâ, qui vix pro alenda familia ſufficerent, Deo ipſi opes pro his miniſtrante, quę glorię ſuæ, & publico profutura erant commodo; nempe Eccleſiâ eique juncto Valetudinario S. Joannis de Deo; Cœnobio Parentis ſui S. Franciſci, quòd in Oppido Theuſigalpa corruerat, atque ejus Templo; item quod pro augenda adverſus Beatiſſimam Deiparentem religione, ſub titulo Charitatis à ſe excitato, multa argentea ſuppellectile dives fecit; atque etiam Collegio Seminario, juxtà ſacroſancti Tridentini Concilij ſanctionem pro inſtituenda juventute à ſe itidem erecto, & cùm Sacello ſacriſque paramentis ornato, tum etiam Magiſtris inſtructo, qui & virtutem & litteras Diſcipulis traderent.

277 Nec propterea minus adornandi ſolicitus Cathedralem ſuam, egregijs ex argento donarijs pro Dei cultu augendo inſignivit eam, multiſque conſtructis operibus locupletavit. Quòd verò nil antiquius haberet, quam idoneos docendis populis miniſtros excolere, Clericos juvenes alioſque efformandos litteris ſic ſuſcepit, ut quotidie in Palatium convenientes, aut Grammaticam doceret, aut in Philoſophicis erudiret, aut Moralis Theologię fundamentis doctriniſque imbueret, è quibus multos deinceps Præceptores Diœceſis egregio fructu ſibi gratulata eſt, Collegiumque nactus. Familiares ſic inſtituit, ut religioſis illos tyronibus quam ſimillimos diceres, quibus cum quotidie meditationibus ſacris vacabat dimidiâ, priuſquam ad aras faceret, hora; alterâque Myſterijs peractis, dimidiâ; nocturno autem tempore unà omnes virgineum dicebát Pſalterium. Commune & ipſi triclinium & cœteris, pia ſemper conditum lectione, cui opportunas ſubjungebat animadverſiones. Erga Deiparentem amore fervens, oviumque demandatarum ſibi ſalutem procurans, has in illam devotas ut redderet, publicas inſtituit pro canendo Roſario ſupplicationes, quibus & ipſe intererat, exemplo præiturus in his quæ docebat. Longè tamen operoſius agebat vi-

visitationi deditus Provinciæ, quam, nulli parcens labori, lustravit, Paganos attingens conterminos, donis genti pergratis ipsam allectans ad sacra nostra moribusque humanissimis. Singulis in id locorum diebus conciones ad populum habebat morales, excipiendis venientium ad se sacris confessionibus aderat in Parochia, languentibusque animabus dexterrimè medebatur.

278 Publica ut averteret offendicula, nullum non movebat lapidem, paternis hortationibus, cum negligeretur à sontibus, reprehensiones addens, & severè in illos animadvertens. Pauperibus subveniebat, invisebat ægrotos, miseros solabatur, nullisque auxilio deerat, quod impendere cunctis solenne habebat, seu in Urbe & sede sua quiscere videretur, sive Provinciam undique circumiret. Atque istis deditum luctuosissima suis, sibi verò felicissima mors invenit, quam ominari licet ex transactâ religiosissimè vitâ, die 6. Januarij 1742. Parentatum ei fuit non modò in Ecclesia sua, & in Provincia de Xalisco à Sodalibus Franciscanis, quorum nomine & voto floridissima juxtà & funebris habita declamatio, typis est edita; sed etiam Goatemalæ in Collegio Societatis JESU, Magistris ex ipso sapientissimis & latina & hispana oratione res ejus gestas graviter prosequentibus, ejusdemque nepote D. Francisco Lopez Portillo, Guatemalensis Urbis Senatore perpetuo, pompam solennissimam accurante, quæ unà cum dictis orationibus prodijt Mexici, typis Viduæ Josephi Bernardi de Hogal 1743. E multis porrò, numeris omnibus absolutis elogijs, queis ornatus patuit tumulus, placet transcribere pulchrum, quod subjungimus

EPITAPHIUM:

Quos clausit moriturus ARGUS, aperi, Viator, oculos.
Una centum nocte ocupante:
Mille uno quoque specula clarent admirationi.
Tanto funeri præficæ adstant VIRTUTES.
Omnes regnarunt in vivo, omnes lamentatur in mortuo.
Prima hac lege lachrymas indicit JUSTITIA,
ut in justis solvendis
Injustus nullus sit mœstitiæ, aut luctûs excessus.
Privatus sæpe cum vitio, bonus Princeps cum virtute lugetur.
Medium in lachrymis exulat à PRUDENTIA,
Cùm si aliæ Virtutes Principem,
lugeat ipsa perdidisse Magistrum.
Pastoris exitum sine fletu stupor præfert, minimè Fortitudo:
quo sæpius hæc steterat, in tumulo plorat cadentem.
Et nisi ab illo armata,
Vires vel ipsi Virtuti præ dolore deficerent.
Temperantia, quæ in alijs Virtus,
ita in Pastore natura visa est,

*ut de cardine exiliens tumulo conse-
pulta videatur.
Exanimis Argus cunctorum fletu dig-
nus cum sit,
ne Temperantia quidem temperare
valet à lachrymis.
Nec ideo in vitium virtutem dege-
nerare existimes:
Temperantia enim est
pro tanto amisso Principe vel ipsius
fletus intemperantia.
A Pietate authoratum ne dubita,
qui in tanta casuum redundantia
non alios quam pietatis hostes sibi
legerit impugnandos.
Deo devinctissimus Princeps,
ita illi omnes suos agglutinavit af-
fectus,
ut nullus nisi in Deum.
Illatis læsus injurijs eum ubique re-
veritus præsentem,
quotidie ad Aras immolabat Sacerdos.
E Seraphico Ordine Comajaguæ evo-
catus ad infulas,
nescias an Monachi partes accura-
tius expleverit,
an Episcopi.
Æque namque Monachos inter ac
Episcopos docuit,
omnia virtutem agere, omnia posse
etiam tolerare.
Usque ad naturæ negligentiam
propriæ oblitus fortunæ, memor virtu-
tum
Divinitati propiores sic dilexit,
ut eas non tam induisse, quam in has
abijsse totus sit visus.
Unde meritis plenus cœlesti Regno
jam maturus,
duos supra sexaginta annos agens,
Ecclesiasticis Sacramentis munitus,
ac larvis infernalibus factus terribilis,
Æternè victurus
ingentem Virtutum exercitum
secum duxit in Cœnotaphium.
Illmûs. scilicet, ac Rmûs. D. M. D.
Fr. Antonius de Guadalupe Lopez
Portillo, Regalis & Antiquioris D.
Ildefonsi Imperialis Mexici Urbis
Societatis Jesu Collegij olim Alum-
nus: Jubilatus Lector, Custos, Pro-Mi-
nister D. Jacobi de Xalisco Guada-
laxarensis Provinciæ Parens; Ad Ge-
nerale Capitulum, quod Romæ coram
Sanctissimo P. N. Innocentio XIII.
Universa Seraphica Familia congre-
gavit, Vocalis: In eodem Orbis Ca-
pite à Secretis Curiæ, deinde India-
rum in Hispania, & totius Ordinis:
Cunctarum Provinciarum Pater, Re-
gis à Consilijs, Sacri Pontificij So-
lij Princeps, Domini Nostri Papæ à
SS. P. N. Benedicto XIII. Do-
mesticus Prælatus; Comajaguensis An-
tistes, Fidei, Spei & Charitatis suæ
æternam mercedem hoc sub lapide
præstolatur.*

Scripsit, quòd sciamus, quam P. Nicolaus Prieto Societatis JESU in Oratione funebri à se habita & edita, typis excussam fuisse testatur

Epistolam ad Sanctissimum, cujus hactenus copia nobis non fuit.

Constitutiones pro regimine Seminarij Collegij Comajaguensis,

Quarum meminit R. admodum P. Fr. Franciscus de Torres, Seraphicæ alumnus Familiæ, in Concione funebri à se habita pro exequijs Nostro ductis à Sodalibus Guadalaxarensibus; quæ Ora-

Oratio unà cum mox citata P. Nicolai Prieto, & latina à P. Joanne Garcia de Alva elucubrata, res ab Illmô. gestas nobis suppeditavit. Scripsit præterea

Philosophiæ Cursum ad Subtilissimi mentem Scoti elaboratum.

Tractatus itidem *Theologicos varios*, Mss à Discipulis suis & Socijs habitos in scrinijs.

Conciones similiter Mss.

279 P. ANTONIUS GUAXARDO, Natione Mexicanus, in Oppido Diœcesis Guadalaxarensis vulgo Saltillo apud Novam Galleciam natus, Societatis Jesu Instituta professus, in ejusdem Collegio Urbis S. Ludovici Potosini denatus, alios inter à se elaboratos Codices ibi relictos Mss, condidit idiomate hispano

Tractatum de Mirabilibus Christi Domini è Cruce pendentis Imaginis apud Zacatecanos eximia habitæ religione, ut Author nobis est D. Josephus de Ribera Comes S. Jacobi de la Laguna in *Descriptione Urbis Zacatecanæ* à se edita Mexici, typis Josephi Bernardi de Hogal 1732. in quarto, Nostri memoriam faciens pag. 80.

280 P. ANTONIUS GUILLEN DE CASTRO, Natione Mexicanus, in celebri Zacatecanorum Civitate ortus, Mexici floruit Præsbyter Congregationis Oratorij, vir multis commendandus nominibus. Latinitate instructus in Patria, pro addiscenda Philosophia solum mutavit, quam hausit à P. Alphonso de Arrivillaga Societatis JESU, eam profitente in Maximo Collegio Mexiceo, cui charus admodum fuit ob insignes in illa progressus virtutum exercitationibus associatos. Theologiæ operam navavit in Universitate, Præceptoribus, alios inter utique claros, D. Joanne de la Peña Butron, Primario, & D. Joanne de Narvaes, Sacrorum Bibliorum Interprete, in quorum studio non minus quam in Scholasticę Theosophiæ apicibus abundè profecit, adeò ut destinatus fuerit pro defendendis Scripturarijs thesibus in maxima Academica Aula, pro quibus parandis multum operę posuit, quam & oleum, ut dicitur, non amisit, &si adversis præpedito casibus qui futurus erat Præses Narvaes, frustrata res fuerit. Insignitus gradu Baccalaureatus, Doctoris etiam infulas accepisset, ni è vivis ereptus is fuisset qui æs suppeditaturus erat, quo ille abundaverat nunquam.

281 Sacerdos factus, virtutibus excolendis unà cum libris deditus, Concionatorque, invitus licèt, factus, Oratoriæ excolendę perdius pernoxque incubuit, dies noctesque traducens uti ad praxim Artem revocaret, quam sibi exprimendam proposuit editam ab insigni Peruano Fr. Martino de Velasco, Seraphici Ordinis, & majorem partem ad regulas conformatam, quas ingeniorum vertex S. Augustinus præ-

præfixit. Hercle, rem è sententia & voto ei succesisse scripta indicant plurima, quæ ad normam istam delineata reliquit, subindeque pulcherrima se legentibus offerunt. Multo cum Sapientum plausu è sacro suggestu dicens exceptus, à P. Doctore Joanne de la Pedroza, qui id temporis Congregationi S. Philippi Nerij, præerat expetitus rogatusque ut se illi Instituto conjungeret, non quidem statim acquievit, sed opportuno dein tempore, quo illi sufficiendus erat in tradendâ è superiori loco sacra doctrina: nam Venerabili viro Pedroza ad cœlestia translato, quam multis retrò annis provinciam obierat concionandi singulis Dominicis diebus, in se suscepit, totoque decennio lustravit, egregijs sermonibus habitis pro Christianarum rerum elucidatione; siquidem & Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum ita explanavit, ut plurima posuerit ob aures, quæ oculis lectorum summatim infra à nobis innuenda sunt scripta ejus enarraturis. Sanè, quòd ut edita, similiter inedita cuncta, quæ multoties evolvimus, tanta scateant eruditione, arteque consistant egregiâ, ingenium hominis magnum quidem, & studium non minus ostendunt.

282 Quidquid supererat temporis ab audiendis confessionibus & alijs PP. Oratorij exercitijs lectioni dabat & scriptioni. Et quòd ad sacras attinet Litteras, quamvis multos occasione data Patres consuleret & Interpretes, unum sibi Magistrum quotidiano studio præfixerat P. Cornelium Cornelij à Lapide, Societatis Jesu clarissimmum sidus, cujus multa mole volumina omnia semel iterumque à capite ad calcem perlegit, evolvevatque quam sæpissimè, adeo ut Indicem fermè ageret animatum pro tantis tamq̃ diversis & dissitis rebus inveniendis, quantæ in omnigenâ refertis eruditione voluminibus continentur. Gravioribus istis studijs matutino tempore collocato, vespertinum haud ita difficilibus constituerat, quod subinde Historiæ dabat cùm Ecclesiasticæ, tum etiam Prophanæ, quam indictis sub noctem colloquijs cum Sodalibus aliquibus communicabat, propterea eruditissimus ea etiam in parte. Quòd autem Theologiam spectat reliquam, fuit nulla in qua non multum floruerit, ejus ut scripta indicant, passim dogmata moresque & spiritum concernentia, atque scholæ controversias, ubi opportet, indigitantia, in quibus tamen adeo erat vel in ultima promptus ætate, ac si quotidie ageret palæstritam, cujus experimentum fecimus in Academia apud Congregationis ædes vigente, cùm indictis gravioribus solito & solennioribus dissertationibus, invitatus ad dicendum & ipse, presse

&

& ſubtiliter ratiocinabatur apicibus, quos Logici præſcribunt, obſervatis atque minutijs pro ſillogiſmis, queis arietibus concluſiones quatiebat, gravi quidem & negotium faceſſente momento.

283 Porrò ſtylum, pro concionibus familiaribus etiam, abjectum adhibere in uſus haud poterat, qui cothurnis aſſuetus pedes ire ferebat ægrè; ut tamen arte eminebat atque prudentiâ, ſublimi utens pro argumentorum majeſtate, medium infimumque ſuis apte collocabat in locis, nunquam paſſus citra Rethorum normam eloqui, qua de cauſa, & ſi frequentiſſimè dixerit è ſuggeſtu, numquam non paravit ſcripto dicenda, niſi cùm impedito Sodali qui per novem continuos dies in honorem Servatoris noſtri erat concionaturus, in ejuſdem locum ſuffectus pridie fuit, nec licuit in auguſtijs tantis ſcribere;cæterà biduo conſcribebat, quem Dominica die habiturus erat ſermonem, ſucurrente promptè memoriâ ſuggerenteque eruditionem, quam ſibi in penu ditiſſima repoſuerat. Tot litteris politiſſimis pretiotiores longè virtutes adjunxit, quas à juventute cultas, multo magis Sacerdotio inſignis & Oratorij inſtituta ſectatus excoluit. Hęc ut inducerentur in mores pro ut in Vallicellana PP. Congregatione à S. Parente Philippo fuerant inducta, egregiè juvit clariſſimum virum P. Petrum de Arellano & Soſſa, quo Mexicanam regente ab Innocentio XII Pontifice Maximo ad inſtar Vallicellanæ fuit conſtituta. Quotidie ad aras faciebat devotè quidem, at non prolixè; orationi alijsque nocturnis pijs exercitationibus aderat; confeſſiones excipiebat, concionabatur, cæterasque quas Regulæ pręſcribunt functiones agebat, Dei in omnibus gloriam animarumque ſalutem procurans. Hinc eximio in illis ad pietatem formandis zelo emicabat, eductis â peccatorum vinculis inſtructiſque in Fidei myſterijs, quæ ſatis explicatè & doctè trahebat. Conſulebatur à multis de conſcientiæ negotijs, quibus, qua erat & doctrinâ imbutus & ornatus prudentiâ, eximiâque præditus comitate ſatiſfaciebat. Aſſiduus in laboribus, ſemel per dies aliquot in anno inducias capturus & quietem, in Sanctuarium Guadalupanę Deigenitricis imagine celeberrimum Mexico proximum ſecedebat, ſuas in colendâ Dei Matre delicias reponens, Clericis interea Oppidi familiaris, & utilis in ſolvendis ſibi pro enodatione propoſitis dubijs. Honeſtos ſemper præ ſe tulit mores,quotidianâ conſuetudine nulli gravis, dilectus, ut dicebatur,Deo & hominibus. Paupertatem adamavit,exiguis,quę ſibi obtigerant, contentus redditibus, veſte cæteriſque religioſum decentibus virum. Humilitati verò tam fuit addictus, ut quamvis alia Congregationis munera

 obie-

obierit, Præpositus ejusdem electus, id honoris illico recusaverit, nec ullis precibus ut acquiesceret suffragrantibus, adduci potuerit. Tandem febri correptum, quæ multoties ipsum in vitæ discrimen deduxerat, mortalem cum æterna luce piè credimus commutasse, Sacramentis munitum, die Sanctis omnibus devotâ anno 1716 ætatis suæ 54 ab adita Congregatione 16 mœrentibus in primis Sodalibus, à quibus acta demore parentatione, subter aram maximam collocatus fuit.

Scripta quamvis sua prælo subduxerit, Amico ejus & Congregationis amantissimo, viro nobili juxtà ac diviti D. Joanne Baptista de Arozqueta, sumptus oferente pro editione eorum, quæ in Catechismi illustrationem tradiderat; posthuma excudi cæperunt quo tempore benefactor ille ad plures abierat, duobusque tomis evulgatis operâ Sodalitatis Doctrinæ Christianæ in Ecclesia Oratorij jam pridem stantis, Præfecturam ejus agente P. Josepho Hurtado de Mendoza, Congregationis quondam Præposito, viroque pijssimo; ære deficiente reliqui in Schedis mansère. Porro universum Opus Catechisticum in tomos 8. partitum est, quorum indicem exhibebimus incipientes ad editis hispano sermone & hocce titulo.

Excitator Catechisticus, dogmatica moralisque Christianæ Doctrinæ expositio. Tomus primus Conciones amplexus Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & tres priores Symboli Apostolorum Articulos explanantes. Mexici, typis D. Mariæ de Ribera 1734. in quarto.

Tomus secundus continet primam partem Concionum pro aperiendo articulo quarto Symboli Apostolici & Passionis Dominicæ ab oratione Servatoris in Horto ad Calvariæ radices usque. Mexici, ex eadem Officina 1736. in quarto.

Extant etiam impressæ Conciones novem paginis 144. quæ priores sunt tomi 4. quarum exemplaria sunt aliqua, admodum tamen pauca, quoniam cùm progredi ulterius non valuerit editio æris defectu, fragmentum illud libri publicare minimè visum fuit ijs qui illum cœteros que Authoris curabant, & qui existimantes operæ pretium fore in festinatione, quartum aggressi sunt tomum in alterâ Officinâ alteris typis cudere, ut simul cum tertio prodiret, his ipsis edendo litteris quibus cudebatur secundus, qui ut absolveretur in proximo erat. Extant tom. 46. Coll. nostræ.

Tomus tertius exhibet secundam partem Concionum pro eodem articulo quarto explanando, & Passione Dominica ab Ascensu in Calvariæ montem usque ad Sepulchrum Domini, ponderatis unà Purissimæ Virginis & Matris doloribus, quos passa est juxtà Crucem Filij, ejusdem funus prosequuta, ipsoque orbata. in quarto.

Tomus quartus amplectitur pro ex-

exponendo articulo quinto Conciones, in quibus quatuor subterranei recessus, seu Inferna loca luce donantur, & latius Purgatorium expiandis animabus cœterà justis destinatum ostenditur, ac demum redivivus Christus Dominus salutatur. in quarto.

Tomus quintus explicandis sexto & septimo articulis parat Conciones, in quibus Ascensio Domini, ejusdem in Cælo thronus, novissimus in terras pro Universali Judicio adventus, Anti-Christi tempora, Mundique consummatio explicantur. in quarto.

Tomus sextus ut octavum articulum Fidei expendat, totus in tertia Augustissimæ Triados Persona insumitur: Spiritusancti Donis explicatis & Fructibus, & quæ contra ipsum peccata nominantur ob oculis positis. in quarto.

Tomus septimus idemque pars prima declarationis articuli noni, Sanctam Ecclesiam, ejusdem signa mysteriaque plurima bono in lumine collocat, & deinceps Sacerrimum Missæ Sacrificium minutatim aperire incipit. in quarto.

Tomus octavus isque Pars secunda explicationis ejusdem articuli noni, quæ reliqua sunt sacrosanctæ Missæ arcana ad finem usque reserat. Tum Sanctorum Communionem expendit, ac demum qui supersunt Symboli Apostolorum articulos expensos lectoribus offert. in quarto.

In singulis porrò concionibus Christiana ita dogmata explicat, ut ex ipsis argumentum ad instituendos mores deducat, quod eloquenter juxtà & doctè prosequitur Rhetorum ornamentis & flosculis amœnissimis, Ecclesiasticum Oratorem decentibus, in primisque Scripturarum testimonijs & Sacrorum Interpretum sensibus, sic ex arte dispositis, ut delectet suavissimè, insimulque potentissimè moveat ad virtutes sectandum, fugiendumque vitia.

Prædictis annectendi sunt tomi sequentes.

Sermones panegyrici de Mysterijs Christi Domini, de Beatissimâ Virgine Deiparente, & de Sanctis. Tom. duo in quarto.

Conciones multiplicis argumenti ad efformandos mores. in quarto.

Exhortationes ad Sodales domesticæ in Congregatione, ut dicunt, culparum sub uno omnes themate à Rationali prisci Sacerdotis Aaron deprompto. in octavo.

Codices istos Mss omnes multoties evolvimus, Authoris eruditionem & eloquentiam semper mirantes, sineque fastidio, imò cum voluptate aliquas tertium etiam legentes conciones. Habentur in Tabulario Congregationis Oratorij Mexicanensis. Authoris vitam erudito delineatam calamo invenies apud *Monumenta historica* dictæ Congregationis, à P. Juliano Gutierrez Davila elucubrata parte 3. lib. 4. à capite 4. ad nonum, à pagina 209. ad 225. Ejus quoque, nec sine debito elogio, meminit in *Descriptione Urbis Zacatecanæ* p. 61 eruditus Comes S. Jacobi de la Laguna D. Joseph de Ribera Bernardez,

dez, qui tamen sex tomos operis Catechistici enumerat, ductus notitiâ, quam eo tempore accepit, quo nondum recognitæ fuerant omnes schedæ, quibus dein scrutatis, omnes quas enumeravimus, inventæ sunt, plures autem distractæ, vivente mortuoque Authore, desiderantur.

284 F. ANTONIUS DE HARIZON, Natione Hispanus, Patria nobis ambigua, Mexicanus Domicilio, quòd in Provinciam S. Evangelij Ordinis Seraphici sese dederit, in qua, post emensos Lectoris Philosophiæ & Theologiæ curriculos, Emeritus audijt, & Guardianus ut dicunt, datus multis Cœnobijs, Provincialis electus, suoque muneri incumbens obijt, reliquitque patrio scriptas idiomate conciones.

De Verbi Divini Incarnatione & conversione Mariæ Magdalenæ. Mexici, typis Michaelis de Ribera 1706. in quarto.

De Sancto Parente Dominico Ordinis Prædicatorum Institutore. Mexici, ex Officina Viduæ Michaelis de Ribera 1712. in quarto. Extat tom. 100. Collect. nostræ Mss quæ non ambigimus plura fore, latent nos, quibus enarrandis admoveremus calamum libentissimè.

285 D. ANTONIUS DE HEREDIA, Natione Mexicanus, Patria Angelopolitanus, Professione Medicus, eruditione multâ conspicuus & variâ, in Poetica præsertim effloruit, pluraque composuit, è quibus publicam aspexère lucem,

Triumphalis machina Angelopoli erecta pro excipiendo Novæ Hispaniæ Pro-Rege D. D. Ferdinando de Lencaster Noroña & Silva, Comite de Linares, seu Pax armata Aristei Pastoris prudentiâ.

Enarratio velitationum, quas Angelopoli milites in plausum recèns nati Ludovici Hispaniarum Principis instituerunt.

Edita isthæc opuscula docet D. Didacus Bermudez de Castro in Scriptoribus Angelopolitanis, quæ Mexici hactenus latent nos. Alia insuper multa Mss esse idem testatur, quæ vidisse nobis in comperto est.

286 FR. ANTONIUS A S. HIERONYMO, Natione Hispanus, apud Almansam novæ Castellæ Villam exortus, austerioris S. Francisci Observantiæ Provinciæ S. Didaci Mexicanæ alumnus & Deffinitor, Lectoris functus munere Philosophiæ, & per annos aliquot etiam Theologiæ, ætatis suæ 39. Primarium agens Antecessorem in vivis esse desijt, reliquitque apud Discipulos Mss.

Cursum Philosophicum,

Et

Tractationes Theologicas.

Ejus meminit F. Balthasar de Medina in Chronic. memoratæ Provinciæ nudipedum S. Didaci fol. 66. n. 216.

287 M. F. ANTONIUS DE HINOJOSA, Natione Mexicanus, seu, ut legitur in Scriptoribus Ord.

Præd.

Pręd. tom. 2. ad annum 1627. pag. 446. origine Hispanus, per inde enim est, ut monuimus suo loco, quoniam natos in Americâ nostrâ omnes, de quibus sermo nobis in hacce Bibliotheca est, subindeque Mexicanos natione, ab Hispanis genitos parentibus compertum legentibus volumus, nisi quando conceptis verbis scripserimus, *Natione Mexicanus Indis ortus parentibus*, aut ex alterâ genitores natione apertissimè dixerimus: cæteri enim verò suam ab Hispanâ gente & familiâ originem ducunt, tamque Hispani sunt quam qui Mantuæ Carpentanorum nati. Noster in Americâ nostrâ genitus, & forsan Mexici, quod nobis ambiguum, Provinciam Sanjacobæam Ord. Pręd. Mexiceam petivit, emissisque votis adeptus, multis in ea litteris & dotibus floruit, Theologiæ Cathedras moderatus Magisterij laureâ conspicuus evasit, & à supremo S. Inquisitionis Consilio Hispaniarum inter Consultores dato titulo est habitus. In Universitate etiam Mexicanensi Doctores inter Theologos recensitus, alijsque muneribus cumulatus fuit. Edidit hispano sermone amœnissimũ opus, quod jure dixeris Viridarium, in quo præter ab ipso Authore pulcherrimè lucubrata, invenies itidem variorum florentissima poemata, acumen, eruditionem & artem, latinâ hispanâque linguâ, redolentia undique & spirantia. Titulum Libro dedit:

Vita & miracula gloriosi S. Hyacinti Confessoris, ex Ordine Prædicatorum; Ejusdem Bulla Canonizationis, atque eorum quæ in ejus plausum festivè Mexici gesta sunt enarratio. Mexici, è domo Petri Balli 1597. in quarto.

Idiomate latino conscripsit & publicavit

Directorium decissionum Regularium circa ambiguitates Constitutionum, Consuetudinum, Actorum generalium, & Sanctionum Apostolicarum, concernentium Sacrum Ordinem Prædicatorum. Matriti, ex Officina Joannis Gonzalez 1627. in 4. pp. 790.

Subdunt Critici Scriptorum ejusdem Ordinis Annalistæ: *Opus minus accuratum, ut patet Tit. Conversus, ubi dicit conversos habere vocem in contractibus capituli: & sub inde fingens Conventum ex solis conversis professis constantem, jus eis tribuit sibi Prælatum eligendi, nisi obstet consuetudo: quod non solùm praxi Ordinis, sed & constitutionibus adversatur è directo.* Hæc illi. Nos verò, qui Historiam Scriptorum teximus, non Crisim instituimus rerũ quas ipsi Scriptores tradiderint, id unum in præsentia monemus, quod si *minus acuratum* dicendum est *opus* propterea quòd sententiam Author sibi visam probabilem, aut fortè probabiliorem docuerit, quæ falsa judicetur ab alijs; Opera enim verò etiam accuratissima minus accurata audient, in quibus nonnumquam pro ingeniorum diversitate facilè

li invenire est quæ istis subjaceant.

In Nuncupatoria ejusdem *Directorij* Author testatur habere à se compositos

Sermonum tomos duos.

Pollicetur que *Clypeum Thomistarum ex quæstionibus Metaphysicalibus & Theologicis adfabrè compactum.*

An autem in lucem prodierint libri isti nescimus. Authoris meminit Fernandez in Historia Rosarij pp. 11. & 22.

288 F. ANTONIUS HYACINTUS SUASO, Natione incerta nobis, Prædicatorum Ordinis in Provincia S. Jacobi alumnus, ab ipsa Deffinitor Procuratorque Generalis in Europam destinatus, apud Apostolicum Hispaniarum Nuntium Examinatoris & Theologi honores promeruit, atque in Archiepiscopatu Galleciano Synodalem egit. Typis tradidit hispanâ linguâ

Speculum amoris divini in vita V. M. Sororis Mariæ Villani, Sacri Prædicatorum Ordinis institutum nuncupatis votis professæ. Matriti, ex Typographia Joannis Garcia Infanzon 1692. in quarto. Extat ad S. Philippi Nerij Mex.

In procemio Historiæ hujus Author ipse testatur aliam itidem se conscripsisse de S. Catharina Senensi, polliceturque tertiam de Proto-Parente suo S. Dominico.

289 FR. ANTONIUS A JESU MARIA, Natione Hispanus, ortus Matriti, Institutum Excalceatorum Carmelitarum Ordinis in Provincia Mexicana professus fuit. Ejus & ingenium & doctrina præsertim enituit in detegendis Michaelis de Molinos erroribus, quos statim sagacissimè agnovit, imò proscriptorum postea operum virus primum è Theologis detexisse Author est (& penes ipsum fides) in Bibliothecâ ejusdem Ordinis P. F. Martialis à S. Joanne Baptista pag. 38. num. 48. quamquam alij palmam retulerint pestem illam, editis scriptis exagitantes, quam fusso in Mss sermone multis ipse & gravibus momentis insimulat. Scripsit itaque

Contra Quietistarum errores.

Præterea, *in Boetium* Libros duos, apud citatum P. Martialem, Mss.

Typis verò commisit

Vitam Eminentissimi Balthasaris Moscoso & Sandoval. Matriti 1680 in folio.

Transtulit ex Anglica in Hispanam Linguam volumen

De insectationibus quas in Anglia Catholici sunt passi: ut in eadem legimus Bibliothecâ.

Meminit Authoris Scriptor Historiæ generalis Carmelitarum Reformationis t. 6. lib. 26. cap. 29.

290 P. ANTONIUS IGNATIUS MAYORGA, Natione Mexicanus, & ut credimus, Mexici ortus, Societatis JESU alumnus quatuor professione votorum insignis, dum Sodalitium ab Assumptâ Dei-

Deiparâ nominatum regeret in Collegio Urbis S. Ludovici Potosini, à se habitam in publicum dedit vernaculo idiomate

Concionem funebrem pijs manibus D. Mariæ Victoriæ de Uresti & Bustamante. Mexici, apud Hæredes Michaelis de Ribera 1728. in quarto.

Non ambigimus multas scripsisse doctasque Orationes hispanas, latinasque Prolusiones, & Poetica opuscula, quę distinctius recensere ulteriori destituti notitiâ prohibemur.

291 D. ANTONIUS JOACHIMUS DE RIBADENEIRA ET BARRIENTOS, Natione Mexicanus, Angelopoli natus è gente multis stemmatibus clarâ, Latinitate imbutus & Philosophiâ ad S. Ildefonsi Jesuitarum patria Gymnasia, Academicis se Mexiceis adjunxit lauream accepturus, navaturusque strenuam utrique operam Juri, cujus item insignis gradibus à Regio Togatorum Senatu pro tuendis in foro causis institutus Patronus fuit, & à Fidei Quæsitoribus destinatus Orator qui auxilio esset carceri mancipatis. Majoris Veteris & Insignis D. Mariæ & Omnium Sanctorum adscriptus Collegio, venustioribus non minus studijs quam legalibus culturam animi, nec absque multâ fruge, procuravit ac tenuit. In Hispaniam se contulit, notumque propè virum sanguine & doctrinâ conspicuum, cœterisque pro judicandi munere partibus clarum, Rex Catholicus pro Auditorio Guadalaxarensi in Novæ Galleciæ Regno Judicem destinavit, intereaque loci ipsi copiam fecit typis committendi, quod scripserat hispanis opportunè numeris Opus, admodum eruditum, cui nomen dedit

Relaxatio animi, seu deliciæ, hispanicè El Passatiempo, ad usum Excmi. D. D. Emmanuelis Bernardini de Carbajal & Lancaster, Ducis de Abrantes & Linares, &c. Poema didacticum Endecassylabum tribus divisum voluminibus XIV canticis totidem Epochas comprehendentibus insigniores, cùm sacros eventus, tum etiam prophanos à Mundi conditione ad usque pacis tempora generalis institutæ Catholico Rege nostro Ferdinando VI in Hispaniâ Regnante: Cum varijs pro rerum luce & intellectu animadversionibus. Mantuæ Carpentanorum, apud Antonium Marin 1752. in quarto.

Quanti Opus hoc ab eruditissimis Hispanis sit habitum, Censuræ ipsi pręfixæ docent, libetque paucis indicare judicium, quod Supremi commissione Indiarum Consilij exposuit vir clarissimus & cùm Jurisprudentiæ laude conspicuus, tumetiam omnigenâ insignis eruditione D. D. Antonius Joseph Alvarez de Abreu, Marchio à Regalia, ejusdem Consilij fulgentissimum lumen, ut legitur in Facultate pro editione concessâ ab eodem amplissimo Conventu, extatque Operis tom. 1. Scilicet fatetur doctissimus vir No-

Nostri in rebus Historicis Sacris & Prophanis, Chronologicis, Politicis, Civilibus, Moralibus, Juridicis, Canonicis, Religiosis, & Publicis egregiam accuratamque eruditionem, opportunè & prudenter in universo Opere extantem, quæ *infinitè* comendat ipsum, &c. cui in labenti seculo hactenus non viderit simile.

Opera alia à Nostro elucubrari, mox laudatus Marchio in eâdem Censurâ se accepisse testatur, quæ pariter utilia ac præcedens sibi meritò pollicetur, optamusque ut in nostras quantocyus paginas deducantur, Authore proprijs laribus restituto, quem nuper Rex noster in Mexicanense Auditorium transferri voluit Criminalem Quæsitorem, honorificentissimo commendatum Decreto, nec tantùm á litteris & dotibus alijs laudatum, sed verò etiam Regio ære instructum. Faxit D. O. M. ut ampliores tánto viro gratulemur honores.

292 D. ANTONIUS JOSEPH MARIA GUERRERO, Natione Mexicanus & Patria, anno 1689. è nobili exortus familia est, quæ alia inter gentis stemmata gloriæ ducit eximiæ, Eximium doctorem Franciscum Suarez ex ea genus traxisse. Humanioribus litteris operam dedit & Philosophiæ in Collegio Maximo Societatis JESU Mexiceo: statimque Ludum litterarium aperuit, cui totos annos 47. diu noctuque institit multa pluribus discipulis tradens, quorum alijs prima litterarum rudimenta & Arithcticæ initia dedit, alios Grammaticam totam & Rhetoricam docuit; Philosophicis alios instituit atque Moralibus, plures Diatono aptavit, Rubricas pro divinis Officijs ritè celebrandis expendit, Artemque concionandi. Nil verò antiquius habuit quam ut in omnes instillaret pietatem, & Beatissimam Deiparentem ejusdem Psalterio quotidie recitato unà cum omnibus illis percoleret. In his ætate ductâ, Discipulos plurimos numerat Sacerdotio initiatos, cùm in Clero, tum etiam in Ordinibus religiosis. Mirum porrò est, tot ipsum annis & rerum vicissitudinibus à Ludo suo paucis supra unum mensem diebus abfuisse, consuetasque Scholarum longiores ferias haud observasse, his etiam diebus cum Pupillis exterisque auditoribus in studio transactis. Matrimonio junctus honestissimæ & nobili fœminæ, susceptis ex ea filijs duobus sacris initiatis, altero in Ord. Præd. Sacerdotio item prædito gaudet, quartoque Beneficium Ecclesiasticum præstolante: filias sic latinè instituit, ut earú una novennis Panegyrim, decennis Prolusionem coram multis dixerit Romano sermone, è quo in Hispanum vertere scripta, & de Grammaticæ tricis interrogata respondere apposité sciebat. Ad hęc, Noster litteras graphicè hodieque annos natus 64 pingit, cœteràque malè habens, oculorum acie valet quam

is

is qui maximè, ſpartamque adornat. Scripſit idiomate hiſpano

Sermones panegyricos & morales ferè 400.

Conciones 10. adſtrictâ numeris latinis & hiſpanis oratione convertit.

Poemata multa ſcripſit utrâque linguâ, Labyrintos & id genus alia conſtruxit.

Authographa penes Authorem ſunt, cujus extant editi

Paramophrones in Coloſo Eloquenti pag. 137.

293 D. ANTONIUS LASCARI, Natione Mexicanus, cunabulis Goaxacenſis, Parochus Oppidi Tautepec ejuſdem Diœceſis, edidit à ſe habitam

Orationem Funebrem in Parentatione Philippo IV Catholico Hiſpaniarum Regi apud Antequerenſes indictâ. Mexici, ex Typographia Viduæ Bernardi Calderon 1667. in quarto.

294 FR. ANTONIUS LINAZ A JESU MARIA, Natione Hiſpanus, in Baleari Inſula Majorica, apud Villam de Arta nobilibus, nec pauperibus ortus parentibus, ab ipſa pueritia chriſtianis & politicis diſciplinis inſtructus, ut latinas excoleret litteras PP. Franciſcanis eas in Patria docentibus traditus eſt. Eorumdem Seraphica Inſtituta ſectari cupiens, in Cœnobio S. Mariæ Angelorum à Jeſu Provinciæ Majoricenſis ſolennibus ſe votis adſtrinxit. Philoſopiam à ſuis hauſit atque Theologiam, ſacriſque initiatus Prædicator eſt institutus, non minorem inter hæc operam virtutibus ponens quam litteris. Procuratori Michoacanenſis SS. AA. Petri & Pauli Provinciæ ſupplementum pro illa paranti adjunctus, ut ad Americam noſtram acceſſit PP. que adivit Michoacanenſes, ab ipſis probatus, Lector Philoſophiæ pro Conventu Queretarenſi deſtinatur, ubi eam non Sodalibus tantùm explicavit, ſed exteris multis, quòd non dum ea in Urbe aperta fuiſſent Jeſuitarum Gymnaſia, quæ dein pro utrâque Sophiâ docendâ patuerunt eximio incolarum emolumento. Abſoluto multâ cum laude Curſu, in Collegium de Zelaya ejuſdem Provinciæ traducitur alium continuaturus, cujus Moderator ſpiritu abreptus Apoſtolico in Novam perrexerat Mexicum. Hinc Theologiæ profitendę apud Valliſoletum primariam Regni Michoacanenſis Urbem Præceptor conſtitutus, primo etiam ſuggeſtui præfuit, atque Emeriti lauream, quindecim evolutis annis legendo, tandem obtinuit.

295 Interea verò ab inſtituto non nihil deſciverat, tepefactusq́ ſpiritu vanitati nimis indulſerat. Quòd enim ad fides canere, honeſto quidem ſtudio, juvenis didiciſſet, atque in dies muſices peritior factus eſſet, voceque ſuavi ad modulandum potiretur, huic multo quam par erat oblectationi deditus, non intra cellam tantùm, ſed etiam extra, malè qui-

quidem audierat quòd benè canerer: nam & si non propterea Veneri unquam litaverit, vanitati tamen & luxui in vestitu & victu cubiculiq; ornatu facili prolapsione plus justo dederat. Deus tamen, qui ad magna ipsum pro sui gloriâ & salute animarum destinaverat, ab his terribili revocavit spectro: Nam nocte ad quietem comparato larva quædam morti quam simillima cinerea induta veste conspiciendam se dedit, quæ tametsi præstò evanuerit ab oculis, firma hæsit animo, qui admodum conterritus, quid sibi illa velit haud obscurè dignovit, atque Deo excitanti monentique ut à socordiæ & mundi somno exurgeret, obtemperandum illico secum constituit. Sub mane Cœnobij Rectorem accessit, cui se omniaque hactenus quæsita submittit, multis exorans, ea ut unicè sibi permitteret, quæ expoliatum omnibus decent S. Francisci alumnum. Ex inde totius vitæ maculas sacrâ confessione eluit, vitæque tenorem agressus est qui hominem egregiè Sanctum & Apostolicum præsignificaretParentem, eximijs Seraphici Ordinis Proceribus meritò comparandum.

296 Lacrhymis totos annos quatuordecim ubertim efussis prioris jacturam temporis flevit: jejunis, vigilijs, cilicijs, flagellis, id que genus alijs asperitatibus jugiter, quo ad vixit, in se pia crudelitate desęvijt: orationi & cœlestium contemplationi rerum incubuit: prædicationi pro extirpandis vitijs, etiamnum Lectoris detentus onere, multo cum animarum lucro invigilavit, tantaque virtutum specimina dedit, ut exemplari ijs esset, quibus forsan pristina levitate fuerat scandalo, jamque inde portenderet quanta olim per se sectatoresque suos bona esset populis traditurus.

297 Destinatus à Provincia Custos pro Comitijs Ordinis generalibus, suffragia daturus in eis, Hispaniam anticipatò, Superioribus annuentibus, petijt, ut quod moliebatur in Dei gloriam opus insigne, maturare & disponere posset. Eò deductus, & facultatibus pro re obtentis amplissimis, Apostolicis per integrum annum concionibus Baleares perlustravit Insulas multis relatis fructibus, è quibus redux, Barchinonæ & alibi Catalauniæ idem munus obivit, cui etiam institit apud Mantuam Carpentanorum peregregiâ è sermonibus habitis, auditis confessionibus, pijs alijsque exercitijs, segete in Dei horreum relatâ. Hæc inter, multa peregit alia, Comitijs Familiæ, quæ Toleti fuerant indicta, suffragator interfuit, & quod primas ferebat in animo negotium faustè expedivit, facultatibus pro instituendo in Americâ de Propagandâ Fide Collegio obtentis amplissimis, proque ad id conquirendis 24 Sodalibus. Hos ut deli-

ge-

geret multas Ordinis lustravit Provincias, atque ultrò sibi oblatos macte virtute homines secum tandem in Americam duxit. E Portu Veræ-Crucis pedes Mexicum petijt frequentissimâ in itinere prædicatione, confessionum auditione, & mirabilis exemplo vitæ populis utilissimus perque gratus. Collegium apud Queretarenses è Cœnobio, quod Provinciæ SS. AA. Petri & Pauli Michoacanensi suberat, à *Lapideâ Cruce* multis clarâ prodigijs insigne, Constitutionibus ab Apostolica Sede approbatis, sub titulo de Propagandâ Fide faustè instituit atque feliciter, uti ex eo fœcundissimo Seminario viri prodirent Apostolico nutriti adultique spiritu, cùm pro Infidelibus ad Ecclesiam traducendis, tum etiam pro Christianis revocandis à vitijs, quæ furtim irrepunt, & virtutibus instituendis, Apostolicis excursionibus, quas Missiones dicimus.

298 Rebus Instituti prudentiâ exemploque viri dispositis, qui & Dei in Choro Ecclesiâque cultum, & Proximorum salutem assiduè curabat; omnia ut solidius componeret, & alia institueretCollegia, quæ eodem regerentur spiritu, extrahendisque in colonias Socijs Seminaria essent, iterum in Hispaniam se contulit, inde Romam adivit, ubi è voto succedente negotio, Hispaniæ restitutus, sex, prout optaverat, in varijs Provincijs Collegia constituit, factus sub inde Institutor & Parens septem Collegiorum, quibus postquam ipse ad superos evolaverat, alia accessère multùm insignia, uti Goatemalense, Zacatecanorum, & Mexiceum in India nostra, ut interim taceamus forsitan Europæ addita. Quæ porrò in Dei honorem, & salutem animarum inde emanaverint, multis vix dici Libris possunt, justoque volumine nuper edito à P. F. Isidoro de Espinosa cœpta sunt bono in lumine collocari, quorum post Deum Author fuit Noster.

299 Sanè, ut ardentissimo Dei flagrabat amore, & eximiâ ignescebat adversus Proximos charitate, hoc homines igne corripere satagebat. Frequentissimè Provincias circumibat sacris ut concionibus sceleratos argueret, frugique auditores in officio contineret, deduceretque in cœlestia quam plurimos. Hinc apud Mexicanos & Michoacanenses dixit cum Sodalibus Apostolico more pluries, & multas Hispaniarum Urbes, Villas, Oppida prædicando lustravit tanto conatu, ut in una regis Curia centum viginti continuis diebus sermones ferventissimè habuerit. Multoties inter concionandum admirabiles extases patiebatur, stupentibus qui aderant, indeque proficientibus, ipso dein propriæ demissioni impensius addicto. Erat enim despicientiâ sui insignis, æquaque patientiâ, mortificatione, pau-

pertate, oratione, cœterisque egregius virtutibus. Adhæc prophetico illustratus lumine, alijsque divinis ornatus charismatibus, multis in Dei gloriam perfunctus laboribus, in Cœlites, Deique in primis Genitricem labis expertem religiosissimus, Apostolicam vitam sanctissimè clausit sacris ritè munitus in Regio S. Francisci Madritano Cœnobio 29. Junij anno 1693. ætatis 58. & religiosæ vitæ 40. fuitque ipsi, cùm in ea Curia, tum etiam Majoricæ, & Americæ apud Collegium Queretarense suum solennissimè parentatũ. Ejus vitam floridissimo, quo pollet, stylo, latè & eruditè redegit in litteras præcitatus P. Isidorus de Espinosa in Chronicis Apostolicis Seraphicis Collegiorum de Propagandâ Fide Franciscanorum de Observantiâ Regulari in Novâ Hispaniâ, parte prima integris duobus libris 2. & 3. à pag. 93. ad 250. Quo teste scripsit

Philosophiæ Cursum,

Quem Discipulis è Cathedra dictavit, conservantque Sodales authographum.

In primum Sententiarum Subtilissimi Doctoris Scoti librum,

Quod opus non deduxit ad finem.

De SS. Eucharistiæ Sacramento.

Hispanâ verò linguâ composuit exhibuitque Regi

Libellum supplicem,

Cujus multa citatus P. Isidorus fragmenta opportunè suis inserta locis transcribit, reservat que penes se integrum. Meminit ejus, nec sine multa laude P. Julianus Gutierrez Davila, in Monumentis historicis Congregationis Oratorij Mexicanæ part. 1. lib. 1. cap. 9. pag. 36. n. 79. & part. 2. lib. 2. cap. 18. n. 234.

300 P. Antonius Lizardi, Natione Mexicanus, Patria Goaxacensis, Regalis & Antiquioris D. Ildefonsi Mexicani Collegij alumnus, Latinitate imbibitâ & Philosophiâ apud Maxima Soc. Jesu Gymnasia, Aulasque Academicas, lauream coætaneis prætulit, quâ donatus, utriusque professioni juris incubuit tam insigni conatu, diurnâque defatigatione ac nocturnâ, ut eximio superaddita ingenio, admirabilem sapientioribus Magistris scholarem ipsum præstiterit. Præter Scriptores, quos evolverat, nobilissimos, Canonica ex officiò enodantes jura & Civilia, Theojuristas clarissimos PP. Ludovicum de Molina, Thomam Sanctium, & Ferdinandum de Castropalao, Societatis JESU egregia luminaria, ita sibi studio familiares reddiderat, ut ipsorum ad litteram doctrinas referre consueverit, non modò in publicis palæstris, sed verò etiam in consuetudine cum Sodalibus familiari, Leges sacras juxtà & prophanas extemporè memoria plurimas pro diversissimis materijs enarrans. His comparatus ad Scholastica certamina admirandis subsidijs, totos 48 titulos innumeris scatentes & in-

intricatissimis controversijs, in Academiâ Mexicanensi per diem integrum defensandos exposuit, coram delibatissimo Sapientissimorum hominum flore, Præside Illmô. D. D. D. Carolo Bermudez de Castro, Primario Pontificij juris Antecessore, Archiepiscopo postmodum Manilensi, qui in ultimâ etiam ætate, discipuli hujus cum primis memor, ejus in laudes profundebatur, testatus, non absque admiratione ipsum in collationibus quotidianis dicentem excepisse, argumentantem respondentemque, atque habentem in promptu non modò 48 disputationi expositos titulos, sed longè plures, quos arbitrio suo eligendos pro disceptatione tradiderat. Academicis cohonestatus gradibus, Regiam in Collegio suo trabeam, prælectione, idque genus alijs, petivit tenuit que pro meritis alios inter non exigui nominis candidatos. Magnam licèt honoris & lucri spem isthæc afferent Minervam colenti; unum tamen cœlum ambiendum sibi constituit, & caducis valedicere rebus. Ingressus ergo Soc. JESU potiores curas suas in virtutibus posuit omnibus excolendis, quamvis Theologica nullus ipse studia prætermiserit pro Instituto suo, in queis, ægrâ etiam valetudine fatigatus, multum profecit. Tantum porrò ab humano commercio secessit, in conclave abditus, silentijque tenax, ut Secundus Gregorius Lupecius audierit, quòd insignem istum Indiarum Eremicolam imitari visus fuerit. Denique Angelopoli Ministrum agens Collegij à S. Ildefonso nuncupati, decessit 28. Junij anno 1744. ætatis 50. initæ Societatis 25. & amplius: Professionis quatuor votorum 11 supra dimidium; egregiæ famâ Sanctitatis relictâ. Scripsit

De varijs ad utrumque Jus attinentibus arduis controversijs compendium.

Quod usui suo pro celeberrimis thesibus, quas memoravimus, propugnandis, confecisse multo volumine, à fidelissimis accepimus & oculatis testibus, fortèque apud suos schedę manebunt cedro dignæ & levi servanda cupressu.

301 D. Antonius Llerena Laso de la Vega, Natione Mexicanus, apud Antequeram præcipuam Goaxacensium Urbem nobilissimis Parentibus natus, quamvis ad Primogenia bona, satis quidem ampla, & ibi sita & in Villa de Etla, materno sibi quærenda jure destinatus, subindeque in statu victurus prophano, ne dum Christianis institutus fuit & Politicis rudimentis, sed Latinis etiam & Philosophicis disciplinis, in quibus tam floruit, quam qui maximè, ut indicio est, secundum inter Condiscipulos locum tenuisse, qui non nisi provectioribus honos & in Academiâ Mexicanâ, & in ejus Collegijs decernitur. Absoluto Philo-

losophiæ curriculo, Aulis se subduxit, libris tamen excolendis strenuam dedit operam, in primisque Poetis delectatus, cùm latinis, tum etiam hispanis, quanta potuit ipsorum Opera conquisivit, ac diurnâ nocturnâque manu versavit. Nec sanè avelli à litteris potuit, multis quòd muneribus incubuerit, quę equidem decebant amplissimum virum, & obita exactissimè gloriam homini cumularunt. Senatorem bis egit Antequerensem, novennio prius, dein haud exiguo tempore, donec id oneris recusavit. Ter Ordinarius renunciatus Judex in annum, egregie fuit de Republicâ Patriâque meritus. Totos triginta annos Instructor Legionum militiam professus, sub Pallade stipendia sic meruit, ut Minervæ donarijs affluxerit, togatusque & armatus insignis evaserit. Conjugio junctus fœminæ multis stemmatibus clarę, à Marchione de Torre Campo D. Thuribio Cosio, quomdam Goatemalensis Regni Præside per decennium, dein Insulis Philippinis dato Gubernatore, ęquestris Ordinis Calatravensis, Aureæque clavis insignibus decorato, legitimè genitę; non propterea Musis valedicit atque Parnasso: fateturque, nullam sibi diem sine poetica linea prolapsam annis triginta, tot tantisque Opusculis códitis, ut compacta tres in quarto tomos conficerent. Optandum quidem â cultoribus Facultatis, ut publicam, qua dignissima sunt, lucem elimata carmina aspicerent. Religione adversus Seraphicum Parentem Franciscum ductus eximiâ, ejusdem Vitam ab Illustrissimo Cornejo eleganti relatam stylo, redegit ad numeros, litterisque mandavit

CCLX *Epigrammata hispana, quæ Decimas audiunt, quorum singulis latinum præfixit lemma, & in unoquoque Epigrammate integrum, ceu in indice, Vitæ caput couclusit.*

Haud absimili tractus officio composuit hispanis item numeris, quos *Octavas* dicimus, pangendis heroycis aptissimis,

Vitam S. Ludovici, Episcopi Tolosani, ex Ordine S. Francisci.

Opus hoc, quod Author commodavit Amico legendum eunti in Hispaniam, nec restituenti, dicitur typis traditum fuisse plagio, nullâ Nostri mentione, ceu profectum ab eo cujus nomine prostat editus.

Pro honorario exornando tumulo in Cathedrali Ecclesiâ Antequerensi constructo pijs manibus Hispaniarum Reginæ D. D. Mariæ Aloysię metaphoram rosæ sectatus concinnuit

Poemata latina & etiam hispana.

Parentantibus viro claro qui fuerat â secretis Illustrissimo D. Fr. Angelo Maldonado Patriæ Antistiti, morem gerens, machinam Funebrem, Silentij umbram secutus, Defuncti expressit vitam,

Carminibus utrâque linguâ datis.

For-

Fornicem Triumphalem pro excipiendo ab Ecclesiâ suâ Illmô. D. D. Didaco Philippo Gomez de Angulo, ejusdem Diœcesis Episcopo, illustraturus, conscripsit

Poemata & hieroglyphyca Heroem adumbratum Sole expendentia.

Tandem CL *Epigrammata hispana S. Mariæ Magdalenæ nuncupata, pœnitentem fussis lachrymis animum exprimentia.*

Et hæc quidem Mss quæ à testibus omni majoribus exceptione suscepimus, Lectoribus citra scrupulum nostris communicamus.

302 M. F. ANTONIUS LOPEZ CORDERO, Natione Mexicanus, propè antiquam & celebrem Urbem Cholulam Angelopoleos ditionis in lucem editus, honestis nec obscuris parentibus, piè ab ipsis & laudabiliter educatus, animum applicuit ad litteras, & latinas quidem ut disceret, Collegium S. Petri quod Tridentino Seminario à S Joanne dicto adjacet, Angelopoli frequentavit multo cum fructu; pro Philosophiâ autem audiendâ in Regio S. Ludovici Dominicanorum Collegio discipulis se junxit Magistri Alfonsi Gil, ejusdem Ordinis viri doctissimi, atque unà cum sisthemmateAristotelicoThomistico, quo optimè fuit imbutus, pium erga Institutum Prædicatorum amorem imbibit. Sacro eum habitu induit in Conventu Primario Angelopolitano Provinciæ S. Michaelis & SS. Angelorum, ejusdem Prior Cœnobij, electusque Episcopus pro Novâ Segoviâ Illmûs. M. D. Fr. Didacus Gorospe 16 Octobris anno 1696. Absoluto, multâ cum laude observantiæ & virtutis, tyrocinio, professioneque emissâ, pro excolendâ Theologiâ in suburbanum S. Pauli Conventum, qui ea tempestate in Collegium fuerat institutus, cum alijs selectis juvenibus ingenio & spe nobilioribus ceteris, fuit dimissus. Porrò quantum in ea Facultate profecerit argumento fuere theses, quas, plaudentibus Magistris Sapientissimis, non semel publicâ in palęstrâ substinuit: nam pro recèns constructâ Aulâ Collegij maximâ scholastico ritu initiandâ 24 titulos Theosophicos Theojuridicosque mane & vespere defensandos proposuit, quorum multas singuli quæstiones complectebantur; & ut Provincialibus eodem more Comitijs gratularetur, publicas itidem obtulit conclusiones, à quibus strenuè & eruditè propugnatis, haud vulgarem nactus honorem fuit. Sacerdos factus, atque ad regendam Cathedram à litteris & virtute præclarus, Cursum Philosophiæ semel & iterum tradidit, ita quidem, ut scripserit geminum, primum fussiorem, secundum contractiorem, exactum tamen adeò, ut nihil Sodales in illo desiderent, mirenturque claritatem brevitati sociatam, paucisque omnia, quæ pro instituto opus sunt, compre-

prehensa, asservantque sub inde egregio pretio.

303 Hæc inter, laudes non à doctrinâ tantùm sed â modestiâ tulit eximias, quòd in Academicis ita se gesserit certaminibus, ut aculeatas pro arguendo dificultates ita proponeret, ut eas docti quique & tyrones caperent, citra tamen strepitum & conclamationem, queis, ardore perciti scholastico, abutuntur non nulli, ipse verò mansuetudine & humilitate ab eis abhorrebat. Porrò nihil habuit antiquius, quá ut has coleret cæterasq̃ virtutes, qua propter ipsarum etiam Magister à Superioribus institutus fuit novitijs ad Religiosam vitam formandis. Collegium itidem studiorum ita rexit accuratissimè, ut scholarium in scientijs juxtàque moribus profectui totus invigilaverit. Ut verò natus fuerat ad plura, cunctisque obtemperare consueverat Superiorum jussionibus, Valetudinarij Pręfectus eo huic libentius muneri incubuit, quòd & humilitati & charitati exercendis copiam faceret: Ægrotis siquidem præstò aderat, mortique proximos industriè pro recipiendis Sacris parabat, corporum curæ majorem pro animabus adsocians. Adhæc, exteros etiam in spiritualibus juvandi causâ, conciones habebat doctissimas ferventissimasque, id unicè curans, ut in Dei gloriam & auditorum salutem cederent.

304 Cæterà, vitam sic traduxit, quoad sibi licuit, alijs, quæ subierat, levato oneribus, ut rarò per annum Matrem invisurus egrederetur è Monasterio, quam tamen ad januam quandoque venientem alloquebatur, cuique his subveniebat, quæ à Missarum stipendijs, pensisque religiosis sibi obtigerant. Cellam libèns inhabitabat, è qua nisi pro communibus Cœnobij functionibus, aut spiritus negotio recedere religioni sibi erat. In eam receptus, aut etiam in chorú, quo tempore noctis aliò Sodales aderant, cœlestium vacabat meditationi, & pijs alijs exercitationibus incumbebat. Hinc, pietate in Deum resplenduit eximiâ, tum in primis cum ad aras faciebat, observantiâ Ecclesiasticorum rituum exactissimâ, devotissimâque pręparatione. Erga Deiparentem multo erat amore, cujus Rosarium ferventissimè prædicabat. Regulas Instituti observabat ad unguem, omniumque exemplis virtutum vigebat, patientiæ, obedientiæ, mortificationis, abstinentiæ, aliarumque. Eminuit verò in colendâ paupertate, adeò ut etiam Provincialis munere insignis, cellâ omni destitutâ ornatu, vel eo qui Religiosos decet egregiè reformatos, nulli in paupertate concederet, præterque nullius pretij pernecessaria utensilia, eo mortuo, inventum fuerit nihil: peræque coluit humilitatem, tantâ sui despicientiâ, ut indignum crede-

deret ſe qui urbanè tractaretur vel ab infimâ plebe. Non nunquam Sodali ſuo familiariter percunctanti, cur Magiſterij lauream pro ſuis in Ordine laboribus dato in Comitijs libello non peteret; ſtatim evangelicum illud reposuit: *Nolite plures Magiſtri fieri.* Nec vero honorem illum tandem aliquando fuit nactus, niſi deffinitoribus pro eo apud OrdinisGeneralem Magiſtrum agentibus.

305 Tantis propterea allecti dotibus PP. in Comitijs Provinciæ anno 1728. habitis, reluctantem Præſulem ſibi voluerunt, nolentemque volentem, domeſticis exterisque plaudentibus, Provincialem ſalutarunt atque Parentem. Statim Ordinationibus prudentiſſimè conditis, ijs proluſit, quæ deinceps magno cum Familiæ emolumento peregit. Univerſam, quæ latiſſimè patet, Provinciam, ne uno quidem Cœnobio relicto, diſſito quamvis aut exiguo, bis perluſtravit, biennio & quinque menſibus potitus officio, viribus deſtitutus ægrâque valetudine afflictus. Fortitudinem verò zelumque Dei gloriæ, & eccleſiaſticæ ac religioſſæ diſciplinæ, occaſione datâ, multis oſtendit: nam Clariſſimo viro, & à quo beneficentiſſimè fuerat tractatus, quandoque petenti quod citra piaculum ſe non poſſe concedere judicabat, abnuit, multorum propterea ſubiens invidiam, criminationesque paſſus acerbas, ne Apoſtolicis contrairet Decretis, aut quod idem eſſet, contortis interpretationibus ipſa eluderet. Gravius tamen fuit illi domeſtica, ſub indeq̃ eccleſiaſtica, negotia à prophanis ſubſellijs operoſè ſubducere, nihil interim faciens honoris jacturam proprij, exilium, cui ferendo præſtò erat, aliaque permulta, quæ ſubijt amara, donec poſitis in aperto rebus, ſua omnibus innotuit integritas. Demum, in ſuburbanum S. Pauli ſtrictioris obſervantiæ Conventum receptus, per inde quaſi mortem opperiretur, nedum Choro cum ſodalibus intererat, cæterisque exercitijs, verùm alijs etiam incumbebat, quæ funus preſagire ſibi indicabant, quod non multo poſt, inſperatò reliquis, fuit indictum: nam quamvis gravari ægritudine ſenſerit, non propterea decubuit, nec à Choro abfuit, vel abſtinuit à ſacrificando, donec 3 Octobris mane inventus eſt è vivis abijſſe, anno 1730. etatis 51. merentibus unà cum Dominicanis PP. omnibus Angelopolitanæ Civitatis Ordinibus, juſtaque perſolventibus, qua decebat pompâ graviſſimâ, certantibus cùm è Societate Jeſu, tum etiam è Clero Seculari, & alijs eruditis hominibus tumulum eximijs cumulare & ad numeros conceptis elogijs, Franciſcanisque alumnis & latinâ Oratione & hiſpano Sermone 5. & 6. Novembris defuncti virtutes actaque plaudentibus.

Porro, elaboratum à M. Fr. Joanne

ne de Villa Sodali suo pro funebri mole Epitaphium ita habet.

Voces Piorum Manium R. Admodum P. Mag. Fr. Antonij Lopez Cordero & Leon, S. Inquisitionis Officij Qualificatoris, hujus S. Michaelis & SS. Angelorum Prædicatorum Eparchiæ desiderati Patris ac Præsulis.

Siste Viator, & Audi,
En assor extinctus, qui vivens silui.
Sedi, quoad vixi, solitarius, & tacui;
quia levavi me supra me.
Facundum me mors nunc facit,
quæ & stravit subtus, & levavit me supra te.
Siste, & audi; quæ vera sunt non diffitear.
Agnum appellasti? Me nosti:
Cognomine definiebas.
Agnus quidem, non è grege, sed egregius; mitissimum me natura: humillimum gratia fecit.
Patre Agno, Matre Leæna prognatum vel monstrum diceres, vel miraculum.
Dic mysterium.
Nomina & omina:
Ut qualis futurus essem, etiam gentilitia monstrarent.
Vide cui similis.
Leonem is nexuit & Agnum,
qui Deum & Hominem.
Hoc solo (ut ille) Leo victor,
quòd nullum codicem
non aperui;
nullum difficultatis sigillum non reseravi.
Cæteroquin semper Agnus.
Nihil mihi præter vellus, nil charius,
nil pretiosius;
ne Phrixæum quidem.
Si quando ad insontes aureis mordax forceps striduit,
Agnus obmutui, & non aperui
os meum.
Ut innoxiæ pecudis victimam
litarem Deo,
me Agnum obtuli, & quidem
immaculatum.
Pro ara conscientiam, pro cultro legem,
Sensum pro jugulo, mentem pro Flamine,
pro flamma amorem habens,
juge cremabar Numinis holocaustum,
quotidie moriens.
Et quid (rogas) tam celeris mors me sustulit?
Parum operæ impendit in Agno
tamquam occiso.
Num moraretur ut unum tolleret
Tanquam?
Pepigeram fœdus cum morte,
ut Mundo me prior perimerem.
Facto: residuum facilè absolvit.
Vis scire quid?
Mundo spiritui exiguum pulveris
momento temporis quassit.
Nec dicas celerem mortem, quæ unum
supra quinquaginta
annis maturuit.
Spiritum solitum superos advolare,
Mors non abstulit; sed stitit.
Non hoc egit ut migraret; sed ne
rediret.
Spiritus sæpe vadens, semel non rediens.
Audisti viator & perge;
& ne luge; sed invide.
Beati mortui, qui in Domino moriuntur.
Anno à Christo nato MDCCXXX.

Scripsit hispanâ linguâ

Vitam præclaræ Virginis & dulcissimæ Sponsæ Jesu-Christi Domini nostri S. Agnetis à Monte Policiano. Prodijt posthuma curis & additionibus eruditis pręcitati M. Villa, qui & Authoris vitam ad calcem adjunxit à p. 226. ad 260. Angelopoli, ex Typographiâ Viduę Michaelis de Ortega & Bonilla 1744. in quarto.

Etsi plures doctasque conciones conscripserit, unà in honorem ejusdem S. Agnetis reliqua est, quòd statim ac illas dixerit è suggestu, flammis tradiderit, nihili elucubrationes suas habens. Latino sermone condidit

Geminum Philosophiæ Cursum, primum latiorem; contractiorem secundum, quem sub inde magni habent doctissimi Magistri, servant que Mss, ut in Authoris vita legere est.

306 FR. ANTONIUS DE LUNA, Natione Mexicanus, & ni fallimur, Patria, Ordinis S. Francisci in Provinciâ S. Evangelij alumnus clarissimus fuit, æquè ab utriusque suggestus peritiâ meritò commendatus: nam sic Philosophiam Theologiamque ad Scoti mentem in palęstrâ Scholæ tractavit, ut absolutâ quindecim annorum periodo, & Emeriti gloriam retulerit, & egregium sibi nomen, quod etiamnum celebratur, apud Minervæ cultores & Proceres cōparaverit. Quòd verò ad pulpita sacra spectat, non minori laude donatus ab æquissimis rerum æstimatoribus adhuc habetur. Discipulos instituit egregios, quos inter caput extulit in Oratoria Evangelica paucis comparandus Fr. Joannes Antonius Perez, qui, ut & alij, haustam ab illo multam eruditionem dicendo scribendoque fatebatur. E pluribus scriptis ejus, vidimus tantùm habitas à se vernaculâ linguâ conciones

De S. Didaco, Angelopoli, ex Officina Hæredum Joannis de Villareal 1700. in quarto. Habetur tom. 54 Collect. nostr.

In Dedicatione Novi Franciscanorum Templi Mexicei. Mexici, typis Hæredum Joannis Josephi de Guillena Carrascoso 1717. in quarto. Extat eodem tom. Collect. nostræ

Optamus ut à Socijs ejus adjiciantur

Tractationes Philosophicæ atque Theologicæ Opusculaque reliqua.

Meminit ejus Bibliotheca Franciscana tom. 1. pag. 111.

307 D. ANTONIUS MALDONADO, cujus Natio latet & Patria, Mexicanus ut minimun Domicilio, & in Regiâ nostrâ Cancellariâ pro juribus regalibus tuendis Fiscalis, unus ex his fuit, & primus quidem, qui egregio Collectionis Legum pro Indijs datarum Operi manus admovit, cui ut Rex noster faveret, suas anno 1556. litteras expedivit: fuit autem illud hispano sermone

Repertorium Schedularum, aliarumque Sanctionum Regalium Americæ regimen concernentium.

Ut ex D. Antonio de Leon in Epitome Bibliothecæ Indicæ titulo 22 Occidentalis partis refert D. Nicolaus Antonius in novâ Hiſpaniæ Bibliothecâ tom. 1. p. 112. In Editione verò noviſſimâ Madritanâ Leonis Pineli habetur tom. 2 col. 819.

308 F. ANTONIUS DE MANCILLA, Natione Mexicanus, in ipſa Imperiali Americæ noſtræ Urbe à clariſſima ſtemmatibus gente duxit originē. Genitor ejus inter Civitatis Rectores adlectus, avito ſanguini nobiliſſimo novum decus adjecit, alijque ex Familiâ non abſimiliter. Noſter litteris & virtutibus initiatus â puero, Franciſcanis PP. Provinciæ S. Evangelij, emiſſis ſolenniter votis, Sodalem ſe adjunxit, & adeò ſpectabilem fecit ſtudijs & geſtis, ut Lectoris Philoſophiæ primùm, deinde Theologiæ munus injunctum ſibi, multo & ſui & Familiæ ſplendore ſit executus, optimèque audierit apud Doctores, ſive Præſes adfuerit in Aulis, ſive concertator dixerit è ſubſellijs. Hac de cauſa exactis ſtatutis curriculis Emeritus eſt renunciatus, & à Fidei Quæſitoribus Theologus pro ferendis Cenſuris adlectus. Magiſtri quotidianis penſis admodum gravibus, additis ſermonibus frequentiſſimis, peræquè his illisque ſatisfecit, tamque in Oratoriâ inſignis eſt habitus, quam in Theologicâ Facultate: ſuas ita conciones ad artis præſcripta tornatas ſapientibus exhibens, ut ab illiteratis etiam celebrarentur; & porrò argumentorum gravitate, ſententiarum pondere, eruditionis ad res natæ copiâ, dicendi facundiâ, ſtyli proprietate, cogitandi acumine, & cæteris ita dotibus erat præditus, jure ut maximi fuerit habitus. Prudentiâ itidem & regulari diſciplinâ conſpicuus, pluribus & primarijs Cœnobijs præpoſitus, non ſine laude munus exegit, ut propterea toti etiam à Comitijs Provincialibus Familiæ Mexicanæ regendæ Pręſul fuerit electus, Paterque poſtmodum multis annis audierit. Libris ad extremum uſque vitæ, forſan ſeptuagenariæ majoris, deditus, Oloris inſtar morti proximus dixit è ſuperiori loco die 9 Junij 1747. & ut ſe gravatum valetudine ſenſerat, funus propè ſibi prædixit, concionem, quę edita eſt, ſic auſpicatus: *Ergo ne tandem dicturus veni? Certè veni dicturus tandem. Scilicet, affecta me valetudo corporisque imbecillitas monent, futurum hunc ſermonem noviſſimum.* Quod dein exordium nobiliſſima excepit Oratio in Jeſu-Chriſti Cordis elogium amoremque, eximiâ & religione & eruditione compoſita. Ipſe verò quam opperiebatur præſagierat que mortem, non multo poſt aſpexit, Sodalibus & exteris ſui deſiderio relicto.

In extremâ, quam mox inſinuavimus, concione habitâ & edita, Cenſuram legimus datam à Pro-

Procuratore Generali omnium quæ vigent in Novâ Hispaniâ S. P. Francisci Provinciarum, viro admodum docto F. Sebastiano de Gama, testante Nostri elucubrationes typis commissas supra quinquaginta esse, futurosque totidem tomos, ni ipse præ humilitate obstitisset. Nec Censorem à verò recesisse suspicabuntur, hominis qui acta & doctrinam noverint. Res sanè è voto nobis accideret, si videre Mss & recensere licuisset; ex editis quamvis plura hactenus nos effugiant Opuscula, quæ invenire potuimus sunt sequentia.

Panegyrica Oratio in solenni Altaris erectione S. Nicolai Episcopi nomine insignis apud Templum Religiosorum Bethlemitarum. Mexici, apud Michaelem de Ribera Calderon 1703. in quarto. Extat tom. 100. Collect. nostræ.

Panegyrica Oratio de S. Jacobo Hispaniarum Patrono. Mexici, typis Hæredum Francisci Rodriguez Lupercio 1708. in quarto. Extat tom. 94. Collect. nostræ.

Panegyrica Oratio habita in solenni Indulgentiarum publicatione quæ Sodalitio à SS. Trinitate Mexiceo beneficentiâ Sedis Apostolicæ concessæ fuere. Mexici, eisdem litteris 1709. in quarto. Habetur tom. 12 dictę Collect.

Panegyrica Oratio de Proto-Parente Seraphico S. Francisco. Mexici eisdem formis 1714. in quarto. Legitur t. 21 dictę Collect.

Panegyrica Oratio de Patrocinio SS. Josephi Deigenitricis Sponsi. Mexici, ex eadem Officinâ 1714. in quarto. Invenitur tom. 68 memoratę Collect.

Panegyrica Oratio de Immaculata SS. Virginis Conceptione. Mexici, ex eadem Typographiâ 1719. in quarto. Habetur tom. 70 Collect. nostræ.

Panegyrica Oratio de Proto-Parente Divo Petro in Ecclesia Metropolitana Mexicea. Mexici, apud Ortega Bonilla 1722. in quarto. Extat t. 20. ejusdem Collect.

Panegyrica Oratio de insigni miraculis Imagine Deiparentis sub titulo Vallis-Venarij. Mexici, è Domo Josephi Bernardi de Hogal 1725. in quarto. Habetur tom. 17. Collect. nostræ.

Panegyrica Oratio de S. Joanne de Deo. Mexici, formis Lupercianis, eodem anno. Extat tom. 4. ejusdem Collect.

Panegyrica Oratio in Visitatione Virgineâ. Mexici, operâ Typographorum Lupercij 1726. in quarto. Legitur tom. 95. Collect. nostræ.

Panegyrica Oratio de S. Antonio Patavino. Mexici, è torculis Josephi Bernardi de Hogal 1727. in quarto. Habetur tom. 74. nostræ Collect.

Panegyrica Oratio de SS. Jesu Corde. Mexici, signis D. Mariæ de Ribera 1747. in quarto. Extat tom. 11. dictę Collect.

His adjiciant Sodales amabimus Mss

Curſum Philoſophicum.

Tractationes Theologicas, & *alias Conciones.*

Meminit ejus Bibliotheca Franciſcana tom. 1. pag. 111.

309 FR. ANTONIUS MAZO, Natione Mexicanus, Patria Zelaienſis apud Diœceſim Michoacanenſium; ſtrictiora S. Franciſci Inſtituta profeſſus eſt in Provincia Mexicea nudipedum à S. Didaco nuncupatâ. Philoſophiâ imbutus atque Theologiâ, utrâque Facultatem in domeſticis Gymnaſijs edocuit, triennio poſito in Ariſtotele juxtà Scoti mentem interpretando; duodennio autem in Theoſophiæ receſſibus penetrandis duce Magiſtro Subtiliſſimo. Adhæc ſacras conciones frequenter habuit doctas & eruditas, Præfecturis inclaruit, Deffinitoremque agit in præſentiarum. Habet penes ſe Mss, quæ ſubdimus opera. Sunt autem

Curſus Philoſophicus, in quarto.

Tractatus de Deo ut Uno, in quarto.

Tractatus de Deo ut Trino, in quarto.

Tractatus de Deo intelligente & volente, in quarto.

Tractatus de Viſione beatifica, in quarto.

Tractatus de Beatitudine , in quarto,

Tractatus de Providentia divina, Prædeſtinatione & Reprobatione, in quarto.

Tractatus de Angelis, in quarto.

Tractatus de Opere ſex dierum, in quarto.

Tractatus de primo Parente, in quarto.

Tractatus de Divina gratia, in quarto.

Tractatus de Juſtificacione, in quarto.

Tractatus de Merito, in quarto.

Tractatus de Dominica Incarnatione, in quarto.

Tractatus de Diverſis Theojuridicis Quæſtionibus ad Regulares ſpectantibus, in quarto.

Hiſpanicè autem *Sermones Panegyrici atque Morales*, in quarto.

310 D. ANTONIUS MELENDEZ BAZAN, Natione Mexicanus, apud Inſulam S. Dominici, quæ Americæ noſtræ primas habet, ortus illluſtri gente, Juriſprudentiæ daturus operam Mexicum petijt in juventute, & Academico adſcriptus albo, egregiâque imbutus doctrinâ Doctor Juris Civilis creatus, atque apud Senatum & Cancellariam Regiam Cauſidicus titulo, re etiam adeò inſignis evaſit, ut nulli ſua ætate conceſſerit. A Quæſitoribus Fidei pro carceratis tuendis Patronus delectus multi eſt habitus; nec minori â tribus ſuceſſivè Mexicanis Pro-Regibus, qui eum ſibi voluere Conſiliarium, Aſſeſſoremque juris dicendi causâ, quo etiam munere multis functus annis ſplenduit apud Conſules Mercatorum pro litibus & negotis, quæ ab ipſis expediuntur commercij ratione, ad le-

legum normam regulamque absolvendis. Sanè, præter omnigenam juris eruditionem, qua eminebat, atque in historiâ & amœnioribus litteris peritiam, judicio ac prudentiâ conspicuus erat, atque in consulendo & judicando æqui rectique tenax, quamvis invidos passus qui Herculi, ut ajunt, calumniam extruxerint apud Regni Visitatorem, qua demum â Supremo Indiarum Consilio liberatus suisque sedibus restitutus, & pro tempore, Universitatis, cui Rector prefuerat, Decanus in Facultate sua, Sapientum calculis probatissimus, ætateque provectus obijt 24 Novembris 1741. E multis scriptis ejus publicâ fuere luce donata quæ sequuutur patrio sermone.

Libellus supplex pro D. Maria Anna Philippa de Cantabrana, hæreditatem quandam ab intestato nepote sibi debitam postulante. Mexici, ex Typographia Viduæ Francisci Rodriguez Lupercio 1714. in quarto. Folijs 87. Extat tom. 17. Collectionis D. Ludovici de Mendoza, & nostrarum tom. 60. in quarto.

Expositio Juris Regij Tribunalis Consulatus Mexicei pro exigendis certis vectigalibus. Mexici, apud Hæredes Joannis Josephi Guillena Carrascoso 1718. in fol. Extat tom. 9 Collect. nostrarum.

Meminit ejus multa cum laude Sapientissimus P. Nicolaus de Segura Societatis JESU in Tom. suo de Contractibus in genere & Testamentis p. 581. ubi fragmentum Epistolæ satis in jure doctæ pro instituto suo adducit à nostro conscriptæ.

311 D. Antonius Melo, Natione Mexicanus & Patria, Collegij Seminarij Metropolitanæ Ecclesiæ à S. Paulo & Purissimâ Conceptione nominati alumnus, atque Philosophiæ & Theologiæ laureis in Universitate Mexiceâ insignis, ejusdem Pauliani Athenæi Cathedras rexit Latinitatis primùm, mox Philosophiæ, quam triennio auditoribus publicè dixit, conscripto ad id muneris Philosophiæ Cursu juxtà PP. Thomistarum Systhema complectentem

Summulas & Logicam, Physicam & Metaphysicam, Librosque de Ortu & Interitu, de Cœlo & Mundo.

Circumfertur Mss Discipulorum Authoris manibus.

312 Excmus. D. D. Antonius de Mendoza, Natione Hispanus, longo 17 annorum domicilio & multo merito Mexicanus, Eneci Mondexarensis Marchionis filius, D. Didaci de Mendoza frater, primus fuit qui Pro-Regis titulo Novæ-Hispaniæ clavum tenuit, & verò etiam auspicatissimè gubernavit. Anno 1535 eo quem diximus nomine & Ducis Generalis insimul thesserâ, Mexicũ advectus, detectis nuper vastissimis Regnis in politicis unà & christianis ritibus instituendis mirum adlaboravit. Prudentiâ erat insigni,

gni, ſingularique probitate, qui-bus prædictus dotibus, & ſe di-lectum Indis atque Hiſpanis ex-hibuit, & Regis Catholici do-minia firmavit & auxit, ac, quo nihil habuit antiquius, Dei glo-riam animarumque ſalutem ad-mirabili zelo promovit. Geminas in hos fines Claſſes inſtruxit, è queis alteram ad Philipinas In-ſulas anno 1545. quamvis infe-lici ſuceſſu, infido, nec ſatis ag-nito mari commiſſit; alteram ver-ſus Californias ad anno 1539 ad 1541. quas Franciſcus de Alarcon navium Imperator inviſit, ſcripta que narratione Americanis palam dedit & Europęis; eodem tem-pore Franciſco VaſquezCoronado rem terreſtri itinere procurante, atque in veterem per novam Mexicum revertente. Turbatis Peruvicis gentibus, earumque Gubernatore à Mexicanis ſuppe-tias poſtulante, eas ut preſtò fer-ret, Legiones ſupplevit, ſexcen-tisque militibus D. Franciſcum de Mendoza filium ſuum præfecit, quamquam in procinctu omni-bus, receptui cecinerit, quòd pa-catas in Meridionali America res agnoverit, ipſo qui auxiliúm poſtulaverat Præſide id per litte-ras enunciante.

313 Americam quòd attinet noſtram curæ ſuæ demandatam magna ex parte luſtravit, totique fovendæ protegendæque incubuit. Pecuaria, armenta, idque genus alia, ex Hiſpanijs adducta, in op-timis Regionibus, & eis alendis augendisque aptiſſimis, diligen-tiſſimè curari ſategit, felici adeò ſucceſſu, ut credi vix poſſit quan-tum deinceps excreverint, tantum expatiata ut non Provinciæ modò ſed Regna condi multa poſſint his in agris & latifundijs, quæ pecudibus ſunt deſtinata. Mone-tam ex ære primùm cudi man-davit Mexici, quæ cum diſplice-ret aſſuetis auro & argento fa-miliariter uti, rejecta ab ipſo fuit, cuſſaque argentea, mox etiam aurea, tantâ in poſterum copiâ, ut non Europa tantùm, ſed to-tus propemodumOrbis Mexicanis nummis, argenteis uncialibus, alijsque pretioſis monetis abun-daverit, atque etiamnum incre-dibili opulentiâ diteſcat. Multæ ea tempeſtate argenti fodinæ de-tectæ fuere; nec ipſæ tantum Noſtri vigilantiâ decretisque ex-cultæ, ſed Officinæ quoque, tex-trinaque pro laneis veſtibus in primis, uſum incremẽtumque ha-buere. Sæviſſima peſtis Indos inva-ſit anno 1545 quæ latiſſimè ſerpens abſumpſit innumeros, & Antonius ægrotantibus quidem præſtò fuit auxilio, paternâ miſeris charitate ſubveniens. Omnia, hercle, circũſ-piciebat, opportunisque operibus Reipublicæ commodis vigilabat, propterea optimè de ipſa meritus. Ut litteris etiam excoleretur, apud Cæſarem Carolum V. Hiſpania-rum potientem egit, quantum & Religioni & Regno profutu-ra foret exponens Univerſitas Scientiarum, ſi inſtar Salmanti-cen-

censis & aliarum Europæ florentium, Mexici erigeretur, quæ non multo post dextero sydere instituta est. Prius verò disertissimus homo curaverat Typographiam in Novum hunc Orbem ex antiquo defferri, primumque Typographum Mexici instituit, cujus formis multi statim libri excudi cœperunt. His multisque incumbentem Nostrum alijs, postquam 17 annos pace justitiâque florentem Mexicanam moderatus fuerat ditionem, anno 1551 Pro-Regem in Americam alteram destinatum nostra multis abeuntem lachrymis prosecuta est, uberioribus autem longè ipsum biennio post flevit, quòd postremam obierit diem. Ejus, egregiâ cum laude, meminere Torquemada in Monarchia Indica tom. 1. lib. 5. à cap. 11. à pag. 608. editionis Madritanæ 1723. Medina in Chronicis Provinciæ S. Didaci fol. 233. n. 815. Betancurt in Tractatu Civitatis Mexiceæ pag. 7. n. 27 & seq. Ægydius Gonzalez in Theatro Ecclesiæ Mexicanæ pag. 23. corrigendus quòd dixerit adductam Typographiam primam in Mexicum anno 1532 à Nostro, qui non dum rerum potiebatur Americæ hujus. Alios prætermittimus, ut afferamus & D. Nicolaum Antonium in Bibliothecâ Hispaniæ Novâ tom. 1. p. 113. & D. Antonium de Leon in Occidentali. Et Nicolaus quidemNostrum propterea Scriptorum albo insertum existimat, quòd conscribi fecerit, non ipse conscripserit librum hispano sermone

De naturalibus rebus & mirabilibus Novæ Hispaniæ, cujus Operis meminit Leon Pinelus. Hîc verò præter hoc Opus quod Mss refert col. 873. edit. novissimæ, col. 827. recenset ab illo profectas

Ordinationes legumque collectionem pro Conventu Juridico Mexicano. Mexici 1549. in fol. Quibus accedunt. *Epistolæ* quas citata col. 873. insinuat non tamen aperit. Invenimus verò apud Lassor. Avarea in Orbe Terrarum Scriptorum calamo delineato T. 2. verbo *Nova Hispania* p. 267. Litteram ex hispano in italum versam idioma, quæ sic habet latino

Epistola ad Imperatorem de recèns apertis Regionibus in Hispaniâ novâ Aquilonem versùs. Venetijs 1565.

314 F. ANTONIUS DE MENDOZA, Natione Mexicanus, cujus natale solum inclyta Equitum Civitas Goatemala, Parentes & ipsi nobilitate clari, Ordinem S. Francisci inijt in patriâ Provinciâ à SS. JESU nomine nuncupata, in qua statim lumine prophetico insignis est habitus, propereaque à multis consultus in arduis, quòdque cœlesti, quo videbatur afflatus æstro, peritiam in moralibus minimè vulgarem adjunxerit. Ægrè quidem ferebat honorem his sibi nominibus da-

datum, ut qui propriæ demiſſioni addictiſſimus eſſet, ceteràque conſpicuus virtute. Ex his quas elaboravit Reſponſionibus inquiſitus de Theologicis practicis dificultatibus, extant pleræque

Conſultationes Morales,

Bibliopegi operâ compaginatæ alias inter variorum, quas octo Tomis comprehenſas habent Sodales in Bibliothecâ Cœnobij præcipui Goatemalenſis, uti ipſi ad nos humaniſſimè detulerunt. Ibidemque conſervant præterea hiſpano itidem ſermone ejuſdem Authoris

Summam brevem Theologiæ Moralis.

Meminit ejus Fr. Franciſcus Vaſquez in ſecunda parte Chronicorum ejuſdem Provinciæ lib. 4. cap. 73.

315 FR. ANTONIUS MICHAEL DE GALICIA, Natione Mexicanus & Patria, Ordinem religioſum de Charitate S. Hyppolyti Martyris ingreſſus, & ſolenni profeſſione amplexatus, Preſbyteratu inſignis, pius equidem & moratus, ſatisque inſtructus, pro miniſtrandis Eccleſiæ Sacramentis ijs præcipuè qui ad Familiæ ſuę Valetudinaria confugiunt ægrotis, ut horum & Sodalium proſpiſceret commodis, atque Sacrorum agendorum reverentiæ & pietati, edidit hiſpano & latino ſermone

Manuale ad præſcripta SS. PP. NN. Pauli V & Urbani VIII pro uſu & regimine Sacræ Religionis de Charitate S. Hippolyti Martyris in Provincia Novæ Hiſpaniæ, atque Cœnobijs ejus & Xenodochijs. Mexici, ex Officina Franciſci de Ribera Calderon 1716. in quarto.

316 P. ANTONIUS DE MILLAN, Natione Mexicanus, fortaſis & Patria, alumnus Societatis JESU, in Maximo SS. AA. Petri & Pauli Collegio Mexiceo Rhetoricæ Cathedræ Moderator cum eſſet, pro inolito florentiſſimæ Scholæ ſuæ more, Puerum Jeſum naſcentem ut exciperet feſtivis poeticisque numeris, atque pulchrâ etiam oratione ſolutâ, Sodalesque propoſito themate invitaret ad latinè & hiſpanè pangendum, condidit

Poeticam concertationem recèns natum Jeſum ſub Mannæ Symbolo proſequentem.

Habetur in Libris conſimilis argumenti apud dicti Collegij Bibliothecam extantibus, ad annum 1728. in folio.

316 D. ANTONIUS DE MIRANDA ET VILLAIZAN, Natione Mexicanus, apud Guexotzingo Urbem quindecim ab Angelopolitana lapidibus diſſitam, natus eſt 4. Novembris 1657. è gente clariſſima, parentibus D. Antonio de Miranda, & D. Auguſtina de Villaizan, à quibus procreati fuerant Mathias & Joſephus, multis & ipſi litteris titulisque conſpicui, pro ut de utroque opportuno ſcripturi ſumus in loco. Noſter latinè ſatis cultus, Philoſophiá Theologiamque adeò altè

altè imbibit Angelopoli in Regalibus SS. Joannis & Petri Collegijs, ut laureis in Academiâ Mexicanâ donatus, pro aperiendo è Cathedra Ariſtotele in mox dictis Gymnaſijs Profeſſor renunciatus fuerit, diſcipulosque philoſophicis doctrinis imbuerit, quibus deinde ſacram etiam Theologiam Magiſter & ipſe ibidem aperuit, atque Rectoris vices geſſit. Auditores in Philoſophia ſuos, peracto Curſu, de more ſubditurus examini in Univerſitate, Mexicum petit, ſuisque alumnis gradu inſignitis, tam ipſe probatur Doctoribus, ut procedente nonnullo temporis ſpatio in Academiæ deſtinetur Procuratorem, ejuſdem apud Regis Curiam negotia acturum. Nec ſanè, quam conceperant, ſpes, eos fefellit: nam demandatam ſibi provinciam præfervidè arripuit, tamque induſtriè & è votis Academicis obivit, quâtum â diligentiſſimo fieri poterat, Apoſtolico in primis Reſcripto egregijs indultis & privilegijs gravido, tum etiam Regijs pro Univerſitatis decore Schedulis opportunè tranſmiſſis.

317 Hæc inter pro Eccleſiâ Guadalaxarenſi in Novâ Galleciâ Prębenda à Rege donatus, Americæ ſiſtitur, & gradatim ad apicem uſque Decanatus perilluſtris Capituli ejuſdem Cathedralis evadit. Theologiam quidem in Aulis profeſſus fuerat, ſed tamen ſtudijs etiam haud vulgarem utriuſque juris peritiam comparaverat, qua Superiores invitati, & viri prudentiâ ac zelo, Vicarium Epiſcopatus generalem octennio voluerunt, nec ſemel Epiſcopatus Gubernatorem, atque omnibus ipſe atentiſſimè invigilans, ſpectabilem ſe meritò reddidit. Eccleſiá ſuam ornare perpolireque aggreſſus, multis inſignem operibus, pretioſis ſupellectilibus divitem, & ornatu pulcherrimam, Angelopolitanam, quæ ſanè Baſilica eſt cultiſſima, imitari eximiâ religione conatus eſt. Adhæc Muſicorum peritiam pro divinis officijs adjecit, & cùm proprio ære, tum etiam aliunde quæſito, annuos ſumptus paravit, ut feſti dies conceptæ & aſſumptæ in cœlum Virginis Deiparentis, natalesque ejuſdem Sponſi Joſephi, & Proto-Parentis Petri celebriores haberentur decantatis inſolitâ pompâ ſacris precibus, quas in pervigilijs Sanctorum Eccleſia obſervat. Erga pauperes multa erat charitate præditus, quibus ſubveniebat quotidie, eorum aliquo ad menſam ſecum prandente, & multis datâ opportunè ſtipe ſolatis, largiores nonnunquam in religioſas Virgines elemoſynas erogans, ut præſcriptâ pro alimentis dote expeditæ, uni vacare Deo poſſent & inſervire. Diſſidentes in Republicâ ad pacem revocare ſolenne habuit, ægrotos ſolari, deque cunctis benemereri.

318 Tot inter Chriſtianæ Virtutis officia pietas adverſus Deiparentem Virginem emicabat, cui,

cui, ut alijs interim devotionis parcamus indicijs, Novendialia indixit in Ecclesiâ suâ solennissima, ad aras canentibus Sacerdotibus, ipsoque pueros & populares non hortante modò ut publicè precarentur, sed exemplo eis præeunte, quo Purissimam Matrem sub titulo de Rosario multis colerent, & gravissimâ per Urbem supplicatione devotissimè salutarent. Hæc ubi absolvit, Sabbato proximè ad finem novendialium secuto, sacra ipse mysteria cum cantu in honorem cœlestis Reginæ peregit, & ecce apoplexiâ corripitur, in ædes ejus Imago sacra cui tot cultus detulerat, ut suppetias præstet, defertur, illicò, ceu proctetricem expectans, obit in Domino die 24. Maji anno 1713. ætatis 55. eximio nedum Civitatis & Curiæ, sed totius Novę Galleciæ Regni dolore, qui Parentem ipsum & benefactorem egregium coluerat. Capitulum Ecclesiæ suæ parentandum ipsi, præter solitam, graviori multo pompâ decrevit, & Panegyricâ virtutes ejus Oratione è suggestu sacro laudari, quam doctissimè intextam & habitam â Viro multis quoque dotibus ornatissimo P. Joanne Gonzalez de Villaverde, Mexicano, & PP. Oblatorum Præfecto, Frater natu major Clarissimus Mathias à S. Joanne Baptista, Carmelitanus, edi curavit Mexici typis Lupercianis eodem anno. Ad scripta quòd attinet Nostri, habemus publici juris factum hispano sermone.

Elogium funebre Illmi. D. D. Joannis de Santiago de Leon Garavito, Episcopi Guadalaxarensis. Mexici, formis Joannis Josephi de Guillena Carrascoso 1694. in quarto. Habetur, & seorsin, & unà cum Vita ejusdem Antistitis edita à P. Michaele de Castilla, Societatis JESU, in Typograpia Viduę Bernardi Calderon 1698. in quarto.

Reliquit in Mss

Tractatus aliquot Theologicos.

Cursum Philosophicum, à Summulis ad finem usque nostratum more,

Quem discipulis dictaverat, cujus propterea fuerunt multa exemplaria, quæ nos fugiunt in præsentiarum.

319 M. Fr. Antonius de Molina, Natione Mexicanus, incunabulis Goatemalensis, Ordinis Prædicatorum in Provincia S. Vincentij de Chiapa & Goatemala alumnus strenuus, & in asserendâ regulari observantiâ insignis, à se lucubrata reliquit Opera, quæ statim exhibemus, asservanturque Authographa in Archivio Goatemalensi ejusdem Provinciæ, ut litteris ad nos inde datis accepimus.

Vitæ illustrium Dominicanorum Provinciæ de Chiapa & Goatemala Fr. Andreæ del Valle, & F. Petri à S. Maria laici, qui apud Ciudad-Real de Chiapa effloruit, aliorumque Sodalium. Hispanâ linguâ & grandi volumine.

Excerpta è Sacris Biblijs pro illustran-

ſtrandâ S. Roſæ à S. Maria Virginis Limenſis Vitâ. Eodem idiomate.

Chronologia rerum Provinciæ S. Vincentij Ordinis Prædicatorum, patrio itidem idiomate.

320 ILLMUS. D.M.D. F. ANTONIUS DE MONROY, Natione Mexicanus, in florentiſſima Urbe Queretaro ortus eſt, genitoribus præclaris ſtemmatibus inſignitis D. Antonio de Monroy, Civitatis Mexicanæ Decurione, & D. Maria de Figueroa & Hijar, è quorum Familijs multi alij conſpicui admodum dotibus viri prodierunt. A natali ſolo Mexicum deductus, ut litteris ad humanitatem informaretur, inter alumnos Regij Chriſti Domini Collegij adſcriptus, inde ut moris eſt, in Maximo SS. AA. Petri & Pauli Societatis JESU ſtrenuam Grammaticæ operam dedit atque Rhetoricæ: tum Philoſophiam apud idem Gymnaſium hauriens, Univerſitatisque albo conſcriptus, ejus Aulas frequentans, Baccalaureatus lauream promeruit haud perfunctorio ſubjectus examini, qua 6. Februarij anno 1652. donatus evaſit. Theologiæ profeſſoribus Academicis nomen dedit eo ipſo anno, cui excipiendæ incubuit, quo uſque menſe Junio ſequentis, è Collegio ſuo in Cœnobium Imperiale Mexiceum S. Dominici, in Prædicatorum Ordinem vocatus, tranſivit, pręfinitoque tempore nuncupatis votis ſe Deo mancipavit. Hinc perilluſtri Familiæ Collegio de Porta-Cœli, quod Provinciæ Sanjacobeæ Seminarium eſt doctorum hominum fœcundiſſimum, & religioſę obſervantię laude pręclarum, addicitur, ut cœpto litterarum itineri inſiſtat, donec ad Theologici curſus metam accedat. Eam ubi tenuit egregio fructu, cùm doctrinæ, tum etiam virtutis, ſe ad Magiſterium ita ſtudijs comparavit & uſu, Philoſophiam ut & Theologiam Sodalibus è Cathedra tradiderit in eodem Lyceo, itemque in Maximo Mexiceo Cœnobio, atque inſulâ propterea, exactis præfinitis ab Ordine annis, redimitus fuerit.

321 Adhæc, Univerſitatem repetens Mexicanam pro capeſſendo Doctoris in Theologia apice, periculum facit, plaudentibusque Academicis Viris, Doctores inter amicitur, & jure cenſetur, ac demum pro regendâ Cathedrâ Divi Thomæ Perpetuus Anteceſſor renunciatur. Quòd verò ſcientijs excultus, juxtàque in utroque ſuggeſtu verſatus, moribus obſervantiſſimi Religioſi conſpicuus eſſet, prudentiâque præditus haud vulgari, domeſticas juſſus eſt Præfecturas ſubire, Collegio ſupra dicto Rector datus, dein Primarij Monaſterij Provinciæ Prior inſtitutus, obſervantiæ ſemper invigilans, quam exemplis, Sodales ut doceret, prius quam ver-

bis agebat, præibatque in arduis, adeò ut obdormiente fortè qui media cœteros nocte erat excitaturus pro sacris in choro precibus recitandis, ipse id officij subiret, & propria æs campanum manu agitaret & volveret. A Provincia sua Romam Procurator delegatur Deffinitorque, ubi casus accideret, qui certè, eo in Urbe agente propterea evenit, quòd assumpto in Archiepiscopum Valentinum Viro Clarissimo F. Joanne Thoma de Rocaberti, qui universo Prædicatorum Ordini Magister præfuerat, Magistratus vacaverit. Indictis pro sufficiendo Generali Præfecto Comitijs, habitisque 5. Junij, Sabbato Pentecostes, anno 1677 Noster eligitur. Porrò vix dici potest quantum ipse fuerit ab ambitu dissitus, qui pridie comitiorum Suffragatoribus quibusdã eum uti Candidatum se daret suadentibus, palam reposuit, cogitare se id minimè, nullùmque tot inter gigantes haberi. Ubi autem ad id fastigij evectum se vidit, semel iterumque coràm Pontifice Maximo Innocentio XI egit, ut insigne munus rejiceret, plura causatus, & tanto se imparem oneri ingenuè professus. Bono tamen animo jussus esse à Sanctissimo, viresque à D. O. M. pręstolari, tandem acquievit, ad puppimque sedit vastissimæ navis, quam, Deo auspice, rexit novennio. Curæ quamvis primæ ejus fuerint amplissimi per totum terrarum Orbem difussi Ordinis splendori in Domino, & bonis omnibus providere, alias inter urbanissimum & gratissimum virum decentes, habemus Litteras ad Academiam Mexiceam datas 14 ejusdem mensis annique, quibus Parentem dilectissimam sibi certam Officij sui redderet, testareturque egregium, quo adversus ipsam esset, amorem. Eum certè quo in Deum & Familiam suam egregiè fervebat, testata sunt opera & virtutes eximiæ.

322 Regularis zelo disciplinæ erat insignis, vir ceterà mansuetus, acerrimus tamen sanctionum pro observantiâ latarum vindex: & quòd optime nosset, exempla Superioris efficacius longe subditos movere quam verba, præibat illis in vestitu, victu, choro, cæterisque exercitationibus religiosis, tot inter negotiorum turbas nihil moratus quo minus adesset cum Fratribus. Justitiæ litaturus, merita subjectorum appendebat ad trutinam, ut quæ munera cumque, gradus, & alia æquus arbiter distribueret: & ut paucis omnia dicamus, adeò integrum se gessit Regularum exactorem, & ab assentationibus studijsque partium alienum, ut multorum proterea subierit invidiam, nec immeritò fuerit veritus ne quid sequius accideret sibi, quin subinde ab instituto umquam deflexerit, aut segnius Dei gloriam curaverit. A Catholico Rege Carolo II destinatus Episcopus apud Michoacanenses seu

ſeu Valliſoletanos Americæ noſtræ,eis ſe ſubduxit inſulis, Patriâ nihil ipſum movente uti eis inauguratus ipſam reviſeret; & porro Archiepiſcopatum Compoſtellanum cum primis inſigne in Hiſpania, recuſaſſet ſimiliter, ni Summus Pontifex Innocentius XI,cui obtemperaverat pro ineundo Ordinis Magiſtratu, id etiam oneris ut ferret juſiſſet, ea tamen lege, ut Dominicanam Familiam moderari intereà pergeret, quo uſque Comitia haberentur generalia die 1. Junij anno 1686. Succeſſore ſibi dato ornatiſſimo Viro P. Antonio Cloche, itineri ſe verſus Hiſpaniam dedit, Eccleſiam aditurus ſuam, cui ita adhæſit, annos ut unum ſupra triginta ipſam rexerit. Primævos imitatus Eccleſię Patres, omnium ſe virtutum exemplar exhibuit, religioſæ tam tenax vitæ quam qui maximè.

323 Opulentâ quidem multis annuis proventibus ditatus Eccleſiâ, nulli in paupertate Religioſo concedere videbatur ijs qui in ædibus ornatum, in menſa dapes, interius quo tegebatur ipſe veſtimentum animadverterent: nam laneis contentus & habitu & cœteris ad ſubuculam uſque pro Ordinis ſui uſu indumentis, lineis perpetuò abſtinuit, carnibus parcens, ni ægra ſecùs valetudo depoſceret, piſcibus veſci ſolitus, quibus quandoque ovum addebat; chartaceas in cubiculo & pias è pariete ſuſpenſas Imagines devotioni quam ornatui potius habebat, nullaque pro arcendis hibernis injurijs periſtromata alia niſi è rudi impolitâ lanâ contexta. Ceterà in Dei cultum, & ſubſidia pauperum efuſiſſimus, nullis parcebat ſumptibus, de Eccleſijs propterea, Monaſterijs, locis pijs, egentibusque omnibus in ditione ſua benemeritus. Cathedtalem multis & pretioſis ditavit muneribus, Pyxide ſcilicet oſtenſoriâ ex puro puto argento confflata, & hominis ſtaturâ non inferiore: politiſſimâ pro S. Jacobi Hiſpaniarum Apoſtoli & Patroni corpore ornando, ex auro, argento, pretioſis que lapillis ſupellectile: Organo affabrè adeò & ad muſicum concentum elaborato, primaria ut inter Hiſpaniarum inſigne jure audiat; alijsque & materiâ & artificio multi habitis donis. Dominicanorum Compoſtellanæ Civitatis Cœnobium illuſtri Periſtylio, Triclinio, Dormitorio, Exedrâ, ſeu ut dici ſolet, Capitulo, Scalâque in primis famoſa, multum nobilitavit. In Monaſterio S. Franciſci Valetudinarium pro ægrotantibus, & pro cœteris Religioſis magnam cellarum partem adauxit. Sanctimonialibus, cùm Mercedenſis Ordinis, tum etiam Dominicani egregiè profuit, quòd earumdem altius evexerit Templa, ædificaverit Dormitoria, Sacella erexerit, Ædes muris concluſerit. Bibliothecam ſuam Societatis JESU Patribus dono dedit, idque ge-

genus alia in Dei cultum & piorum locorum decus effecit. Erga miseros verò tanta fuit charitate, ut ipsos præter, nil cogitare videretur, aut in pretio habere: eis ut abundè subveniret, sibi domesticisque suis parcissimo sumptu contentus, redditus Ecclesiæ peramplos destinaverat, adeò ut religioni duxerit in consanguineos suos pauca erogare.

324 Hospitabatur in Palatio suo nepos ejus ex Sorore D. D. Antonius de Villa-Señor & Monroy, Sacerdotium præstolatus Mexicanense, cui ubi à Rege Catholico datis litteris fuit præsentatus, quantocyus navigaret injunxit, ne imposterum pane vesceretur pro Compestellanis pauperibus destinato. Adeò fuit longè à gentilibus suis ditandis & Familiæ conquirendo splendore. Clavum eo tempore Mexicani Archiepiscopatus tenebat Illmûs. D. D. Franciscus de Aguiar & Seixas, eximiâ & ipse in pauperes liberalitate & omni virtute ornatissimus, cujus in natali solo Gallecia sanguine juncti plures degebant; datisque vicissim & acceptis epistolis à Nostro, quibus erant Mexici consanguinei, alter alteri suos commendare placuit, neuter ut propriæ Diœcesis pauperibus alimenta surriperet, atque ut utriusque familia, sanguine quidem & avitis honoribus admodum dives, cœterà satis inops, suppetias acciperet. Quotidianis eleemosynis largiores multò tunc adjecit, cùm non ita usu frequentes casus majorem longè misericordiam & charitatem expostularunt. Pestifero Galleciam morbo invadente serpenteque quam latissimè, præsto adfuit ægrotis, quibus omni auxilio fovendis Xenodochia è Cœnobijs facta lectulis instruxit, proque decumbentibus necessaria subministravit. Turbas quandoque tumultuatus populus excitaverat, atque quieti ut consuleret & paci Reipublicæ, apertis suis horreis inquietos compescuit, & concionibus hortationibusque sedavit. Cùm verò fames urgeret, quòd deficiente pluvia, segetes evanuissent, publicam, cui interfuit ipse nudis pedibus Deum exoraturus, supplicationem, alijs hactenus, ut videbatur, absque fructu peractis, instituit, tam felici quidem eventu, ut festinato gradu incedendum fuerit deprecatoribus, ne copiosissimo imbre jam jam imminente, mox verò cadente, maderent perfunderenturque.

325 Accuratius tamen animis quam corporibus vigilavit, enixè procurans uti Christiana in Diœcesi sua disciplina vigeret, atque hanc ob rem multorum invidiam passus gravesque obtrectationes, quòd desistere ab instituto pro conscientia sua haud posse videret, tæderetque ipsum tot inter fluctus inquietum pergere, Archiepiscopalibus subduci infulis cogitavit, & Angelopolita-

litanas à Rege Catholico postulare, eo quidem consilio, ut brevì omnibus valediceret, his quòd non dum ipsarum possessionem captasset; illis autem quòd se subtraxisset; possetque subinde cellam repetere, ceu nidum in quo, gravis ætate & languore, immi-nentem mortem opperiretur. Ubi verò Compostellani hæc olfecere, statim cursores arcessunt, qui mutatis subinde equis pervolent litterasque quam ocyssimè ad Regem deferant, quibus Senatus Populusque & Ecclesiæ Capitulum demisissimè rogant, multisque obtestantur momentis, ne Archiepiscopo annuat, incredibili totius dolore Diœcesis, maximan passuræ in illo jacturam. Voti compotes, dici vix potest quanta dederint signa lætitiæ, per inde quasi redivivũ Parentem susciperent, denuòque inaugurato Principi ac Domino fausta acclamarent, ac sibi omnibus fortunas & vitam gratularentur.

326 Profectò Regi Carolo sic erat acceptus Antonius, ut Sanctus apud ipsum audierit, quo illum honestavit cognomine scripto Decreto, ne alius à Rege de negotijs illius judicaret, cavens nimirum molestijs ita eum eximere, quas propterea tulerat, quòd pro Ecclesiæ suæ & Dignitatis juribus vindicandis certasset. Philippum autem V qui proximus Carolo II successit, statim pro insita Americanis in Reges suos observantiâ & pietate, fidelissimè Noster coluit, nutanteque in pluribus fide, quam juraverat ipse legitimo Hispaniarum atque Indiarum Domino, mordicus asseruit, & Legiones nonnullas, solutis stipendijs, accire quandoque, ut in pertinacis fervore belli inservirent Philippo, è re sua duxit. Cœterum, ut ab impostoribus Catholicum ac pijssimum Regem eximeret, Litteras ad ipsum Magnatis Hispani deferendas manu dare haud quaquam est veritus, queis eruditione juxtà ac pietate plenis, antiquoque Ecclesiæ Patre dignissimis, lucem in maximo, quod agebatur, negotio, pro Dei gloria & Catholicæ Religionis affunderet.

327 His multisque intentum alijs pro munere suo Compostellani suspiciebant & mirabantur, multò tamen justius stupebant totos viginti annos lecto defixum, media sui corporis parte exanimen, integrâ quidem mente, patientiâ incredibili, ceteràque virtute Deum cogitantem laudantemque, nec pastoralis curas officij, quas gerere ibi poterat, unquã intermittentem. Quoniam verò & isthæc, & quæ diximus plura, aliaque bono in lumine collocata legimus in Encyclica, quam ejus in Ordinis Magisterio successor admodum Reverendus P. Antonius Cloche ad suos toto terrarum Orbe effussos scripsit, placet quidem fragmentum ad tabulas nostras revocare, quod in suis transcribunt eruditissimi Galli

Galli Critici Annales Scriptorum Ordinis ejusdem elucubrates. Et ita quidem illud habet ad annum 1677. pag. 668. § 2.

328 *Sanè Fratres dilectissimi, si tot beneficia quibus Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Antonius de Monroy Archiepiscopus Compostellanus, sacri Ordinis Prædicatorum olim Magister, sibi devinxit Ordinem, dum illius per novem annorum spatium præfecturam gessit, in memoriam revocetis, omni proculdubio gravem jacturam, quam tanti viri decessu patimur, nobiscum unà dolebitis, nec committetis unquam, ut apud vos intercidat fidelis rerum ab eo gestarum memoria. Recolite quæ illius fuerit in ponderandis negotijs maturitas, in gerendis cautio & integritas, in conficiendis diligentia, in providendo nequid religio detrimenti caperet singularis prudentia, in promovendâ observatione disciplinæ regularis vigilantia. Vestris obversentur oculis avita illius pietas cum solida eruditione conjuncta, sincerus animi candor, sermonis ingenuitas, grata in moribus, in habitu, in cultu, in incessu modestia, ab omni fastu pompâque ambitiosâ abhorrens. His virtutibus ornatus secunda omnium gratulatione ordinem nostrum felicissimè rexit, & ex umbraculis vitæ religiosæ eductus atque Archiepiscopali dignitate inauguratus, nihil de pristino cursu, quem in ordine jugiter tenuerat, immutavit, palamque ostendit omnes virtutes, quibus in religione antehàc præfulserat, modestiam, frugalitatem, parcimoniam, & nobilem caducarum rerum contemptum non honore imminutas, sed magis auctas, novoque sacrarum infularum splendoris incremento fuisse decoratas. In eo prorsus summa erant omnia, ex quibus undique fuit perfectus, & detractis quibuscumque vitijs Episcopus cumulari debet. Sed præsertim in ipso eminebat eximia charitas, quæ sese totam ad alienas utilitates ita porrexit, atque semper explicuit, ut nullus sit in amplissimâ Diœcesi Compostellana locus, quo non ille curarum & cogitationum partem derivaverit. At enim boni & omnibus partibus absoluti pastoris munia obiens illustrissimus Archiepiscopus, ea quæ jam injuria temporum delapsa defluxerant, æquissimis legibus vinxit, mores emmendavit, restituit disciplinam, cultum Dei excitatis passim ædibus sacris instauravit, & ad veterem sanctimoniam omnia suis exemplis revocavit. Erga pauperes parens adeò munificus fuit, ut sui oblitus ac planè immemor, omnes suas opes in eorum sinum benignè & liberaliter effunderet: nihilque secundùm Deum antiquius haberet, quam ut sublevaret pauperum indigentiam, & remotâ plerumque hominum conscientiâ, caloque teste honestarum familiarum angustijs & pudori consuleret: Quo factum est, ut obtentâ à summo Pontifice facultate, pauperes ex asse suos hæredes moriens instituerit, nihilque alijs reliquerit, nisi summum sui desiderium, & hæroicæ beneficentiæ memoriam.*

329 *Sic pius ille Antistes per triginta annos in Archiepiscopatu*

Com-

Compostellano ab anno videlicet M. DCLXXXV ad annum M. DCCXV semper sibi constanti vitæ ratione vixit omnibus charus, & de singulis benè meritus: sed potissimum de Ordine nostro, in quem ita se propensum exhibuit, ut Monasterium jam vetustate collapsum suis impensis omnino resarciendum curaverit, & ad seram usque posteritatem curas suas & cogitationes convertens, collegium instituerit dotaritque ære suo ubi religiosi juvenes sanioris theologiæ tyrocinia ponerent, atque germanam haurirent pietatem, quæ se quaquaversum latissimè propagaret. At quantus quantusve vivens fuerit religiosus noster Antistes, maior tamen se ipso moriens visus est. Non mens ei senio fracta, non oppressa morbo, non extincta languore. Per viginti annos integros media sui corporis parte exanimis lecto defixus decubuit; nullus interea gemitus, ac ne doloris quidem signum ullum, impatientia nulla, eadem vultus hilaritas, animus cœlesti lætitiâ delibutus, plenus divinarum laudum sermo, idem intrepidus ad extremam usque vitæ periodum in vindicandis Ecclesiæ suæ juribus vigor. Sic ab annis & infirmitate vires accipiens, non cessabat grates immortales Christo servatori amantissimo rependere, quòd ipsi crucis particulam impertiret. Deo quot quot habebat corporis partes, ceu totidem victimas immolabat, lætusque cernebat se in dies aliqua sui parte Christo configi cruci. Demum æternitatis candidatus, cœlo jam maturus, & in sua quam religiosæ paupertatis amans elegerat, abjectissima cella, solis cœlestibus bonis inhians, mortem serena fronte aspexit, quam omnibus Ecclesiæ sacramentis munitus, tranquillè inter manus Fratrum suorum oppetijt ineunte anno ætatis suæ LXXXIII die VII Novembris anni æræ christianæ MDCCXV. Hactenus ornatissimus P. M. Cloche; subdunt verò pereruditi Critici.

330 *Quæ in his litteris de singulari & eximia Archiepiscopi nostri in victu parsimonia, summa verò erga exteros liberalitate leguntur, experti sunt & comprobarunt classis Gallicæ duces & milites omnes in funesta illa ab Anglis ad portum Vigo accepta clade. Tum enim in Galleciam ingressi, & palantes rebus omnibus spoliati, ab eo lautè & oppiparè accepti sunt, & necessarijs omnibus abundè suppeditatis omni officiorum genere divincti. Hinc in Franciam reversi magnificentiam Archiepiscopi unà & sanctitatem ubique & in aula ipsâ Ludovici XIV prædicaverunt, seseque verum Ecclesiæ pastorem vidisse gloriati sunt.* Hæc illi.

331 Ad nostrates ubi luctuosissimi funeris nuntiæ ex Hispanijs litteræ sunt delatæ, egregio omnium ordinum homines dolore de gentili suo perciti, ijs graviores acutioresque mœstitia aculeos infixit, qui propiùs Heroi è vivis sublato, aut sanguine fuerant, aut institutis, à quibus subinde justa fuere soluta, qua decebat undique Illmûm. Virum

rum pompâ. In Metropolitanâ Ecclesia Parentationem accuravit ejus ex Sorore nepos, quem diximus D.D. Antonius de Villaseñor & Monroy, qui id temporis Archidiaconum agebat, dein verò in Decanum evectus fuit, multis alijs obitis egregiè muneribus clarus, Diœcesis Vicarius Generalis, & Sanctæ Cruciatæ Regij & Apostolici Tribunalis Commissarius Generalis Subdelegatus, excitatâ funestâ mole, atque invitatis unà cum Archiepiscopo V. D. D. F. Josêph de Lanciego & Eguilas, atque Ecclesię Capitulo gravissimo, moxque dicto ornatissimo Tribunali, Academiâ Mexicanensi, omnibus Religiosorum cætibus, Primarijsque & Nobillissimis Civibus Mexicanis, quibus & dolori fuerunt & admirationi Compostellani virtutes Præsulis optimè ad oratorios ornata numeros Oratione propalàm factæ à D. D. Luca de Verdiguel, Canonico Magistrali, usu multo & pari eruditione ad dicendum eximiè comparato, prodijtque concio typis Lupercianis anno 1716. Universitas dein Mexicea Doctori suo cum primis insigni & Antecessori quondam spectatissimo supremi diei indixit solennia lugubria, frequentissimâ Academicorum, Religiosorum, Collegiorum, Scholarium que omnium concione, qui vespere convenientes, post Ecclesiasticas cum cantu preces auditas, latinâ dicentem Oratione excepere D. D. Joannem Hernando de Gracia, infulatum Magistrum, dein Metropolitanæ Ecclesiæ Præbendatum, & deinceps Canonicum; mane autem rursus coactâ florentissimâ eâdem coronâ, ad aras solennissimè est actum, atque è superiori loco elogium vita functi Archiepiscopi, hispano quod sermone texuerat, eloquentissimè recitavit D. D. Bartholomęus Philippus de Ita & Parra, Antecessor & ipse Academicus, postmodum Canonicus itidem à Concionibus, atque typis procussæ utriusque Doctoris Orationes exiere formis annoque nuper dictis. Nec porrò Dominicani Mexicei in colendo Magistro Generali suo atque Parente, hujusce Sanjacobeę Provinciæ filio ornatissimo decoreque eximio, cœteris concessere, exequijs ejus maximâ ductis pôpâ & æquali mœstitiâ. Quòd ad scripta attinet ejus, cognita fuere Criticis Ordinis jam laudatis alia nulla præter

Registrum ejus litterarum, dum Ordini præfuit, Romæ servatum;

Et Ordinationes pro recto Ecclesiæ Compostellanæ regimine.

Quibus comperta nobis adjicimus & typis data & Mss sequentia.

Laudatio Funebris ad Regias Augustissimi Philippi IV Magni Hispaniarum Regis & Indiarum Imperatoris Exequias habita in Regali Conventu S. P. N. Dominici die 25 Mensis Augusti anno Domini 1666.

1666. coram gravissimo S. Officij Inquisitionis Consessu extincto nuper Regi parentante. Mexici, ex Typographia Viduæ Bernardi Calderon 1667. in quarto, extat que in libro id argumenti alia à Quæsitoribus Fidei curata eruditissimè ob oculos proponente sub titulo hispano: *Honorarius tumulus, &c.* Nostri verò, quam diximus, Oratio idiomate concepta latino est.

Patrio sermone, dùm Cópostellanæ potiretur Ecclesię publicavit *Epistolam Pastoralem ad Rectores, Beneficiarios, cæterosque Diœcesis suæ Ecclesiasticos viros,* quos gravissimè hortatur omnes ad strenuam in erudiendis populis suis operam dandam, & eleemosynam impendendam egenis, assumpto Psalmographi themate: *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam;* eo que eloquentiâ juxtà & sacrâ eruditione ad propositum tempestivè explanato paginis 24 in folio, hispanis formis, Officinæ tamen, ut fit non nunquam in similibus, & Typographi nomine tacito.

Adhæc, è multis latinis, quas sedens ad clavum Familiæ, dixit Romæ ad Fratres, Orationibus, quinque habuimus ad manus à D. D. Villa-Señor, Mexicum allatas, tres quidem authenticas, duas autem ejusdem nepotis manu transcriptas, qui & adjecit in codice, nullas se præterea nancisci potuisse, reliquis pluribus aliò dilapsis. Sunt illæ porrò

Prima *habita Feria quinta in Cœna Domin. Anno 1678.*

Secunda *dicta in Festo S. Parentis Dominici, Anno 1683.*

Tertia *recitata in Pervigilio Nativitatis Servatoris nostri Jesu Christi. Anno 1684.*

Quarta *pro Vigilia itidem S. Dominici. Anno 1684.*

Quinta *panegyrico moralis in honorem Deiparentis Virginis,* quam SS. Trinitatis Complementum appellat, multisq́ doctissimè probat. Extant in Scrinijs D.D. Josephi de Garaicochea, stirpis Illmî. viri germen, cui subinde consignatæ fuere à Domino Decano Villa-Señor avunculo suo.

Præterea extat *Epistola ad SS. D. N. Innocentium XI supplex pro Beatificatione Servi Dei V. Sebastiani de Apparicio,* edita Romæ in Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ, tacito anno, habetur que in Libro, cui datus Italicè titulus: *Summarium in Causa Mexicanâ Venerabilis Servi Dei Sebastiani de Apparicio* in fol. cujus copiam nobis fecit D. Joannes de Imaz Esquer, à Secretis Universitatis Mexiceæ, Causidicus que doctissimus.

In Tabularijs Dominicanis Americæ nostræ asservatur *Epistola ad universam Familiam data* tum temporis cùm Magisterio Noster potiri cœperat, cujus exordium *Ad Ordinis apicem,* Romæ ad Minervam 1. Augusti 1677.

Item *Acta seu ordinationes pro singulis Indiarum Provincijs;* quas sic

ſic condivit ordinationes, utile ut dulci opportunè miſcuerit.

Demum legimus *Epiſtolam* hiſpanâ linguâ datam ad Marchionem de la Mexorada paginas plus viginti adimplentem, ut ſcriptis Regis nomine, & titulo *Expoſitiones* vulgo *Manifieſtos* anno 1709. publicatis, faceret ſatis, Principemque ſuum ab impoſtoribus liberaret. Sunt ejus Mexici & alibi exemplaria quam plura.

Scripta Theologica, quæ docendi partes explens & in Academia Mexicea & in domeſticis Gymnaſijs pro erudiendis juvenibus concinnavit, ſilétio propterea involuta relinquimus, quòd eorum nos tituli fugiant & argumenta, uti codices ipſi Academicum Archivium Librumque pro ſignandis annuis prælectionibus effugerunt, non dum miſſis in poſeſſionem ſtatutis hæc præſcribentibus.

Noſtri, nec ſine elogijs debitis, meminere Clariſſimus D. Carolus de Siguenza, tum in Libro de Queretarenſis Urbis decore & gloria pag. 6. tum in Triumpho parthenico fol. 89. col. 1. P. Balthaſar de Medina in Chronicis Provinciæ S. Didaci Mexicanæ Franciſcanorum nudipedum fol. 255. n. 887. P. Franciſcus de Florencia in Hiſtoria Societatis JESU Provinciæ Novæ Hiſpaniæ pag. 82. num. 86. P. Julianus Gutierrez Davila in Monumentis Hiſtoricis Congregationis Oratorij Mexicanenſis parte 1. pag. 30. n. 65. ubi & brevem noſtri ad Oratorienſes PP. Epiſtolam affert, & pro eximio ad eoſdem tranſmiſſo dono, particulâ ſcilicet ex præcordijs S. Philippi Nerij deprompta, grati teſtimonium animi exhibet; & pag. 87. num. 216. è Mss. Plaza in Chronicis Univerſitatis lib. 5. toto cap. 24.

332 D. ANTONIUS DE MORALES PASTRANA, Natione Mexicanus & Patria, amœnioribus unà & ſacris litteris delectatus, cùm hiſpanis, tum etiam latinis, nec minus ſolutâ doctus quam ligatâ oratione, multi ab eruditis habitus ut ex eorumdem cenſuris Opuſculo 1. mox laudando præfixis fit palam; doctrinæ ſpecimen & facũdiæ juxtâque pietatis exhibuit, publicatis, multa imbutis eruditione, hiſce Opellis, idiomate hiſpano.

Solennis, plauſibilis, & feſtiva pompa pro Beatificatione plaudendâ Glorioſæ Virginis Limenſis Roſæ de S. Maria. Mexici, ex Typographia Luperciana 1671. in quarto.

Sanctiſſimæ Virginis Deiparentis Dolores metro expoſiti. Mexici, ex Officina Joannis Joſephi de Guillena Carraſcoſo 1694. in octavo.

333 D. ANTONIUS MORELOS, cujus Natio nobis & Patria ſunt in ancipiti, apud novam Galleciam Actuarius Regius, non ita publicis conficiendis deditus inſtrumentis, ut in amœnioribus litte-

litteris non ipse instructus satis esset atque eruditus; nec forum sic quotidie frequentans, ut non itidem Parnasum adiret; suæ adversus Musas unà Pręsidemque Regij Goadalaxarensis Conventus juridici gratitudinis & observantiæ testimonium scripto dedit, quod nobilissimæ ejusdem Civitatis nomine posuit, hispanis versibus prosequens debitas viro laudes illustri, qui insignem flumini magno dicto Tololotlan, pontem super induxerit, alia que in Reipublicæ commodum monumenta egregia posuerit. Titulus opellæ sic habet hispanicè scriptę.

Grates à Nobilissima Fidelissimaque Urbe Goadalaxarensi relatæ illustri admodum D. Thomæ Teran de los Rios, Gubernatori suo, quòd Pontem fluvio magno Tololotlam egregium dederit, aliaque, ipso rerum ponente, opera utilitati accesserint publicæ. Mexici, apud Joannem Franciscum de Ortega 1721. in quart.

334 FR. ANTONIUS MORENO, Domicilio quidem Mexicanus, sinminus Patria & Natione, quorum incerti sumus, Provinciæ S. Evangelij Franciscanorum PP. alumnus, Conventusque Mexicei Guardianus, Primarius Sacræ Theologiæ Lector, & apud S. Inquisitionis Officium à Censuris, concionem à se habitam in Templo S. Joannis de Deo Hospitalitatis Parente, pro ipsius in Cœlitum album recèns scripti heroicâ virtute laudibus efferendâ, typis excudendam tradidit cum alijs per octiduum id loci dictis, cæterisque solennissimo in festo religionis juxtà & ingenij monumentis. Extat hispano sermone

Panegyris in Canonizatione S. Joannis de Deo.

In Libro de Apoteosi S. Fundatoris Mexici celebrata ab ejus Instituti Provinciâ Sancti Spiritus, Authore D. Joanne Ramirez Santibañes. Mexici, ex Typographia Luperciana 1702. in quart.

Mss Nostri

Tractationes Philosophicæ & Theologicæ, Concionesque

Si in has paginas adducantur à Socijs grates ipsis habebimus.

335 D. ANTONIUS DE MORGA, cujus Natio nobis incomperta est & Patria, Domicilio Mexicanus, ad Philippinas Insulas id temporis trajecerat, cùm primùm Senatus Regius ibidem institueretur; ad quem evectus quòd & Doctor esset juris peritus & cœterâ pro munere virtute polleret, non eo tantùm nomine insignis evasit, sed quòd etiam Gubernatoris non ita pridem detectę Regionis vices strenuè gesserit, non minus bellicis expeditionibus clarus, quam prudentiâ & consilio in Reipublicæ negotijs agendis illustris. Inde Mexicum delatus, Togatis ijs adscriptus Regis imperio fuit, qui Vindices criminum audiunt, atque interea loci edidit idiomate hispano librum scriptum,

Eventus Insularum Philippinarum. Mexici, typis Hieronymi Balli 1609. in quarto.

Meminere Authoris & Operis D. Nicolaus Antonius in Bibliotecâ Hispaniæ novâ tom. 1. pag. 115. & D. Antonius de Leon, in Occidentali tom. 2. editionis novissimæ col. 635. P. Fr. Josephus de Torrubia Franciscanus, amicus noster, in Dissert. Histor. Politic. de Mahometismo in Philippinas Insulas propagato, pag. 66. edit. Madritanæ 1736. ubi & Authoris elogium texuit & Operis.

336 P. ANTONIUS NUÑEZ DE MIRANDA, Natione Mexicanus, in Oppido Fresnillo, argenti fodinis insigni, prope inclytam Zacatecanorum Urbem, ad multa & magna gerenda natus est 4. Novembris anno 1618 Parentibus nobilitate claris, pietate illustrioribus, Didaco Nuñez de Miranda, qui mox dictum Oppidum detexuerat, & D. Hieronyma de Valdecañas; à quibus christianè institutus atque politicè, ut imbueretur Latinitate in proximam JESU Societatis Scholam apud Zacatecas florẽtem transmissus, egregium jam inde virtutis & doctrinæ, quibus futurus erat dotibus ad stuporem eximius, specimen dedit. Mexicum deductus pro Philosophicis litteris addiscendis, P. Petrum de Prado, multa eas laude in Maximo SS. AA. Petri & Pauli Societatis JESU Collegio profitentem, Magistrum audivit, cui etiam ob ingenij, memoriæ, & assiduę in studio ac virtute exercitationis dotes præclaras, in primis arrisit, à Sodalibus interea magni habitus, quòd & eruditione ipsis præiret, & christianæ pietatis exemplo, ut subinde audiret Gregorius Lopez, per inde quasi hujusce Clarissimi Anacoritæ modestiam referret & probitatem, nil moratus juvenum sensa dictaque, ut globulos precatorios ad collum appensos gestaret, non clam, sed palam & super Clericalem, qua induebatur, vestem (Erat enim jam tum Ordinibus minoribus initiatus.) Baccalaureatus laureâ in Universitate Mexiceâ donatus eo loco fuit & honore, qui provectioribus in Cursu tribus jure decernitur.

337 A JESU autem in suam Societatem vocatus, huic se totum Familiæ devovit, seque instituendum in omnibus dedit, quam eximiâ in posterum gloriâ coronaturus erat. Probationis annis non sine egregiæ virtutis specimine religiosę transactis, emissisque votis quibus se Deo religavit & Societati, mansuetioribus litteris excolendis traducitur, annum, de more, in eis positurus; semestri tamen studio & exercitatione adeò eruditus promptusque invenitur, pro eo quo pollebat ingenio penitus singulari & simili conjucto memoriæ, ut supervacaneum Magistri Superioresque judicantes tempus dis-

discédo terere quod utilius longè docendo impenderet, Grámaticæ Præceptorem Vallisoleti Michoacanensium constitutuunt, qua strenuè usus spartâ, Mexicum advocatur Theologicis ut incumbat studijs. In his porro ita diligenter versatur, primas ut inter Sodales facile tulerit, atque unà cum strictiori Regularum observantiâ, & virtutum exercitio planè mirando, amœniorum Opuscula litterarum sociarit, ab exteris requisitus, ut quà soluta, quà ligatâ versibus oratione, cùm hispanâ, tum etiam latina pro varijs argumentis quotidie fere luderet. Absoluto quadriennio, theses per diem integrum publicè in Collegio Maximo propugnavit, mane quidem decem & octo divisas titulis ex universa Scholastica Theologia deprõptas, vespere autem ex utroque jure petitas sex alijs propositas titulis, adstantibus Auditoribus Regijs, Doctoribusque arguentibus sapientissimis, ac mirantibus hominem Theologum juris peritorum adita penetrasse, atque in alienam, quam studio & ingenio propriam fecerat messem, falcem multa sibi fruge misisse. Et ex tunc quidem ad nostra usque tempora mos invaluit, ut in hisce Majoribus, ut dicuntur, concertationibus vespertina themata è Canonico ac Civili Jure petantur magno certè Magistrorum & discipulorum compendio, qui his jactis fundamentis, insignia superextruunt opera Theojuridica, consulentibus valde utilia. Hercle, Noster hinc parare eruditionem illam juris cœpit eximiam, de qua mox sermo recurret.

338 Interea loci Sacerdotio ipse jam consecratus, ad plura que natus, multis applicitus munijs à Superioribus, omnibus ea numeris religiosè juxtà & industriè ad Dei gloriam gessit. Quinquies Ministrum egit, Angelopoli ad S. Spiritus, Mexici ad Maximum, & ter in eo quod Tepozotlami pro Novitiorum institutione destinatum est, quibus sic semel in spiritu formandis incubuit, ut insimul ijs qui vota jam emisserant, inibique morabantur humanioribus disciplinis imbuendi, has tradiderit politissimè. Tum repentè Philosophiam professurus vocatur, quòd ægrâ prępedito valetudine Præceptore qui Cursum Mexici incæperat, pro eo que alijs ad tempus substitutis & alijs, integer præterlapsus jam fuerat annus, vererenturque Collegij & Studiorum Moderatores, malè tot doctrinæ centones auditoribus cessuros; quòd verò nostri & ingenium noscerent, & erutionem perspectam haberent, & diligentiam ac promptitudinem in arduis quibuslibet singularem fuissent experti, spem in eo omnem collocarunt, fore ut unus his mederetur resque tandem auspicatò eveniret. Certè, neutiquam falsos fuisse successus docuit:

cuit: nam Phyſicam aggreſſus conſcribere pro quotidianis prælectionibus, ut partitis horis Logicam etiam traderet, diſcipulos à varia quam texuerant tela liberaturus, nocturnam ſibi quietem fere omnem ſubtraxit, dedit que elucubrandis anguſtiſſimo tempore omnibus, quin propterea ullam ex deſtinatis pro inſtituto orationi & ſacris functionibus horam intermitteret, Deo in primis ac divinis vacans; quo mirè propitio & favente, res è voto ſucceſſit, diſcipulis egregiè eruditis, qui eximia dein laude claruerunt, Patriæque honori fuerunt & ornamento minimè vulgari: quos inter caput extulere Illmî. D. Iſidorus de Sariñana, Epiſcopus Antequerenſis: D. Alphonſus Albertus de Velaſco, qui Archiepiſcopalibus Manilæ Infulis ſe ſubduxit: M. Fr. Auguſtinus Dorantes, Prædicatorum Ordinis decus ſua ætate eximium, notiſſimus apud Quęſitores Fidei Cenſor: M. F. Paſchaſius Treto, Mercedenſis Ordinis alumnus à litteris & virtutibus commendatus, alijque clari dotibus viri.

339 Ubi Curſum abſolverat, interſtitio Tepozotlami, ut diximus, facto, iterum Philoſophiam tradere jubetur Angelopoli, quam à capite exorſus ad calcem deducit, auditoribus nihilo doctrinâ minoribus, è quibus munere etiã conſpicuus evaſit D. Joannes de Urquiola, Regij Guatemalenſis Auditorij Togatus, Mexicanus deinde Triumvir. Adhæc intermiſſâ ad exiguum ſpatium palæſtrâ, eidem ulterius ſiſtitur in eo ipſo Angelopolitano Collegio, mox in Goatemalenſi, ac demum in Mexicano Theologicis præpoſitus Cathedris, cùm alijs pro Sacrorum interpretatione Bibliorum & Moralium tractatione dificultatum, tum etiam Veſpertinæ ac Primariæ, quæ extricandis ſpeculativæ Theoſophię nodis ſunt deſtinatæ: & in his quidem Mexici annos undecim poſuit, queis ſi alibi Gymnaſiorum impenſos addas, ſupra viginti ſupputabis in docendi munere inſumptos ab ipſo. Ut tamen & eruditione prævalebat omnigenâ, & nulli unquam labori parcebat, atque unius Dei gloriæ multis augendæ modis inhiabat, ita demum Scholarum negotia peragebat, ſimul ut multis deditus alijs, nulla præpeditus dificultate rerum, aut detentus multitudine & varietate, ſingulis expediret ſe facilè, & feliciter cuncta abſolveret: nam & domi & foris frequentiſſimas juxtà & doctiſſimas conciones habebat, confeſſiones non modò ad Templa Collegiaque, in quibus morabatur, adventantium excipere jucundum ſibi erat & familiare, verùm etiam languentium, queis opem ferre in delicijs ducebat, quoſque in Valetudinarijs inviſebat ac ſolabatur.

340 His, reſponſa adjiciebat conſultus de rebus graviſſimis,

ceu Oraculum undique requiſitus, atque in primis à Fidei Quæſitoribus, qui eo uſi fuere ſupra triginta annis Cenſore, ipſis cœterisque ornatiſſimis ejuſdem Conſiſtorij Miniſtris probatiſſimo. Tanta ſiquidem ejus erat apud Sapientes quoſque viros exiſtimatio, ut muneris Socij conſultandi gratia convenientes & diſquirendi apud Sacrum Tribunal, audire illum in primis vellent compendij ergo, quòd unus ille omnia affluentiſſimâ doctrinæ copiâ, quæ optari in re poſſet, exhaurire ſoleret. Supremum quoque S. Inquiſitionis Conſilium Hiſpanum tanti eum meritò fecit, ut degentem Mexici, in arduo equidem puncto conſulendum duxerit, & verò etiam in ejuſdem ſententiam reſpondentis abierit. Prudentes ſanè viri & doctiſſimi in ea fuere exiſtimatione, ut ſi eo tempore Concilium Generale à Romano Pontifice indiceretur, digniſſimus ille eſſet qui primarios inter Theologos compareret, Eccleſiæ Dei admodum profuturus.

341 Scilicet tantâ prædives erat eruditione cùm ſacra, tum prophanâ, ut niſi Proceribus in litteraria Republica eruditiſſimis, qui Phenice, ut eſt in proverbio, rariores ſunt, comparari haud poſſet: rarò enim conjungi in uno ſolent homine dotes eximiæ, queis illum D. O. M. ad ſtuporem uſque locupletavit: facili in primis adeò felicique & tenace memoriâ, ſemel ut lectum librum, perinde quaſi ære inciſum perpetuò teneret, mirareturque ſubinde eos qui ſecundò ejuſdem lectioni voluminis operam darent: quæ recèns in lucem prodijſſent ſcripta diligenter quærebat legebatque à capite ad calcem, tum verò quid in eis novi inveniſſet Socijs indicabat, reliqua penes talem & talem Authorem reperiri jam pridem: nec ſententias duntaxat librorum, ſed folia etiã & paginas, ſub quibus ille continebantur, promptè indicabat, ut experti ſunt pluries qui cum eo agebant, fidemque facit qui ejus conſcripſit vitam accuratiſſimus P. Oviedo. Hinc cęcutienti in extremis annis, & per integrum morti proximum luminibus penitus capto, integrum tamen erat conciones multis & longis Patrum teſtimonijs refertas Amanuenſi dictare, dicereque è ſuperiori loco, anguſtijs nunquam temporis impedito, ſocijque auxilio libros, quos è re petebat, & quorum indigitabat opportuna argumento ſuo loca, afferentis: hujus itidem miniſterio pridie legentis, Miſſam quamlibet recitabat citra prolapſionem exactè, longèque facilius currentis diei Officium Eccleſiaſticum perſolvebat, Breviarium, quà late patet, omne memoriâ tenens. Huic par nactus ingenium acutiſſimum & promptiſſimum, judiciumque præſtans & acre, aſſiduitatem & propenſionem ad litte-

teras incredibilem junxit, ut ne momentum quidem temporis præterlabi pateretur, quin aut divinis, aut quæ ijs concernunt rebus, aut lectioni scriptionique daret, atque adeo animatam ageret Bibliothecam, ne dum humaniorum litterarum & Philosophiæ Theologiæque Scholasticæ, sed etiam Positivæ & Moralis, in qua quidem parte fassus ipse est, nunquam audivisse Scriptorem esse ullum, quin hàc illàque conquisitum comparasset, ac totum legisset. Quòd autem persuassum haberet, Theologum, consummatus ut sit, oportere juris esse valdè peritum, huic se vastissimę Facultati excolendę dedit impensè, eo quidem profectu, ut vel ejusdem Professores doctissimi, Patronique causarum exercitatissimi illum consulerent in difficilioribus Fori punctis, mirati semper hominis etiam in extraneâ Scientiâ copiam, & mirabilem cogitandi ac loquendi feracitatem & proprietatem. Nec Historiam pretermissit & Criticem, facili quidem negotio familiarem homini in tantâ memoriæ felicitate, lectionis assiduitate,& maturitate Judicij,ut propterea calamum nonnumquam hisce admoverit, interque à se edita extent quoque Historica Critica sanè pulcherrima, quæ suis infra sedibus collocabimus.

342 Tot porro deditum ministerijs, nec dum Scholarum absolutum oneribus, quæ Magistri ferunt studiorumque Præfectus, præfecere Superiores Insigni admodum Sodalitio, quod à conceptâ citra labem Virgine Deiparente Purissimâ nomen habet, nuperque operâ Venerabilis Patris Petri Joannis Castini in eōdem Collegio Maximo conditum fuerat. Viget quidem illud & floret etiamnum centenario antiquius, tantâ undique gloriâ conspicuum, illustriori ut nulli concedat, æquetque primaria ex innumeris quæ toto Orbe regit clarissima JESU Societatis Familia: Ecclesiasticis unà ac prophanis coalet hominibus, clarioribus ex utroq̄ ordine illuc confluentibus, scilicet Metropolitanę Ecclesiæ Canonicis, Universitatis alumnis, Doctoribus Antecessoribusque, & è Clero plurimis pietate & doctrina conspicuis, nec semel ex Ordinibus Regularibus viris præclaris, Auditoribus Regijs, Patronis causarum, ac multis Curiæ administris, Equitibus, alijsque multis, nullo tamen qui non ex honesta domo prodierit, atque hispano satus sanguine expersque deturpantis famam maculæ fuerit; demum, ipsis quandoque Mexiceis Pro-Regibus.

343 Jecerat quidem hujusce fundamenta Congregationis pijssimus P. Castini, supraque vicennium eam foverat egregio, quo æstuabat, zelo Dei glorię salutisque animarum, atque ut ipsam servaret promoveretque & illustriorem redderet longius Noster,

ſter, is ut in ejus decumbentis locum ſufficeretur author fuit, demortuique partes ut impleret Familiæ Rectorum imperio. Mirum profectò eſt, qua ipſe alacritate munus arripuerit, qua totos triginta duos annos conſtantiâ tenuerit, & quantâ Sodalitij gloriâ & utilitate in ſpiritualibus temporalibusque illi prçfuerit. Quòd enim Sodales convenirent pro inſtitutis exercitijs agendis in Sacellum vetuſtate fatiſcens, ſepeliendis defunctis in Collegio Patribus deſtinatum, & cùm alijs incommodum nominimus, tum etiam anguſtum, nec tot capiendis viris aptum; Noſter auguſtiſſimũ plane aggreſſus eſt aliud à fundamentis, Dei innixus providentiæ, qua ſibi propitiâ biennio illud abſolvit tam amplum quidem, ornatum, & pulchrum, ut templo par dixeris haud ignobili, quinquaginta mille argenteis uncialibus demum expenſis, cùm tamen quinquaginta duntaxat, ex divendito talari palio ſibi donato, pro auſpicando magnifico opere in proptu habuerit. Altaria præterea, picturas, ſacra vaſa, lampades, multaque his affinia ex argento & auro confflata, veſtimenta ſecundum eccleſiaſticum morem multa & pretioſa, cunctamque ſupellectilem pro divinis myſterijs cóficiendis inſigni pompâ, plurimo ære adjicienda curavit. Adhæc contiguum Sacello cubiculum ita ſcitè diſpoſuit, ut & Patrem Congregationis Præfectum commodè caperet, & aſſervandis mobilibus prçſtò inde deducendis in uſum inſerviret: Bibliothecam itidem ſatis inſtructam condidit, ne Collegij communem Sodalitij Rector pro tempore, hujus quidem impendio, cogeretur quotidie repetere, cùm pro diſponendis concionibus, tum etiam pro ſtudijs alijs ordinarijs aut ocurrentibus.

344 Potiores tamen curas ſuas inſtruendis in ſpiritu Sodalibus poſuit, ad quos ſemel in hebdomada concurrentes è ſuggeſtu dicebat ſapientiſſimè juxtà ac pijſſimè, id unum præ oculis ſemper habens, ut à vitijs quam longiſſimè diſſitos auditores ſuos perpetuò ſervaret, & Chriſtianis deditos exercendis virtutibus alacriores ferventiores que faceret: in quem itidem finem pleroſque excipiebat in conclave venientes, privata monita & reſponſa publicis adjiciens exhortationibus. In Valetudinaria & Carceres, ſtatutis diebus, ſuis præibat, à quibus ſubſidia pro juvandis miſeris illis ſic poſtulabat, multi ut ſua ſponte illa ſuppeditarent, conditos domi cibos ſecum defferent, ac multis charitatis officijs illos complecterentur, exemplo æquè ac verbis omnes ad iſthæc peragenda prævalidè urgens. Et quamvis nullum ex his quæ ſunt Mexici Xenodochijs præteriret, quin, ut mox diximus, viſitaret; frequentius tamen, ſcilicet

licet ter aut bis ut minimum singulis mensibus domum pro tenendis amentibus destinatam, quam à S. Hippolyto dicimus, atque ab ejusdem nominis Religiosis de Charitate regitur, cum Sodalibus adibat, quam sibi ij provinciam strenuè, haud minus quam ante memoratas, eximiâ hactenus charitate subire neutiquam destitère. Nec his ille contentus, perpetuos quæsivit obtinuitque reditus, ut jentaculum cœnaque mente captis per dies singulos administraretur. Quanta porrò hæc ipse pietate & misericordiâ moliretur & ageret, difficile est dictu, cum ad exactam perfectionis normam omnia dirigeret, ad quam pariter ut Sodales reduceret, minimè irrito conatu gestiebat.

345 Sanè, tanti Sodalitium sibi à Deo commissum faciebat, Deiparentemq̃, cujus cohonestatur titulo, deperibat amore, divelli ab ipso nunquam ut passus fuerit, quamquam & Rectoris Maximi Collegij munus obierit, & ipsam Novæ Hispaniæ Provinciam suam rexerit, Congregationi intentus perinde ac si nil prætetea cogitandum haberet. Multa quidem mente volvebat, atque irrequieto semper motu varia curabat, tam illa inter se dissita quam quæ maximè; nihil tamen cum haberet antiquius quam omnia in Dei gloriam & animarum salutem, suæque in primis perfectionem eximiam referre, sanctè singula peragebat, inque cunctis Deum cogitabat.

346 Theologicas indefessè colebat virtutes, moralibus insimul cunctis exercendis intentus, deque augenda in dies christiana perfectione sollicitus, ad quam avidius prosequendam singulis annis per decem dies aut octo secedens, Exercitijs spiritualibus vacans, inflammabat se, nec segnius quotidianis & longis meditationibus perurgebat. Fidem frequentissimâ Dei, quem præ oculis semper habebat, cogitatione ac reverentiâ excultam auctamque recreabat, cui igniculos breviusculis orationibus adjiciebat. Spe verò pollens egregiâ, nihil non moliebatur arduum deducebatque ad finem, Deo ipsius votis obsecundante: & hac quidem arte, paupertati, quam voverat, summopere addictus, quatuor in Dei honorem Templa construxit, ampla scilicet & pulcherrima. Nam & Sacellum Purissimæ nomine clarum, quod diximus, Templo haud inferius à fundamentis condidit, gravissimis dificultatibus superatis; & Basilicam S. Gregorij, Collegij Societatis JESU Mexici destinati Patribus Indorum vacaturis doctrinæ, similiter extruxit; & Santandreanas Ædes tyronum institutioni ejusdem familiæ non ignobiles certè instituit; & à S. Laurentio nominatum Templum erexit pro Monialibus quæ ab ipso dicuntur, jam pridem eò agentibus,

bus, quòd antiquitate & angustiâ pristinum laboraret: adhæc aliud etiam pro sacris Virginibus à Beatissimâ Deiparente Vallis venariæ dictis, sin minus integrum, se majorẽ tamen partem ipsi in acceptis refert, cujus interventu multa argenteorum millia ejus destinata fuere fabricationi. Alios enim inter pietate juxtà opibusque florentes Mexicanos, quibus volupe erat consilio manuque Nostri erogare pecunias, eminuere viri Clarissimi D. Joannes de Echavarria Equestris Ordinis S. Jacobi, qui litteras in juventute coluerat, Consiliariumque Universitatis nostræ egerat, & D. Andreas de Carbajal & Tapia, quorum pręter hactenus enarrata, extant monumenta Religionis amplissima, à queisque delectus Noster egregijs ut intenderet machinis, nullum ipse non movit lapidem, politissimæ ut evaderent moles, & omnibus numeris absolutæ.

347 His similibusque Patronis adjutus, inexplebili adversus Proximos deditus charitati, pauperibus per hebdomadas multis subveniebat, in primis fœminis egestate periclitantibus facilèque lapsuris, ijs etiam qui erubescerent mendicare, quòd nobili sanguine sati quondamque abundassent divitijs: carceratis hominibus, quibus ut Collegij Patres Mexicani stipem ferre possent haud rarò, reditus consignavit perpetuos: multis etiam sacris Virginibus alijsque egentibus, adeò ut supputatione ad quinquenium factâ, septem unciarum argenteorum millia minutatim erogasse fuerit inventus, neque facilè ea putari valeant numeris, quæ in largiores eleemosynas posuit, vel in dotandis puellis religiosam in Monasterijs vitam acturis, vel in similibus. Et quamvis ab eis, quos superius nominavimus, alijsque divitibus viris nullo ipse negotio pecunias in hos impendendas usus acciperet; multoties tamen egregio eas mendicabat rubore, repulsam passus atque convitia, queis deterrebatur minimè quominus insisteret sublevaturus proximorum miseriam, Deique voluntati consulturus & gloriæ.

348 Hinc suam potissimum operam collocabat in spirituali subsidio, confessiones quotidie plures excipiens domi, forisque vocatus ab ægris, maxima etiam sui defatigatione, adeò ut in ultimâ ætate septuagenariâ longè majore, quo tempore lues Urbem invaserat, captus licèt jam esset luminibus, hinc inde discurrere socij juvamine non vereretur demisissimos inter imbres, perque lutulenta loca cęspitans, Deo tamen favente, prorsus incolumis. Sanctimoniales nullis non curabat officijs, ipsas ut alacriores in statu suo redderet, Deoque egregiâ pietate famularentur: frequentissimas spirituque redundantes conciones ad illas dicebat: scrip-

ſcriptis etiam libris hortabatur, viamq perfectionis monſtrabat: aderat confeſſionibus audiendis, dirigendisque in cœlum ipſis, quibus inter efloruit magnum nomen Joanna Agnes à Cruce ad S. Hieronymi, quæ eo duce religioſam vitam fuit amplexata, ſtudijsque deinceps, ut ſuo ſcripturi ſumus loco, ad ſtuporem uſque ſapientum inſignis, ad extremum eis ſe abdicans omnibus, atque uni vacans Deo, non tam currere in arduo Perfectionis itinere, quam volare Noſtro viſa eſt.

549 Atque his erga Proximos dilectionis officijs, qua in Deum exæſtuabat, mirabilem charitatem intentius fovebat, Dei in omnibus gloriam procurans, cui inſervire diligentiſſimè ſatagebat. Nec mirum tantis ipſe amoris divini flammis corriperetur, quas & quotidianis meditationibus, & frequentiſſimis precationibus, & exactiſſimis conſcienciæ diſcuſionibus, & repetitis in die religioſis ad SS. Euchariſtiæ Sacramentum obſequijs, & plurimis pietatis exercitijs vegetiores habebat & vivaciores. Quater & decies ad minus ſingulis diebus proximum cubiculo ſuo Sacellum adibat, è ſuperiori choro, latentem ut Chriſtum ſub panis ſpeciebus veneraretur factâ oratione, coram quo flexis humi genibus multoties & Horas Canonicas & Marianum Pſalterium, aliasque recitabat pias preces. Ad Aras facere nunquam deſtitit niſi admodum gravi valetudine præpeditus, adeo ut viam quæ ducit Mexicum è Goatemala conficiens, trecentis non minus leucis conſtantem, ne uno quidem die à ſacrificando abſtinuerit, egregiâ defatigatione locum procurans, in vaſtâ illâ ſolitudine montibusque inacceſſis, dicatum ſacris hisque peragendis idoneum. Ipſâ itidem ductus religione multis Mexici annis ad SS. AA. Petri & Pauli Eccleſiaſtica celebravit Officia feria ſexta in Paraſceve & Sabbato Sancto, ne iſtis quidem diebus Communione Jeſu-Chriſti Corporis orbaretur: atque ut in ejus ſe laudes Sacramentum inſtituentis & amores effunderet, Feria quinta in Cœna Domini concionem, quæ inter Miſſarum habetur ſolennia, annuentibus Superioribus, ſibi arrogaverat. Frequentem communicandi uſum, ea qua par eſt reverentia, promovit maximè, quam in rem, cùm alios Tractatus emiſſit, tumetiam doctiſſimumLibrum proInnocentij XI Decreto ea de re exponendo. Tragœdiam verò patientis JESU, cùm multis per annum meditationibus ſecum animo reputaret & volveret, tum potiſſimum tempore Quadrageſimæ, quo Sodalibus ſuis ſic eam palam proponebat concionibus, ut interim à gemitibus & lachrymis nullus ipſe temperare potuerit, quas uberiores longè fundebat ea die

die quæ recolendæ Servatoris morti destinata est in majore hebdomadâ, & per tres solennissimè unà ac funestissimè horas ejus in Sacello Purissimæ memoria fit.

350 Deiparenti Sanctissimæ jam inde à primis annis deditus, ad extremum usque vitæ famulatus est demisissimè, ceu Matri suæ ac Dominæ, quam nullis non colere officijs studuit, atque ut similiter à Sodalibus suis haberetur, & ab his quibuscum agebat omnibus, semper conatus est. Longiores ne simus, alijs prætermissis pietatis in Beatissimam Virginem documentis, argumento sit ejusdem amoris, integrum quod recitabat quotidie Psalterium Virgineum, hoc est, quindecim decades Salutationum Angelicarum, quas Rosarium dicimus, quodque ter in die repetebat eo tempore, quo, casus luminis, lectioni vacare & studio librorum prohibebatur: hinc etiam prima quoque mensis Dominica die Ecclesiam adibat Patrum Prædicatorum, Supplicationem comitaturus, quæ ab ipsis & Rosarij Confratribus instituitur. Cœlites egregio prosecutus amore, ijs addictiùs se dederat, quos Deiparenti noverat conjunctiores: SS. videlicet JOSEPHO, JOACHIMO, ET ANNÆ, atque hujus Vitam admodum eruditè conscriptam à se, justo in quarto volumine edidit; id hoc Opere intendens, quod multis conabatur sermonibus, pietatem nimirum adversus sacram Familiam excolere, populosque docere. Parentem suum Ignatium eximio religionis sensu venerabatur, cæterosque Familię suæ Divos, quibus & S. Tersiam à Jesu, Laurentium Martyrem, egregium Ecclesiæ Doctorem Augustinum, S. Blasium, Apolloniam V. Divum Michaelem AngelorumCoryphęum, aliosque sociabat, nec exiguis obsequijs colebat. Demum, in Animas piacularibus flammis addictas egregiè misericors, multis eas juvabat suffragijs, quibus ut à Fidelibus etiam magis levarentur & magis, Librum ejus argumenti procussit eruditione peræque redundanté atque pietate.

351 Mortificationi deditus ab eo potissimun die, quo se in Societatem recepit, totos quinquaginta octo annos constantissimè eam tenuit: ter quater ve in hebdomada flagellis se cruentare solenne habuit, pluriesque insuper, scilicet in pervigilijs Festorum, quos ferventiori religione excolebat, qua etiam in triclinio usus est corporis castigatione, quousque Rectores Collegij obstitère, benemeriti ac gravati annis, & ærumnis viri curam, ut par erat, habentes. Nec minus frequens ipsi fuit usus cilicij, quo, vel ipso teste Antonio, discruciabat se nimis, quòd hinc inde motus pro ijs quæ continuò gerebat ministerijs domi & foris, altius multò & acerbius cuspida-

tæ corpori telæ hærerent. Multoties jejunabat ſolo pane contentus & aquâ, jejunijque formam ſervabat etiam cum, valetudine coactus ægrâ, carnibus veſcebatur, imò quotidianum dici jejunium ejus poterat, parciſſimo victu aſſueti, vixque non ſemper recuſantis id ferculum, quod pro concionantibus, ea qua dicunt die, condi ſapidius in Societate ſolet. Multò impenſius ſe dedit animi mortificationi, pro ſuimet victoriâ ſtrenuè & continuò decertans, vim ſibi inferens quotidianam: nam temperiem ſortitus bilioſam, & egregiè vivacem animum, multas facilè occaſiones iræ & ſimilium offendere erat, in tanta præcipuè cum diverſis hominibus conſuetudine, quibus cum pro muneribus ſuis agebat; ut tamen ſibi temperare ſtuduerat, mirum in modum naturæ impetus retardabat, & ne quidem prodere ſe, inſigni quidem conatu & merito, permittebat.

352 Hinc inſignis erat illa, qua fruebatur, adverſus conviciantes modeſtia & miſericordia, tanta quidem, ut publicè jactatas in ipſum audientem injurias non modò patientiſſimè tulerit, ſed verò etiam pro maledicente interceſſerit ita validè, ut nulla demũ mulctatus pœna fuerit, cui graviſſimam Prælatus decreverat. Humilitatem ſic habuit charam, ut in tantâ doctrinæ, virtutum, & laudum copiâ, ſibi admodum vileſceret, proditore Judâ deteriorem ſe exiſtimaret, aliorum ſenſa, per inde quaſi ignarus, in arduis requireret (quibus ſponte limatiſſima ſubjiciebat Scripta ſua) invitus elogia honoreſque ſibi præſtitos pateretur, ageretque multis, ut nihili eum homines ducerent, vel fatuis viliſſimis aggregarent. Hinc cum Bibliothecam evolvens Scriptorum Societatis JESU, in hæc ſibi alia inter ab Authore data incidiſſet elogia: *Pater Antonius Nuñez de Miranda, Natione Mexicanus, virtute ac litteris inſignis,* cohibere ſe non potuit, quin ea ſtatim deleret, quorum loco ſuffecit iſta: *Pater Antonius Nuñez, frater natu major dementium ad S. Hippolyti* (hoc enim nota eſt titulo Mexici deſtinata pro mente captis domus) Paupertatis egregius cultor habitu eam referebat ſemper atrito, omnibusq; indumentis, quibus delectabatur veteribus, multiſque commiſſuris conſarcinatis: nec adduci poterat novis ut uteretur, niſi Superiorum mandato; quorum expreſſam, & quæ uſum præcederet omnem in re qualibet paupertatem concernente, licentiam, exactiſſimus requirebat.

353 Certè, egeſtatem in delicijs habuit perpetuò, & poſtquã decem centena millia & amplius uncialium argenteorum in pios ſecundum Dominorum voluntatem uſus expenderat, teſtatus eſt Confeſſario ſuo in poſtremâ generali exomologeſi, ne minimo qui-

quidem ſcrupulo vexari vel quadrantis in ſuum unquam uſum accepti. Dicere autem ſolebat, caſtitati fovendæ paupertatem maximoperè deſervire, ut, contrà, luxum veſtium & aliorum, impudicitiæ, ut propterea animi corporisque munditiem eximiè coluerit, tanto paupertati devotus ſtudio, cui cæterarum officia virtutum adjecit, omnesque conatus & vires. Modeſtiâ fuit ſemper inſigni, à colloquijs fœminarum abhorrens, ni quæ neceſſaria forent & brevia, cavensque ne oculos in ipſas intenderet, ac nulli parcens diligentiæ & labori, ut ſuo ſe & aliorum tactui ſubduceret & aſpectui; verbis, etiam cum opus erat de venereis ea facere, parciſſimus, paucis negotia & conſulta Matrimonij atque id genus alia concludens, quamvis cæterà diffundi ſoleret in reſponſis ſuis, pro eximiâ qua pollebat eruditione eloquentiâque.

354 Poſtremo neutiquam in loco obedientiam habuiſſe, imò præ reliquis coluiſſe virtutibus ad ſenectam uſque viſus eſt, perinde quaſi tyrocinium nondum egreſſus, Superioribus ſemper obtemperans, dura licèt juventibus & admodum ardua, itinera ſcilicet difficillima, plena laboris opera, muniaque, ut videbatur, dedecentia, quin muſitaret unquam, & vel, Deo ſic permitente, graviter objurgatus ac ſine cauſa, quòd ipſum in Superioribus coleret Deum, à cujus voluntate vel in minimo deſflectere duxerat religioni, atque ea de cauſa nec jota unum, nec unum apicem ex præſcriptis à Societatis Regulis præteribat. Tot tantisque cumulatum virtutibus, donis itidem alijs Deus exornavit, quæ decori eſſe ſolent egregiè Sanctis: Prophetiæ lumine, futura ut non raro præſagiret ac cerneret, abdita humani cordis rimaretur, intuereturque arcana, & loco poſita remotiſſimo haberet ob oculos: piacularibus addictas cruciatibus animas interdum videret audiretque; atque à mutata facie Imaginis Puriſſimæ Deiparentis, Sodalitij ſui tutelaris, portenta ſæpius auſpicaretur vereretur que inſignia.

355 Ætate quidem gravis, nempe ſeptem annis ſeptuagenariò major, continuisque attritus laboribus, ac malâ ſubinde valetudine afflictus, cæcutierat jam diu, ſuffuſionibusque laboraverat, queis ut Opthalmicus mederetur, Prælati, quorum Noſter nutibus & ſignis parebat, juſſerunt; optato ſane poſtliminio reſtituti luminis oculorum, ſed verò etiam infauſtiſſimo ceterà eventu, quòd pleuritidem læthalem ſit paſſus. Exhorruerat multis retro annis incertam mortis horam recogitans, ſingulisque præſtolatus ipſam diebus ac noctibus, nam priuſquam iret cubitum, ſacrâ ſe expiabat Confeſſione,

ne, perinde quaſi moriturus, maneque facto ſimili præmunitus cogitatione ad aras faciebat, omnem ſibi diem ſupremam exiſtimans; qua tandem veniente, Sacerdoté accerſivit, penes quem totius vitæ Confeſſionem inchoaverat, ut abſolveret, ſacroque Viatico muniretur, quamvis ea ipſa die Sanctiſſimum Jeſu-Chriſti Corpus ſumpſiſſet. Ubi ipſum heroyca plane Fide ſuſpexit, coram Patribus Collegij, qui aderant omnes, grates ex intimis egit prçcordijs, quòd intra Catholicæ Romanæ Eccleſiæ ſinum, & in Societatis JESU gremio conſtitutus obiret. Recreatus dein Imaginis præſentiâ Virgineæ, cujus diu exæſtuarat amore, Oleoque ſacro inunctus, & ſolitis Eccleſiaſticis precibus à Socijs adjutus, animam Deo reddidit, poſt ſeptimam noctis horam, 17. Februarij anno Domini 1695. ætatis fere 77. Religionis 58. Sacerdotij 51. Profeſſionis quatuor votorum 39. Præfecturæ Sodalitij Puriſſimæ 32. Omnium Provinciæ ſuæ Patrum, qui quatuor Deo nuncupaverant vota, Decanus.

356 Sequenti proximè die corpus ejus inſigni concurſu Nobilium, & omnium religioſorum Ordinum, multorumque è Clero ſeculari Virorum frequentiâ elatum fuit, Officia peragentibus Eccleſiaſtica Dominicanis Patribus, qui ultrò ſe ad ea obtulerant amoris ergo & gratitudinis in devotiſſimum Ordini ſuo Antonium, cujus manus pedesque oſculabantur graviſſimi ex omnibus ſacris cætibus viri, in laudes Defuncti ſanctitate juxtà & doctrinâ conſpicui ultrò ſe ſe effundétes. Quievit tandem apud Sacellum à Puriſſima nuncupatum, quod & ejus, quam diximus, Sodalitatis exercitijs peragendis inſtitutum eſt, & in Sepulchrum pro morientibus in Collegio Patribus deſtinatum. Quòd verò Sodales, ſeu Parentem illum intimo dilectionis ſenſu proſequerentur, cui acceptum referebant decus eximium, augmentumque Congregationis planè mirabile, ſolenniſſimam decreverunt parentationem in Eccleſiâ Collegij Maximi, erectâ mole funebri magnâ, invitatis religioſis Familijs, Clero Magiſtratuque Mexicano, quibus unà cum Excmô. Comite de Galve, Novæ Hiſpaniæ Pro-Rege, adſtantibus, ad aras fecit, cantu mœſtiſſimo Muſicis ſuas partes agentibus, Clariſſimus D. D. Alphonſus Albertus de Velaſco, qui Archiepiſcopatui ſe ſubduxerat Manilenſi; & è Sacro ſuggeſtu dixit Pater Joſephus de Porras, ejuſdem Societatis Theologus graviſſimus, ſucceſſorque in regendo Sodalitio Defuncti, cujus tornatâ Oratione laudes complexus eſt. Elogium verò hîc ſubjicimus, quod ejus appenſum Tumulo ſic habebat.

Æter-

Æternitati.
Siste gradum hospes.
Clamat hic vel voce carens
V. P. Antonius Nuñez de Miranda Societatis Jesu. Nimirum encomia sua Virtus & Sapientia tunc maximè prædicant, cùm maxima tacent, & ubi tacens sapientia laudabit Antonium, laudabit sapientia animam suam.

CVI

Nobile metalis Oppidum, vulgo el Fresnillo, natale dedit solum, ut abundans auro cum Antonium edidit, florem dixeris aureum edidisse.

QVI

Ad uberrimum Societatis Jesu viridarium translatus, flos licèt aureus, suavissimum Christi odorem exhalavit.

QVI

Primas scientiarum Cathedras uti flos sapientiæ condecoravit Moderator egregius, prima Mexicanæ Provinciæ munia, Provincialis nimirum ac Maximi SS. AA. Petri & Pauli Collegij Rectoris dignissimum caput, aurum optimum, vigilantissimè obivit.

QVI

Secundus nemini, secundus præfuit Illmô Conceptionis Purissimæ Sodalitio Præfectus ac Parens, ut ejus omnia Apostolici instituti ministeria non nisi secundo semper omine promoveret.

QVI

Omnibus omnia factus (quid enim ex auro non fiat?) egenorum subsidium, ægrâ laborantium valetudinè medicina, incarceratorum auxilium, viduitatis asylum, & vel amentium quoque levamentum fuerit, miranda charitatis aureæ perennitate, ex ijs quæ miranda nomen præsefert, nomen sibi acquisivit immortale.

QVI

Sibi despectus post aurum non abijt; nec enim in suimet abijt æstimationem; & totus Deo deditus, virtutum florens operibus, ignito charitatis auro impensè saluti Proximorum incubuit, ut manus quidem aureas hyacintis plenas habere videretur.

QVI

Seculo tandem mortuus (flos enim erat) obijt die 17 Februarij anno 1695. Ætatis suæ 77. Religionis 58. Sacerdotij 51. Professionis 39. Purissimæ Virginis Sodalitij accuratissimæ directionis 32. Sed perenni tamen (aurum enim erat) æternitati vivit.

Huic ergo Parenti suo colendissimo ut ritè parentaret idem Conceptionis Purissimæ Sodalium, in memoriæ ac gratitudinis monumentum, hoc erexit cœnotaphium.

357 Multum equidem moraremur, si quanti fuerit habitus à gravissimis omnium Ordinum viris enarrare contenderemus, quo ut Lectores tędio liberemus, sat fuerit nomina duntaxat aliquorum Principum recensere, quibus eximia sedit Antonij reverentia dilectioque.

Excmî. Novæ Hiſpaniæ Pro-Reges, quotquot eo vivente iſthæc moderati ſunt Regna, ipſum, ceu virum Sanctum ſapientiâque plenum, ſuſpexère conſuluère que in majoris momenti negotijs. Ex illis, Comes de Baños, Comesque de Galve ejus ut hortationibus paſcerentur, multoties Sodalitium Puriſſimæ frequentabant. Marchio de Mancera eum ſibi elegit à ſacris Confeſſionibus, in Hiſpaniamque redux datis ſalutabat Epiſtolis, Filiumq̃ ſe & AmicumAntonij conceptſſimis verbis profitebatur. Conjux itidem ejuſdem Pro-Regis clariſſima juxtà & pijſſima fœmina, ſimili illum proſecuta veneratione, cum Tepeacæ, Pago 30 leucis diſſito à Mexico, itineris cauſâ verſus Hiſpaniam ageret, læthali tentata morbo accerſivit Antonium, cui morienti adſtitit hortator ipſe qui ante hac fuerat Confeſſarius atque Director. Illmûs. unà Excmûs que Mexicanus Pro Rex & Archiepiſcopus D. D. Joannes de Ortega Montañes cæteris in eo colendo haud impar fuit, cui neutiquam conceſſit V. D. D. Franciſcus de Aguiar & Seixas, Præſul itidem Mexicanus, multis ejus commendans operam, quam in ovium ſuarum ſalute ponebat, virtutes litterasque miratus egregias. Excmûs. pariter Illmûs. que D. D. Emmanuel Fernandez de S. Cruze Epiſcopus Angelopoleos, & deſtinatus Pro-Rex Mexiceus, egregijs & ipſe dotibus admodum clarus, quas in Antonio egregias agnoverat, ſæpè inſigniter commendabat. Illmôs. porro viros D. D. Iſidorum de Sariñana Antequerenſibus infulis decoratum, & D. D. Alphonſum Albertum de Velaſco, ad Archiepiſcopales deſtinatum Manilæ, ejuſdem retrò in Philoſophicis Aulis diſcipulos, eo libentius ijs accenſemus, quòd propius Antonium tractaverint, intimiusque noverint, cujus ſub inde gloriæ ſinceri fuerint buccinatores.

358 Nec involvendi ſilentio ſuntViri, qui præcipuo Sanctitatis nomine eo tempore inſignes ſunt habiti, quorumque perſtat ętate noſtra poſthumus honos: Quòd enim Antonium in aſceticis Magiſtrum vel optaverint, ut Pater Dominicus Perez de Barcia, Collegij Bethlemitici à S. Michaele dicti, Fundator, ut in ejus Vita lib. 1. cap. 7. n. 30. & alibi ſcribit P. Julianus Gutierrez Davila; vel etiam habuerint, uti D. Joannes Perez Gallardo, & P. D. Petrus de Arellano & Soſſa Congregationis Oratorij Mexiceæ Præpoſitus, prout de primo affirmat nuper citatus Author n. 31. ejuſdem capitis, de ſecundo verò Nos in ejuſdem Vita tradimus lib. 1. cap. 5. n. 27. & alibi; quibus adjungi poſſunt P. Fr. Joannes à S. Bernardo, Preſbyter Ordinis Hoſpitalitatis S. Joannis de Deo, ſimilesque

alij;

alij; pronum promptumque colligere est quanti Noster sit æstimatus. Acta ejus accuratè sapienterque scripsit P. D. Joannes Antonius de Oviedo, ejusdem Societatis lumen præclarum, edidítque Mexici typis Lupercianis anno Domini 1702. in quart. atque hunc Librum, ceu fontem, signamus, unde cuncta à nobis relata hausimus & imbibimus.

Multa quidem scripsit, & vernaculâ, hoc est, hispanâ linguâ, cujus abundantiam & divitias, qua erat ipse affluentià, palam ubique facit; & latinâ, è quibus omnibus edita prius redigemus in syllabum, quæ nobis hactenus innotuerunt, & quorum pleraque tacito suo nomine publicavit; pluribus curas nostras fugientibus.

Hispano sermone habemus sequentia.

Colloquium de Actu contritionis. Mexici, typis Viduæ Bernardi Calderon 1664. in octavo.

Compendium obligationum communium, generaliumque, pro eis implendis, mediorum, praxi juncta brevi facilique orationis & examinis, quæ præcipua sunt duo Sodalibus Purissimæ Conceptionis proposita. Mexici, eisdem formis & anno, in octavo. Iterumque Mexici, in eadem Officina 1668. in 16.

Praxis Stationes in majore hebdomade peragendi, &c. in primis Sodalium à Purissima usui disposita & utilitati. Mexici, ex eadem Typographia 1665. in octavo. Et post alias editiones, novissimè anno 1754. in Typographiâ Bibliothecæ Mexicanæ destinatâ. in 16.

Praxis generalis pro meditandâ Passione Dominica. Mexici litteris V. Bernardi Calderon 1665. in octavo.

Exercitia spiritualia, & pro prima eorum hebdomade praxis secundùm methodum regulasque S. P. N. Ignatij. Mexici, eisdem prælis 1665. in octavo spisso volumine egregijs Notis aut Glossis in textum Ignatianum.

Praxis frequentis Communionis & Confessionis. Documenta continet utilia pro facili utilique horum usu Sacramentorum. Pacantur scrupuli ea de re nonnulli, & quæ eorum obstant fructui amoventur. Subjiciuntur septem pro totidem hebdomadæ diebus considerationes. Mexici, eisdem typis anno 1665. in octavo multo volumine.

Mysteria Nazareni Jesu in acerba Calvariæ via lapsi. Mexici, eisdem formis 1665. in octavo.

Honorarius Tumulus in Exequijs ductis Magno Hispaniarum Regi Philippo IV à Sacro Inquisitionis Tribunali Mexici erectus in Ecclesia S. Dominici. Mexici, eisdem litteris 1666. in 4. Opus hoc, cujus subscripta est Nûcupatoria Nostri nomine Sodalisque sui P. Francisci de Uribe, Theologiæ Antecessoris, solutâ constans ligatâque numeris oratione, ab ambobus videtur scriptum, ita quod Poemata, quæ impensè laudantur à Nostro,

Socium habeant Authorem; historia verò, Nostri, cujus redolet stylum, calamo dispoſita fuerit.

Myſteria funebria Deiparentis orbatæ Filio, hujusque pretioſiſſimi ſepulturæ. Mexici, ex eadem Typographia 1670. in octavo.

Concio ad mores in cujuſdam Profeſſione Monialis ad S. Laurentij. Mexici, mox indicatis litteris 1679. in quarto.

Summariæ Meditationes de his quæ videntur potiora & efficaciora pro juvandis animabus in Purgatorio detentis motiva. Mexici, toties repetitis litteris 1776. in octavo. Et Angelopoli, formis Franciſci Xaverij Morales 1726.

Praxis devotionis erga glorioſum Patriarcham Sanctum Joſephum Deigenitricis Sponſum. Mexici, typis Franciſci Rodriguez Lupercio 1681. in 16. operâ D. Joannis Joſephi de Miranda Preſbyteri Mexicani Fundatorisque Sodalitij ejuſdem Deigenitricis Sponſæ in Eccleſiâ S. Laurentij.

Epitome hiſtorica Hiſtoriaque moralis de virtutibus ac dotibus S. Annæ Parentis Deigenitricis, unà cum magnalibus S. Joachimi ejuſdem Annæ conjugis, Mariæque D. noſtræ genitoris. Mexici, dictis formis 1682. in quarto, volumine multo, in quo & pietatem & eruditionem & criticem ad Hiſtoriam ſacram lector inveniet.

Oratio habita in funere Clariſſimi Viri D. Joannis de Echavarria, Equeſtris Ordinis S. Jacobi, Eccleſiæ Monaſterij ad S. Laurentium conditoris. Mexici, è domo Viduæ Bernardi Calderon 1684. in quarto.

Oratio altera itidem funebris in Exequijs ductis Equiti eidem nobilisſimo in Templo S. Gregorij Societatis Jeſu, quod ſuo ære fundaverat. Eiſdem formis & anno.

Methodus orationis mentalis pro inſtructione & uſu Sodalium à Puriſſima. Prodijt accurante editionem P. Martino de la Llana, Preſbytero S. Philippi Nerij Mexiceo. Mexici, è Domo V. Franciſci Rodriguez Lupercio 1684. in octavo.

Tractatus de ritu & perfectione qua Horæ canonicæ perſolvendæ ſunt, ad arasque agendum. Prodijt nomine D. Joannis de Olivares, Sodalitij à Puriſſima Præfecti. Mexici, apud D. Mariam de Benavides 1685. in octavo.

Praxis pro obeundis Feria ſexta Stationibus ad normam V. M. Mariæ de la Antigua. Mexici, ex Typographia Viduæ Bernardi Calderon 1681. in octavo.

Expoſitio theorica, & practica adaptatio libri quarti de Contemptu Mundi ſeu de Imitatione Chriſti ad præparationem, fructuoſamque gratiarum actionem in frequenti communione. Angelopoli, apud Didacum Fernandez de Leon 1691. in octavo, volumine multo, Illmô. Antequerenſi Epiſcopo D. Sariniana quondam Diſcipulo ſuo, nuncupata.

Huic Opuſculo Diſſertationem præmittit valdè eruditam de Au-

Authore aurei Libelli de *Imitatione Christi*, quem suo, ut defendit, Authori vindicat Thomæ à Kempis, Canonico regulari, contra quam multi Critici sententiam propugnant Joanni Gersen illum adjudicantes, multis hinc inde editis hac de re Opusculis doctissimis, quorum meminit novissimè eruditissimus unàque modestissimus Criticus P. Michael à S. Josepho Excalceatorum SS. Trinitatis Superior Generalis multis itidem titulis & nominibus meritò suspiciendus. Vide sis ejus Bibliographiam Criticam in *Joannes Gerson vel Gersen*, & in *Eusebius Amortius*, & in *Fronto prænomine Joannes*.

Testamentum mysticum animæ religiosæ. Prodijt posthumum Mexici, typis Michaelis de Ribera 1707. in octavo.

Expositio ascetica theorica & practica orationis Vocalis ad regulas 13. 15 & 24 Sodalitij à Purissima. Mexici, typis Lupercianis 1685. in octavo.

Expositio mystica regulæ 18 Sodalitij à Purissima, quæ Sacramentalem præscribit Confessionem Synaximque Sacram, cum theoria & praxi eorum quæ ad facilem & utilem concernunt frequentiam horum Sacramentorum. Mexici, apud Viduam Michalis de Ribera 1714. in 8.

Expositio litteralis summariaque Decreti Eminentissimorum Cardinalium S. C. T. Interpretum Jussu SS. D. N. Innocentio XI 12 Februarij 1679 publicati circa frequentem Communionem. Mexici prius dein Lugduni apud Anisson, Posuel, & Rigaud 1687. in octavo.

Concio habita in Canonizatione S. Francisci de Borgia Societatis JESU. Extat cum alijs ejusdem argumēti in Libro Mexici typis dato apud Joannem Ruiz 1672. in quarto.

Panegyris in Dedicatione Templi S. Bernardi. Prodijt unà cum alijs ejus solennitatis, Mexici typis Lupercianis 1691. in quarto.

Exercitia spiritualia S. Ignatij, statui & professioni religiosæ deditarum sponso Christo Virginum adaptata. Mexici, apud Viduam Bernardi Calderon 1695. in octavo spisso volumine.

Regulæ Sodalium à Purissima Mexici ad SS. AA. Petri & Pauli florentium unà cum Indulgentiarum pro ipsis compendio. Mexici, eisdem formis 1684. in octavo & sæpius alijs typis.

Concio de S. Michaele Archangelo. Mexici, in eadem Officina in 8.

Piæ animadversiones, & meditatio jacturæ, et multæ quam afferre possunt perniciei Sanctimonialium cōmercia vulgo Devociones nuncupata. Ibidem 1685 in octavo.

Dies bonus & integer, cum omnibus Operibus, Regulis & Obligationibus Sodalis à Purissima. Mexici, formis Viduæ Bernardi Calderon 1667. in octavo, & hujus ac Regularum pro eisdem Sodalibus mentionem facit Bibliotheca Societatis dum de Nostro adhuc vivente sermonem instituit.

Distributio ordinariorum in die ope-

operum, itemque evenientium extra ordinem, ut perfectè ad V V Religiosarum statum fiant: duodecim constans solidis documentis pro religiosâ & spirituali vitâ ducendâ. Opus posthumum, instantibus à JESU MARIA Monialibus Regijs, editum Mexici, apud Viduam Michaelis de Ribera 1712. in quart.

Abecedaria tabella doctrinæ religiosæ. Mexici, typis Viduæ Michaelis de Ribera 1708 in octavo. Anteriores editiones missas facimus, quas in promptu non habemus.

Præter quæ hactenus dedimus edita, multò plura & majoris moliminis reliquit inedita, quorum & si magnam partem desideremus, sequentem indiculum damus.

Compendium historicum de Purissimæ Virginis Sodalitio ad SS. AA. Petri & Pauli erecto, in quo libro res à cap. Congregationis expendit omnes. Meminit ejus P. Oviedo in Vitâ Nostri pag. 46.

Rituale ejusdem Sodalitij, in quo cuncta quæ ejusdem concernunt regimen, prudentissimè elucidat & scitissimè. Extat Mss in quart. in Bibliotheca dicti Sodalitij & habetur præ manibus à P. Præfecto.

Sermones Concionesque plurimæ, cùm de Christo Domino, Purissima Deipara, & Cœlitibus multis, tum etiam ad mores. Mss è quibus multos plane Tomos esset conficere.

Conciones ad Sodales suos à Purissima nuncupatos habitæ ab ipso totos 32. annos, totidem compaginatæ voluminibus apud Bibliothecam Congregationis ejusdem servantur.

Latino Sermone Theojuridica isthæc habentur uno in volumine apud Bibliothecam Collegij Tepozotlami Societatis JESU.

Tractatus de Legibus.

Tractatus de Censuris.

Tractatus de Restitutione.

Theologica verò *Scholastica, & Philosophica,* quæ è Cathedra tradidit, & numero minimè exigua & pretio maxima, nullibi hactenus invenire potuimus præter sequentia fortè fortuna à nobis comparata, quæ possidemus inter pretiotiora cimelia nostra.

Tractatus de Scientia Dei explicans doctrinam Angelicam q. XIV primæ partis cum sequentibus contentam, anno 1667. 19 Octobris inceptus. in quarto.

Tractatus de Scientia media & Auxilijs, anno 1669. in quarto.

Ejus in editis Libris meminit egregia cum laude P. Julianus Gutierrez Davila, è Congregatione Oratorij Mexicea, tum in Vita, quam seorsim edidit P. Dominici Perez de Barcia, loco supra à nobis indicato & alibi: tum in *Monumentis Historicis ejusdem* Congregationis sæpe quidem, ut in Indice Alphabetico verbo *Pater Antonius Nuñez de Miranda,* obvium cuique erit: sæpius autem in Opere toto, quod cum acta complectatur PP. Oratorij, qui Nostro quam qui maximè addicti fuere, hujus & memorias

morias & laudes passim multas legentibus objicit. Nos demum (ne hoc prætermittamus) in memorata supra P. Petri de Arellano Vita, nunquam licèt pro meritis paria, Antonij contexuimus elogia, crasa quidem & rudi, non tamen invita Minervà, quòd libentissimo illa animo scripserimus. Ejus extat memoria in Menologio Provinciæ novæ Hispaniȩ edito anno 1747.

359 D. ANTONIUS DE OCHOA, Natione Mexicanus, Angelopoli natus, bonisque litteris eruditus, OEconomum egit Monasterij à S. Hieronymo dicti, & Collegij à JESU MARIA nuncupati in eâdem Urbe, cujus historicam narrationem ingeniosè contexuit, fabellâ scitè confictâ cui titulum fecit hispanâ linguâ *Casus Ferdinandi.*

Meminit hujus Mss D. Didacus Bermudez de Castro in suo ad nos misso de Scriptoribus Angelopolitanis Catalogo. num. 147.

360 P. ANTONIUS DE PAREDES, Natione Mexicanus, in Angelopolitana Diœcesi natus, Societatis JESU Theologus Clarissimus, quatuor nuncupatis Deo votis, Magistros inter Provinciæ suæ egregios, & pridem illuxit, & hactenus fulget. Ad utrumque suggestum natus, Palæstram, quâ juvenis alacriter adierat, Scholæ, dein repetijt Moderator Eloquentiæ Cathedræ, tum etiam Philosophiæ. Non minori in Oratoria Facultate nomine insignis pulpita sacra in primarijs Regni theatris multo cum doctorum hominum plausu subijt & frequentavit, dignus qui Mexici perantiquo & illustri Sodalitio à Salvatore nostro nuncupato, quod in domo Professa situm est, Præfectus datus fuerit; cui strenuam muneri operam tandiu navavit, donec ad regendum Queretanense Collegium, studijs, etiam Philosophiæ & Theologiæ, clarum, fuit destinatus, cujus in præsentiarum insistit regimini, multa interea pro Instituto suo in Dei gloriam & salutem animarum exactè curans. Edidit habitam à se Panegyrim pro solennissimâ Immaculatæ Deiparentis Virginis sub titulo de Guadalupe in Mexicani Regni Patrocinium, Sacramento præstito, evocatione: cui orationi materno titulum idiomate dedit:

Authenticum Patronatus Mexicei SS. Virginis Mariæ sub Guadalupanâ latentis mirabili Imaginȩ. Mexici, formis D. Mariæ de Ribera 1748. Extat in Collectione nostra tom. 18. in quarto.

Habet enim verò Mss plura, quibus oratoriam sacram admodum illustraret, si, qua sunt dignissimâ, publicam aspicerent lucem.

Cursum itidem Philosophiæ,
Summulas & Logicam:
Physicam & Metaphysicam:
Animasticam & cætera Aristotélica expendentem.

361 D. Antonius de Paz et Salgado, Natione Mexicanus, inclytam & prenobilem Goatemalæ Urbem Patriam sortitus, in ejusdem insigni Universitate cum alijs eruditionis ornamentis excultus fuerit, tumetiam Jurisprudentiæ operam navavit strenuam, cujus subinde lauream arripuit, & apud Regium Auditorium ejusdem Regni causarum Patroni gradum munusque tenuit, nec sine multa laude gessit. Multijugæ, qua vernat, doctrinæ monumenta habemus erudita satis & varia, quæ hîc annectimus hispano sermone conscripta.

Flabellum pro stupidis, importunis, & molestis hominibus abigendis agendisque procul ab ijs qui litteras profitentur. Goatemalæ 1742. Iterumque ibidem eodem anno cum additionibus, quas Opusque non vidimus, & propterea typographiam, è qua prodiere, reticemus, quam Index ad nos Goatemalensium datus non indicavit.

Magni veritates momenti pro omnium genere personarum: Scilicet, Apothegmata varia Moralis Philosophiæ à P. Bluteau Lusitano è diversis coagmentata Doctoribus, hispano donata sermone. Goatemalæ 1741. tacitis, quod diximus, typographi nomine & cognomine.

Instructio litigatorum....In duas partes divisa, quarum prima continet prudentiæ regulas pro meliori rerum gerendarum methodo; secunda verò brevem ordinis judiciarij doctrinam pro singulis causis, seu civilibus seu criminalibus expediendis: unà cum apologià pro causarum Patronis. Goatemalæ 1724.

Cæli luces ecclesiæ in Goatemalæ emisphærium diffusæ, ejus in Metropolitanam Ecclesiâ erectâ, primoque Archiepiscopo instituto Illmô. ac Reverendissimo M. D. F. Petro Pardo de Figueroa. Seu Enarratio historica ejusdem Ecclesiæ rerum ab ipsius conditione ad usque in Archiepiscopalem exaltatione. Mexici, apud D. Mariam de Ribera 1747. in quarto.

Institutiones ab Eminentissimo de Luca italicè editæ, hispanæ factæ Mss. Extant in Bibliothecâ demortui Illmî. Nicaraguensis D. D. Isidori Marin Bullon.

362 F. Antonius de Paz, Natione Mexicanus & Patria, Ordinis S. Augustini in Provincia SS. nominis Jesu professus, cum à dicendi peritiâ è sacro suggestu, tum etiam ab Scholæ palęstra egregio fuit nomine. Philosophiam postquam triennio docuerat, Theologiæ in Angelopolitano Conventu tradendæ Scholasticæ Moralique incubuit, donec expletis de jure curriculis, Emeritus Lector est renunciatus. Hæc inter, & postmodum in Primario Mexiceo Cœnobio frequentissimas & doctas conciones plaudentibus sapientibus insipientibusque habuit. Conventibus aliquibus præfuit, deque arduis consultus negotijs, responsa dabat. Vivere desijt die, ni fallimur, 25. No-

Novembris anno 1710 vel circiter. Ineditos reliquit, à nobis ex parte visos, ipso vivente,

Sermones panegyricos & morales.

E quibus aliquot compaginari libri possent, eruntque apud Symmistas suos, forsanque Tractatus è Cathedra dictatos Sodalium aliquis asservabit.

363 D. ANTONIUS DE PERALTA CASTAÑEDA, Natione Hispanus, Angelopoli Domicilium fixit, postquam Doctor Complutensis Americam petijt, in qua multis claruit nominibus. V. D. D. Joanni de Palafox illius Urbis & Diœcesis Antistiti à sacris Confessionibus fuit, ordinariusque Consultor Theologus designatus. Ecclesiam Parochialem de Cholula diligenter administravit, è qua in Cathedralem evectus, pro habendis concionibus Magistrali, ut dicitur, Canonicatu potitus, deinde auctus Dignitate, Thesaurariũ egit & Episcopatus Gubernatorem. Ut erat in Theologiâ Doctissimus Primariam ejus Cathedram moderatus in Regijs SS. AA. Petri & Joannis Collegijs, eorum etiam Studia rexit. Censor seu Qualificator S. Officij apud Hispanum Tribunal Conchense, eodem etiã à Mexicanis Quæsitoribus munere ornatus fulsit. Pietate conspicuus cœterarumque virtutum exemplis, à Præsbyteris Oratorij S. Philippi Nerij Angelopolitanis Præpositus electus, illustri eorum Familiæ prçfuit, quæ cùm ea tempestate non dum ad instar Romanæ Congregationis Oratorij se gereret, exteros clarissimos viros præponere sibi usu tenuit Dignitatibus Ecclesiasticis decoratos, residentesque in Cathedrali Ecclesiâ, quos tamen arcent Instituta Vallicelana, quæ S. Philippum Authorem agnoscunt, tandemque aliquando Angelopoli florère cœperunt. Doctis Noster Scriptis inclaruit, cùm hispanis typis, tumetiam americanis palam expositis vernaculo idiomate, suntque

Historia Tobiæ politicis & moralibus commentationibus illustrata, Patrono suo colendissimo SS. N. Clementi IX Romano Pontifici nuncupata.

In hujus Procemio Operis Apologiam intexuit ingenuam juxtà & doctam pro Americanorum ingenijs, quæ sibi consuetudine benè nota, longoque usu perspecta commendat multis, vindicatque ab injustis calumniatoribus. Ejus habet memoriam in Theatro Critico eruditissimus jureque laudatissimus Pater M. F. Benedictus Feijoo in Discursu de Americæ ingenijs.

Historiæ, quam mox diximus, Censor D. D. Joannes Ibasso Malagon Regius Concionator, & Canonicus Malacitanus testis est in Censura libro præfixa, Nostri sub prælo gemere

Vitam S. Martini.

Commentaria in Estherem.

Theologiæ Scholasticæ Tomos duos in Divum Thomam.

Quæ an exierint Opera latet nos.

Concio de S. Parente Philippo Nerio. Mexici, apud Hippolytum de Ribera 1652. in quarto. Extat in Bibliotheca Oratoriana Mexicea inter collectos variorum Sermones.

Concio de purissima Deigenitricis Conceptione Angelopoli habita cùm juramentum de ea propugnandâ à Canonicorum Capitulo jam pridem emissum instauraretur. Angelopoli, ex Typographia Joannis de Borja 1654. in quarto. Extat tom. 104. Collect. nostræ.

Concio de SS. Patriarcha Josepho, adversus tempestates Patrono Angelopoli ascito.....

364 P. ANTONIUS DE PERALTA, Natione Mexicanus, intra Mexiceum lacum amœnissimè vernans inædificatis super ipsum Oppidis floridissimis, ortus in eo quod Zumpango dicitur, ubi tum temporis genitor Prætorem agebat, totam demun Mexicanam ditionem floribus unà sapientiæ ornavit ac virtutum fructibus. Moribus, genere, ingenio, multisque instructus dotibus Societatem JESU professus, egregiè cùm in venustioribus litteris eruditus, tum etiam in Philosophicis eminuit atque Theologicis, quibus multa Jurisprudentiæ decora adjecit. Mexici in Domo Professâ Apostolicis Instituti sui ministerijs incubuit, insignisque est habitus in permovendis è Pulpito audientium animis ad vitiorum detestationem, seriamque in Deum conversionem, quam egregio procurans zelo, damnatis ad supplicium sontibus aderat, salutisque viam sternebat. Inde in Collegium Maximum traductus Philosophiam ut profiteretur, multis eam Discipulis tradidit, è quibus non pauci infulis & muneribus insignes postmodum evasere. Theologiam Scholasticâ multis annis docuit & Angelopoli & Mexici primarijs præpositus Cathedris, magnumque sibi nomen meritò comparavit apud cujusvis Ordinis palęstritas, acumine, perspicuitate, & soliditate doctrinæ, quam docendo, arguendo, scribendo coram exhibuit.

365 Mexicanis Studijs præfuit Collegijsque Angelopolitanis, ei quod à S. Ignatio titulum habet, estque pro Secularibus institutum, & à Spiritusancto dictum Societatis alumnis destinatum, atque è nobilioribus Provinciæ Novæ Hispaniæ. Regulari observantiæ deditissimus, exactam semper temporis rationem habebat, distributis diurnis nocturnisque horis pro exercitijs instituto suo & muneri convenientibus, à queis ne latum unguem discederet, domi semper continebatur, ni ipsa eum ministeria aut grave negotium aliò deducerent. Intentus animarum saluti, sedulò incumbebat audiendis confessionibus, nihilo ipsum Scholâ ejusque officijs morantibus, quo minus sacro illi se ministerio addi-

diceret, delectatus in primis directione Scholarium, quòd diceret horum fœcundam olim virtutem futuram, quam Sacerdotio aliquando initiati in alios facilè propagarent. Provincialis Præpositus à Generali totius Societatis constitutus, suas egregiè partes explevit quo ad vixit, nam non multò post ab initâ Provinciæ visitatione lęthali correptus morbo, in Collegio Pasquarensi occubuit, suique desiderium Sodalibus atque exteris multis reliquit.

Edidit

Dißertationes Scholasticas de Sacratissima V. Maria Genitrice Dei, nostraque etiam dilectissima Matre ac Domina, brevi & perspicuâ methodo ad Scholasticorum captum accommodatissimâ, dispositas. Mexici, apud Hæredes Michaelis de Ribera Calderon 1721. in octavo. Recusæ sunt Genuæ operâ Matthæi Carbizza 1726. multis erroribus typographicis deformatæ. Rursusque politissimè cusæ prodierunt Antuerpiæ apud Joannem Baptistam Verdussen 1734.

Dissertationes Scholasticas de Divina Scientia media. Mexici, typis & sumptibus Josephi Bernardi de Hogal 1724. in octavo. Prodierunt etiam Antuerpię mox dictis formis & anno.

Dissertationes Scholasticas de Divinis Decretis. Mexici, ex Typographia ejusdem Hogal 1727. in octavo. Rursusque typis Antuerpiensibus memoratis 1734.

Dissertationes Scholasticas de S. Joseph unigeniti Filij Dei Putativo Patre, Deique Genitricis Sponso dignissimo. Mexici, dictis nuper litteris 1729. in octavo, itemque Antuerpianis 1734.

Reliquit Mss sequentia, è quibus aliqua penes nos extant, alia penes varios vidimus. Sunt illa porrò

Dissertationes Scholasticæ de Scientia Dei absoluta, in quarto.

Appendicis loco accedit Compendium de Scientia media, in quo paucis multa de Systhemate doctrinæ Societatis in puncto Divinæ Gratiæ & creatæ Libertatis complexus est, in quarto.

Dissertationes Scholasticæ de Providentia & Prædestinatione, in 4.

Dissertationes Scholasticæ de Divina Voluntate, in quarto.

Dissertationes Scholasticæ de Angelis, in quarto.

Dißertationes Scholasticæ de Ente supernaturali, in quarto.

Dissertationes Scholasticæ de Divini Verbi Incarnatione. Pars prima, in quarto.

Dißertationes Scholasticæ de Divini Verbi Incarnatione. Pars secunda, in quarto.

Dißertationes Scholasticæ Theojuridicæ duodecim ut minimum divisæ titulis, de Pollicitationibus, &c. in quarto.

Dissertationes Scholasticæ de Summulis, in quarto.

Dissertationes Scholasticæ de Dialectica, in quarto.

Dissertationes Scholasticæ de Physica, in quarto.

Dissertationes Scholasticæ de Metaphysica, in quarto.

Dissertationes Scholasticæ de Animastica, de Ortu & Interitu, de Cælo, in quarto.

Conciones panegyricæ, itemquè *morales* hispanæ, *Prolusiones* que & *Orationes latinæ*, in quarto.

Laudant virum gravissimum P. Nicolaus de Segura passim in Tractatu suo de Beatissimâ Virgine, & P. Vincentius Lopez in Opere Mss, quod legimus, Secula Conceptionis Marianæ, Seculo 18. pag. 817. nosque in Tractatu nostro de SS. Josepho multoties.

366 D. ANTONIUS DE PIMENTEL ET SOTOMAIOR, Natione Mexicanus, in famosa Habanę CivitateClarissimis ortus Parentibus, Mexicum translatus in tenera ætate, ut litteris imbueretur Collega factus in Regio S. Ildefonsi, brevi in Latinitate profecit abundè, ex inde haud minores inPhilosophia fecit progressus, mox grandes adeò in Theologia nactus, nulli ut æqualium concesserit, destinatusque à Collegio suo fuerit pro majoribus, ut dicimus, Conclusionibus propugnandis per integrum diem, scilicet, decem & octo matutino tempore Theosophiæ Scholasticæ titulis, sex verò vespere ex utroque jure petitis, singulisque quæstionibus multis scatentibus & gravioribus, Mecœnatem agente Illmô. D. D. D. Joanne Ignatio de Castorena & Ursua, ejusdem Collegij ornamento clarissimo, ad Jucatanenses Infulas evecto, cui subinde Scholarum ritu Socij gratulabantur. Theologicis Studijs Jurium professionem adjecit, laureasque reportavit in Academia Mexicanensi, è qua tandem Doctor Theologus multo cum Minervæ plausu meritò evasit.

367 Apud Collegium suum Regiam, quam Oppositionis trabeam dicunt, obtinuit, cui argumentis, prælectione, & similibus viam stravit. Cathedræ præfectus erectæ in Universitate pro Magistro Sententiarum interpretando ab alumno dicti Collegij, suas industriè partes implevit, non secus ac expleverat officia Candidati horariâ relectione idque genus alijs certans honorique eximio proludens. Interea sacris initiatur, & à Fidei Quæsitoribus Censor deligitur; venienti autem pro regendâ Michoacanensi Ecclesiâ Præsuli D. D. Francisco Matheos, viro Doctissimo, percharus fuit, quòd ingenuis ornatus moribus, & omnigenâ inventus fuerit dives eruditione, cùm in amœnioribus litteris, historiâ, & criticâ, tum in universâ Theologiâ ac Jurisprudentiâ, inter que sibi intimiores adlectus, Diœcesi visitandæ destinatus, deinde Ecclesiæ Parochiali Vallis S. Francisci præpositus, huic tandiu muneri invigilavit, quousque vacante in Cathedrali Vallisoletanâ ejusdem ditionis Canonicatu Lectorali, ut ajunt, seu pro

sacris

ſacris Biblijs exponendis, factoque Doctorum concurſu, eo demum Regia præſentatione potitur ad preſens. Scripſit Anteceſſoris munus adimplens,

Commentaria in ſelectas libri primi Magiſtri Sententiarum diſtinctiones; ut è libris Academicis pro *Lectionibus ſignandis* eruimus.

Deſcriptionem totius Provinciæ Michoacanenſis, quam Mss ſervat, *cum Sermonibus, Prælectionibus, multisque cultoris litteraturæ opellis.*

368 FR. ANTONIUS DE POSSADA, Natione Mexicanus & Patria, Ordinis Minorum alumnus in Provinciâ S. Evangelij, Eccleſiaſtem agebat Cœnobij ſui apud Urbem Portumque Veræ-Crucis, cùm defuncto nuper Catholico Hiſpaniarum Regi Carolo II juſta perſolvit inclytus Ordinis Jacobæi Eques Ductorque Claſſis ibidem reditum in Hiſpaniam præſtolantis D. Emmanuel de Velaſco & Texada, juſſusque Noſter è ſuggeſtu ſacro coram floridiſſimâ coronâ vita functi Caroli enarrare præclara geſta, Panegyrimque funebrem inſtituere, dixit quidem appoſitiſſimè, typisque excuſus proſtat ejus

Funebris Sermo in exequijs habitis ad S. Franciſci Civitatis de Vera-Cruce magno Regi noſtro Catholico Monarchæ D. Carolo II. Mexici, apud Joannem Joſephum de Guillena Carraſcoſo 1701. in quarto. Habetur tom. 89. Collect. noſt.

369 F. ANTONIUS DEL POZO, Natione Hiſpanus, apud Utreram, quæ Villa eſt Diœceſis Hiſpalenſis, natus, Domicilium totos 28 annos Mexicanum tenuit, quòd è Provincia Bœtica Prædicatorum, in qua Profeſſionem emiſſerat, in Goaxacenſem à S. Hippolyto Martyre, ejuſdem inſtituti anno 1595. devenerit, cum hæc à Sanjacobeâ Mexiceâ tandem fuit ſeparata. Ut Indis regionis prodeſſet in ſacris miniſterijs, idiomata duo exactè didicit, Miſtecum, ſcilicet, & Zapotecanum, in quo potiſſimum excelluiſſe, & Sodales teſtantur, & conſcripta ab ipſo opera oſtendunt, ac junctum ei munus & honos Prædicatoris Generalis in ea lingua declarat. Quantum verò in Theologia doctus extiterit, inde conjicimus, quòd à Quæſitoribus Fidei Mexiceis, ne dum pro expurgandis libris inſtitutus fuerit, ſed etiam Qualificator, ut dicitur, ſeu à Cenſuris Theologicis: palamque fit monumentis, quæ edita reliquit, atque ut ſocius ejus in Miſſione exaravit P. Præſentatus Petrus Romero: *Verè erat vir Doctus & Apoſtolicus, & inter Zaapotecos primus.* Vicarium agens Conventus à S. Anna Zeecaahhe, denatus eſt die 22 Aprilis anno 1623. ætatis fere ſexageſimo, & ab induto habitu 40. Edidit librum latino ſermone hoc titulo

Monaſtica Theologia, continens Dubia & Acroamata circa Leges & Statuta, quibus Prædicatorum Familiæ Profeſſores adſtringuntur:

tur: nec non circa tria vota Religionis eſſentialia, &c. Mexici, ex Typographia Baccalauri Joannis de Alcazar 1618.

Hiſpano ſermone in lucem dedit

Sermonem de S. Joannis Evangeliſtæ laudibus. Mexici, eiſdem litteris 1621. in quarto. Extat in Collect. noſtra tom. 57.

Inter Mss habent Sodales Goaxacenſes

Artem idiomatis Zaapotecani,

Quæ anno 1746. extabat apud Patrem Prædicatorem Fr. Joſephum del Caſtillo, Vicarium & Parochum Monaſterij & Paræciȩ de Teutitlam del Valle.

Præterea multos in eadem linguâ *Sermones, curioſasque ejuſdem obſervationes.*

Meminerunt ejus, qui Scriptores Ordinis Prædicatorum in annos redegerè, quos tamen relata à nobis ſcripta latuerunt omnia, interim afferentes Opus aliud quod nos fugerat, nempe,

De Authoritate Vicariorum & Parochorum Novæ Hiſpaniæ. Vide ſis tomum ſecundum pag. 395. ad annum 1615. ubi Dominicanum æqualem & gentilem Noſtri Fernandez aſſerunt ejus memorem in Hiſtoria Roſarij lib. 9.

369 F. ANTONIUS RAMIREZ DE UTRILLA, Natione Mexicanus, Goatemalenſis Patria, Provinciæ Franciſcanorum Obſervantium à SS. Nomine JESU nuncupatæ nomen dedit, atque ab ejuſdem Magiſtris Philoſophiâ imbutus atque Theologiâ, loquendi etiam & ſcribendi peritiâ in idiomate Goatemalenſibus Indis vulgari, non vulgari floruit eruditione, quam ut Sodalibus libens communicaret, qui illarum vacant gentium inſtitutioni ſacræ, librum conſcripſit ſpiſſo volumine in quarto complectentem,

Decora laudesque Sanctorum; item de Animabus expiatorium ignem patientibus, & de ultimo affectis ſupplicio Sermones, ac tandem methodum Indis auxiliandi in extremâ vitæ periodo.

Opus hoc teri Mss Parochorum Seraphicæ Familiæ manibus, humaniſſimi PP. datis ad nos litteris teſtes ſunt.

370 D. ANTONIUS RAPHAEL NUÑEZ DE OLAECHEA, Natione Mexicanus & Patria, poſt imbibitam Latinitatem & Philoſophiam, laureâ redimitus, utrique Juri operam ſtrenuè navavit, gradibusque inſignis minoribus, majora propterea, quibus oppidò dignus erat, non tulit, quòd æris anguſtia pro ſumptibus neceſſarijs ipſum cohibuerit. Patronus Cauſarum, non ſine laude Senatorum, ritè inſtitutus; ſacris tamen addictior muneribus initiatusque Sacerdotio, Eccleſiaſticis ſe totum exercitijs impendit. Academiæ Domi propriȩ à ſe in Studentium commodum Clericali inhiantium ſtatui conſtitutæ, præfuit, egregio ſociorum profectu, qui accuratâ Moralis Theologiæ diſquiſitione com-

comparabant ſe, cùm ad ſubeunda publica examina, tum etiam ad miniſtrandum, qua decet peritiâ Penitentiæ aliaque Sacramenta. Divinas induſtriè & ex animo litteras coluit, & ut erat ingenio ac cœteris dotibus, in primisque eloquentiâ ad dicendum aptiſſimus, facili negotio, & fermè extempore ſapienter ac feliciſſimè concionabatur, doctis quibusque viris facundiam ejus & eruditionem mirantibus. Adhæc optimis erat moribus, & inſigni adverſus Sanctiſſimæ Deiparètis Genitorem JOACHIMUM pietate, quam ut propagaret in plures multis agebat, editisque opuſculis procurabat. Obijt præpropere hoc, quo ſcribimus, anno 1751. præterito Aprilis menſe.

Edidit hſpano ſermone

Iridem pacis nuntiam, ſeu pium Deum inter & homines mediatorem D. Joachimum. Mexici, typis D. Mariæ de Ribera 1749 in octavo.

Auream Coronam in menſium anni circulo efformatam: hoc eſt, Pie in S. Joachimum pro ſingulis menſibus devotiones. Mexici, eiſdem litteris 1750. in 16.

In ejuſdem S. Nomen devotionem. Mexici, dictis mox formis 1747. in 16.

371 F. ANTONIUS DE LOS REYES, Natione Hiſpanus, Octoduri genitus, & Salmanticæ ad S. Stephani Dominicanorum ijs ſe Profeſſione jungens, Mexicanę S. Jacobi ejuſdem inſtituti Provinciæ anno 1555. ſe adſcripſit, in qua ad obitum uſque Domicilium defixit, tenuitque annis 48, ejus ad poſteros virtutis magno nomine perennante, uti Author eſt F. Alphonſus Franco in Hiſtoriâ Provinciæ ſuæ Mexicanenſis Mss. Lib. 1 cap. 47. ubi etiam tradit litteras imbibiſſe in Univerſitate Salmanticenſi; atque hujus ſtandum narrationi ſentimus, qui res propius Familiæ Prædicatorum Mexicanenſis intuitus eſt, exterisque enucleatius aperuit, proptereaque ab *Scriptoribus Ordinis Prædicatorum* in præſentia recedimus, Antonium Mexicanum ortu & profeſſione exiſtimantibus tom. 2. pag. 320. Scripſit publicique juris fecit

Artem Linguæ Miſtecæ, Vicarium agens Monaſterij de Tamazulapa in qua Arte uti advertit Davila pag. 654. n. 16. præter ad idioma perdiſcendum monita, plura inveniuntur pro annorum ab Indis factâ ſupputatione, proque ipſorum Hiſtorijs ſcitu digniſſima. Mexici, typis Petri Balli 1593. in octavo, uti vidimus ad Paulianum S. Auguſtini Mexiceum. Quamvis D. Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hiſpaniæ Nova tom. 1. p. 123. aliam referat editam à Noſtro

Artem Linguæ Mexicanæ;

Opinamur tamen deluſum fuiſſe, quoniam credere haud valemus, eam latuiſſe oculatiſſimos HiſtoriographosD.F.Auguſtinum

Davila. Padilla, & citatum F. Alphonſum Franco, qui non diu à Noſtri morte ſcribentes, altum de Mexicana Arte ſilentium habent laudantes interea Miſtecam. Meminere quoque Antonij Laſſor Avarca in Orbe terrarum Scriptorum calamo delineato, verbo *Mexicus* Libri editionem afferens anni 1594. in quart. & Leon Pinelus in Epitome Bibliothecę Occidentalis additæ tom. 2 col. 725. qui Artis itidem Mexicanæ mentionem habet, aſſerens D. Nicolaum Antonium ambigere, an hujus idem Author fuerit ac artis Miſtecæ, cum tamen dubius ille hæſerit non circa Authoris identitatem, ſed penes Operis unitatem. Altamura itidem Dominicanus ad 1597. Noſtrum commendat.

372 F. ANTONIUS DE LA RIBA, Natione Mexicanus & Patria, Inſtituta Dominicana in Provincia S. Jacobi profeſſus eſt; ab utroque ſuggeſtu ritè & appoſitè frequentato jure laudatus, Theologicisque litteris doctus, & oratorijs inſtructus partibus, quá in majori Seraphici Patris Mexicano Conventu, die eidem Sancto devota, dixit coram ampliſſimâ Sapientum & Nobilium coronâ, edidit

Panegyrim de S. Parente Franciſco. Mexici, apud Hæredes Viduæ Franciſci Lupercio 1712. in quarto.

373 P. ANTONIUS DE RIBADENEIRA, Natione Mexicanus, cujus Patriam ambigimus, ſtirpem nobiliſſimam ſcientes, JESU Societatis alumnus, egregiè amœnioribus litteris eruditus, juxtàque Philoſophicis clarus ornamentis atque Theologicis, ingenij ſui & eruditionis ſpecimina reliquit edita, alterum latino ſermone, hiſpano alterum, ſcilicet his titulis:

Diſcurſus Apologeticus Sapientiæ vindex: habitus in Scholis Societatis Jeſu fundatis in Collegio SS. AA. Petri & Pauli, præſente Excmò. D. D. Duce de Alburquerque, &c. pro ſtudiorum inſtauratione. Mexici, ex Typographia Joannis Ruiz 1653. in quarto.

Concio habita in feſto Juramento que præſtito à Sodalibus Puriſſimæ Conceptionis in eodem Collegio, incontaminatam à primo inſtanti Deiparam propugnandi. Mexici, litteris V. Bernardi Calderon 1654. in quarto. Legitur tom. 95 Collect. noſtrę.

374 D. ANTONIUS DE RIBERA, Natione Mexicanus, incunabula apud Urbem Potoſinam à S. Ludovico dictam in ditione Guadalaxarenſi Novæ Galleciæ nactus, Academiam Mexicanam, litteris ut incumberet, præcipuè que utriuſque Juris peritiam imbiberet, à teneris petijt, donec egregiè doctus, nec ab Scholaribus modò probatus, ſed verò etiam à Senatoribus & forenſibus, Cauſidicos inter multi nominis floruit & gloriæ. Edidit vernaculo idiomate

Fun-

Fundamenta pro definitiva sententia, quam, ipso juris dicendi causâ assidente, pronunciavit ordinarius Judex in causâ hæreditatis, &c. Mexici, typis Viduæ Michaelis de Ribera 1714. in quarto. Extat opus tom. 8. Collectionis D. Ludovici de Mendoza.

Allegationem Juridicã pro D. Joanne Baptista Lopez in negotio civili contractus. Mexici, Litteris Francisci de Ribera Calderon 1716. in folio. Habetur eodem tomo Mendoziano.

Juris Allegationem pro D. Francisci de Aguirre Gomendio de Prælatione in concursu creditorum, &c. Mexici, formis H. V. Michaelis de Ribera 1718. in folio. Extat tom. 9. Nostræ Collectionis.

Accusationem coram Ecclesiastico institutam Mexiceo adversus Josephum de Estrada Tuñon in causâ Immunitatis, &c. Mexici, apud Franciscum de Ribera Calderon 1720. in quarto. Habetur tom. 16. Collectionis nostræ, & tom. 7. Collectionis Mendozianæ.

375 P. ANTONIUS DEL RINCON, quem Bibliotheca Societatis Hispanum natione dixit, quòd ab Hispano parente genitus, quo etiam titulo Hispani sunt nominanturque omnes fere (exceptis videlicet quos ab Indis profectos apertissimè scribimus) quos Mexicanos natione in Bibliotheca nostra leges; Natione dicimus Mexicanum, propterea quòd natus fúerit in America Mexicanâ, non quidem Angelopoli, ut in citatâ Bibliothecâ Societatis habetur, sed in Urbe non longè à Mexico dissita, olimque Regibus & multis dotibus præclarissimâ, Texcuco, quæ etiamnum clara viget & fidelissima. Hispano quem traxit sanguine à genitore, nobiliorem maternum junxit è Regiâ Texcucanorum stirpe ductum, ut Author est P. Florencia lib. 3. cap. 8. num. 143. Historiæ Provinciæ Novæ Hispanię Societatis JESU, quam Antonius 18 annos natus ingressus est, vertente anno Domini 1573. in quaque opportuno tempore quatuor nuncupatis Deo votis professus est, gradumque subinde expectatius in Familia sua indeptus. Decori fuisse magno Provinciæ suæ, cui exactissimè deservivit, idem Historiographus attestatur, pollicetur que plura se de eo propria locaturum in sede. Quòd tamen alterum Historię tomum in quem Nostri aliorumque Acta reservaverat, non ediderit; latent nos quidem illustria, quibus has libenter paginas impleremus, contenti eis interim, quæ habemus comperta, laborasse nimirum egregiè ad mortem usque pro juvandis Indis in negotio æternæ salutis, quod Apostolicum virum decebat maximè, sacris ita expeditionibus deditum, ut etiam dimidio paralyticus corpore, duodecim tamen annis, statuto sibi tempore eisdem agendis constanter institerit. Denatus fuit pro-

pe Angelopolim anno 1601. die 2 Martij. Theologicis quibus emituit litteris Philosophicisque, insigni adjectâ idiomatis Mexicani peritiâ clarior evasit longè, multisque utilior, qui è Discipulis Magistri item ipsi Indorum in spiritualibus creati sunt ab ea quam edidit,

Grammatica Linguæ Mexicanæ. Mexici, typis Petri Balli 1595. in octavo.

Hanc profecto Artẽ, in qua se non minus decennio posuisse Author testatur in Nuncupatoria; quotquot è Societate, & multi exteri Mexicanæ Linguæ hauriendæ se dederunt ad annum usque 1647. propositam sibi habuere, ut expeditissimam brevitateque commendabilem; cui deinde supersederunt, alteram insequuti, quam uberiorem condidit Nostri discipulus P. Horacius Carochi pro ut indicato loco tradit Florencia, Antonij Elogium brevi complexus, itemque in Menologio die 2 Martij: quem etiam laudat P. Rivas in Triumphis Nostræ Sanctæ Fidei Lib. 12. cap. 10. D. Nicolaus Antonius in Bibliothecâ novâ pag. 123 & Bibliothecâ Societatis pag. 83.

376 F. ANTONIUS DEL RINCON, Natione Hispanus, Patria Hispalensis, Domicilio Mexicanus, Instituto Franciscanus, Jucatanensis Provinciæ alumnus, scripsit

Sermones varios,

Quos admodum utiles dicit Historiograhus P. Cogolludo, & ex eo Epitome Bibliothecæ Occidentalis Pinelianæ tom. 2. col. 722.

377 FR. ANTONIUS RIZO, Natione Mexicanus, incunabula apud S. Ludovici Potosini Urbem sortitus, Provinciæ S. Francisci Zacatecanorum alumnus, optimè in Theologicis rebus instructus, suggestui sacro multis ex munere annis incubuit, donec Prædicatoris Generalis titulum reportavit. Domi forisque magni habitus, Examinator Synodalis institutus est & à Goadalaxarensi Antistite & à Durangensi, Fidei que Quæsitores Mexicei à Censuris ipsum esse, subscripto Titulo, decrevere. Familia verò sua semel & iterum solennibus in Comitijs Provincialem elegit, quo secundum munere fungebatur anno 1747. Scripsit habetque apud se

Sermones varios duobus tomis,

Uti legimus in Catalogo Scriptorum ejus Provinciæ à citato alibi P. F. Josepho Arlegui concinnato, qui ejus etiam meminit in Chronic. ejusdem Provinciç pag. 411. n. 47. nec sine benemeriti viri elogio.

378 D. ANTONIUS ROBLES, Natione Mexicanus & Patria, Præsbyter Secularis admodum eruditus, cùm in Historijs, præcipuè Americanis, tum etiam in Theologicâ & Canonicâ Facultatibus, moribus itidem Sacerdote dignis floruit apud Collegium

à

à S. Petro Mexici dictum, pro Clericis institutum, qui & infirmis amentibusque deserviant in Valetudinario penes ejusdem Collegij ædes erecto, & Fidelium confessiones excipiant in Ecclesiâ à SS. Trinitate nuncupatâ eidemque adjunctâ, ac vocati diu noctuque ab exteris ęgrotantibus, præstò sint eidem invigilaturi muneri sacro. Hęc Noster obivit industriè, Sanctimonialibusque à S. Agnete nuncupatis à sacris fuit: studijs interea incumbens & scriptis, quæ vidimus ac legimus. Edidit sermone patrio

Defensionem Jubilei anni sancti pro eo qui vertebatur Christianæ epochæ anno 1700. Mexici, apud D. Mariam de Benavides eodem anno in folio.

Scilicet, excitatâ Mexici controversiâ de Sacrarum Indulgentiarum suspensione anno Seculari jam dicto, contendentibus que nonnullis duce viro Clarissimo P. Joanne Martinez de la Parra, Societatis JESU, minimè habendas pro suspensis esse ab Americanis, propterea quòd lateret nos Romani indictio Jubilei, cui forsan supersederat Summus Pontifex, penes quem authoritas est & libertas designandi tempora pro eo intra Romana pomęria lucrando, intereaque cœtera alibi istiusmodi indulta suspendendi; contra tamen communissimis calculis Doctores cœteri, quibus præivit gravissimus D. Alphonsus Albertus de Velasco, edito ea de re Opusculo, existimarunt, nulli dubiam Jubilei indictionem habendam, quam Romani Pontifices fixam tandem quarta quaque seculi parte fecerant; atque ijs Noster subscribens doctam & eruditam, quam diximus, publicavit Dissertationem.

Reliquit *Mss Tomos duos in folio,* quos Patribus Congregationis Oratorij Mexicei legavit, in quorum Bibliothecâ multoties illos, nec sine fructu, evolvimus, scilicet

Diarium, Notas, & Historicas de occurrentibus varijs enarrationes pro rebus præcipuè Americæ memoriæ tradendis.

Præterea collegit distribuitque in aliquot tomos in folio *Monumenta multa edita & etiam Mss valdè pro Historia & Eruditione utilia.*

379 P. ANTONIUS RODERO, cujus Natio & Patria in ancipiti nobis sunt, Societatis JESU alumnus in Provincia Novæ Hispanię, Philosophiâ eruditus atque Theologiâ, apprimeque in amœnioribus litteris & oratoria sacra versatus, è multis, quas scripsit, orationibus doctis ac pulchris, unam, quod sciamus, edidit vernaculo idiomate

Orationem in gratiarum actionem pro recèns condito Goadalaxaræ in Novâ Gallecià Monasterio Recollectarum à S. Monica Virginum Ordinis S. Augustini. Mexici, ex Ty-

Typographia Hæredum Michaelis de Ribera 1720. in quarto.

380 Fr. Antonius Romo, Natione Mexicanus & Patria, Institutum Seraphici Parentis amplexatus fuit nuncupatis votis in Excalceatâ Provinciâ S. Didaci Mexicanâ, cujus Philosophię candidatis è suggestu dictandum scripsit

Cursum Philosophiæ.

Ejus meminit Medina in Chronicis ejusdem Provincię fol. 66. n. 217.

381 P. Antonius Rubio, Natione Hispanus, Patria Rodensis, Mexicanus Domicilio, Instituto & Professione Societatis JESU alumnus Clarissimus, ipsam Compluti 21 ætatis anno amplexatus 1569, Philosophiâ que apprime eruditus atque Theologiâ, Socijs qui nuper in Hispaniam Novam trajecerant, aggregatus Mexici constitit. Erectum recèns fuerat Maximum SS. AA. Petri & Pauli Collegium pro Grammaticâ, Rhetoricâ, Philosophiâ, & Theologiâ tradendis, & ubi P. Doctor Petrus de Ortigosa Cursum triennio Philosophicum multo cum audientium emolumento perfecit, suffectus ei fuit Antonius ut secundo quidem omine ejusdem facultatis Cursum auspicaretur. Et hercle tam ille perfectus omnibusque numeris absolutus evasit, ut typis postmodum excusus Europæ, sapientum plausus hominum tulerit, eximioque in honore Compluti fuerit, ut infra P. Alegambius nos in Bibliothecâ Societatis docebit. Noster intereà à Theologiam in eâdem palęstrâ annis duodecim è suggestu professus, gloriam ab egregiâ comparatam doctrinâ facilè adauxit. In Universitate Mexicanâ Doctorali inaugurandus pileo, pro Licentię gradu tenendo 12 Martij 1595 doctissimâ per horam habitâ, ut fit, Pręlectione in sextam Libri tertij Magistri Sententiarum Distinctionem, coram Theologorum Consessu in Capitularem Metropolitanę Ecclesię Aulam, ut moris est pro his nocturnis exercitationibus, convenientium, prolusit, plaudentibusque doctissimum virum hominibus sapientissimis Licenciatus Doctorque deinde in Theologiâ creatus est. Totos 25 annos suam in promovendis litteris & studijs cùm Collegij sui, suę tum etiam Universitatis operam posuit, instar que Oraculi doctrinę in gravioribus quibusque negotijs consulebatur & à Quęsitoribus Fidei, & à Senatotibus Regijs, & ab ipsis etiam Pro-Regibus, quibus percharus erat omnibus & jucundus.

382 Quòd vero multis à se curis elaboratum Philosophiæ Cursum pro communi bono in publicum edere cuperet, Mexicique editionem quominus moliretur incredibiles sumptus deterrerent, imò præpedirent omnino, redux in Hispaniam, Compluti reliquum vitæ tempus perfecit

fecit, non magis litteris deditus quam virtutibus, humilitatem in primis excolens, quam in tantâ doctrinæ copiâ præse ferebat, cunctique mirabantur: egregio orandi studio multum in sacris meditationibus tempus ponebat, quam acri mortificationi sociabat quotidianis se verberationibus, supra quam ætas & vires ferrent, discrucians, donec 8 Martij anno Domini 1615. ætatis supra 67 in cœlum, ut pium est credere, emigravit. Funeri ejus religiosæ Familiæ, nobiles quique cives, Academici viri interfuere, gravissimi jacturam Magistri dolétes, & mœstissimâ pompâ insignem sanè hominem cohonestantes. Quòd ad ejus attinet Scripta, placet Bibliothecam hîc Societatis transcribere, quæ porrò ita habet.

Edidit justæ molis

Commentarios in universam Aristotelis Logicam partibus 11. *Coloniæ, sumptibus Arnoldi Milij Birchmanni* 1605. *quibus titulum fecit*

Logica Mexicana. Recudit

Eosdem Commentarios in compendium quasi contractos, in gratiam Academiæ Complutensis, quæ publico decreto suis Professoribus eos explicandos Juventuti præscripsit, curavitque decretum hoc suum authoritate Regia firmari, & ita multis annis id duravit. Prodierunt (nifallor) primum Valentiæ 1607. *postea Coloniæ apud Joannem Kinkium* 1609. *& rursus* 1615.

Commentarios item in alios Libros Aristotelis de Physico auditu prius editos Matriti apud Ludovicum Sanchez 1605, *tum in breviorem summam redactos, rursus vulgavit Valentiæ (nifallor) ac subinde Coloniæ apud Crithium* 1610. *& rursus* 1616. *Prodierumt etiam posthumi*

Commentarij in Libros Aristotelis deCælo & Mundo.Coloniæ typis Crithij 1617. *Ante hos autem, vivo Authore,*

Commentarij in Libros de Ortu & Interitu, seu de Generatione & Corruptione rerum naturalium, ijsdem recusi typis Chritij 1619. *Denique*

Commentarij in Libros de Anima, ab eodem recusi 1613 *&* 1621. *Recussi hi onmes quinque tomis in octavo Lugduni* 1625.

Hactenus P. Alegambe, cui subscripsit D. Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Hispaniæ Novâ tom 1. pag. 125. Nostri quoque meminere P. Florencia in Historia Provinciæ Novæ Hispaniæ Societatis JESU lib. 3. cap. 20. pag. 186. & 187. Plaza in Chronicis Universitatis lib. 2. cap. 27. n. 255.

Hîc animadvertendum existimamus delusum fuisse Fr. Joannem à S. Antonio in Bibliothecâ Franciscanâ tom. 1. pag. 125. adscribentem Logicam Mexicauam Coloniæ excussam anno 1605. in quarto. F. Antonio Rubeo, seu RubioniMinoritæ:quamquam verius dicendum, non Franciscanum Joannem à Sancto An-

Antonio falsum, sed ignotum, quem citat, Authorem Bibliothecæ Barberinæ pag. 323. ex quo hunc ille Scriptorem hausit. Nunquam enim vidimus, aut ab aliquo accepimus, aliam esse Logicam Mexicanam inter typis editas præter Nostri Rodensis Jesuitę Rubij. Accedit facilis conjectura equivocationis à loco editionis, nempe Colonia, ex quo cùm Logica Mexicana anno 1609 prodierit Jesuitę, Minoritæ ibidem prodijsse dicatur 1605, pronum est credere & in numero erratum, scriptumque 5 pro 9. & itidem in Authore; quamquam certum sit, esse quidem Scriptorem alium Franciscanum Antonium Rubio, de quo cùm ipsa Bibliotheca Franciscana loco mox laudato, tum etiam Hispana citata nuper pag. meminere: meminit, quoque Alva in Militia pro Immaculata Conceptione; ad ipsum tamen Logicam Mexicanam haud referunt, quę subinde solius Barberini Catalogi lapsu Nostro abjudicata videtur.

383 Fr. Antonius Ruiz Lozano, Natione, ut videtur, Mexicanus, & fortè Angelopoli natus, Ordinis Pręducatorum in Provincia S. Jacobi Mexicanensi, inter Angelopolitanos Scriptores censetur à D. Didaco Bermudez de Castro in Catalogo suo n. 72. testante, eum & Vicarium egisse Angelopoli ad S. Dominicum, & recusisse tractatum hoc titulo insignem *Beatus Dominicus Speculum peccatricis Animæ.* Anno 1695.

Quem cum ad manus non habuerimus, typographum haud indicamus, manemusque ancipites, num iste Ruiz Lozano Author fuerit Operis, quod semel & iterum publicaverit, an scriptum ab alio & pridem excussum iteratâ editionis luce donaverit.

384 Illmus. D. D. Antonius Ruiz Morales et Molina, Natione Hispanus, Patria Corduvensis, Domicilio & munere Mexicanus, Religiosis Ordinis Militaris S. Jacobi adscriptus dicitur ab Ægydio Gonzalez Davila in Theatro Ecclesiæ Angelopolitanæ pag. 91. indutusque habitum Ordinis apud ejusdem Hispalense Cœnobium. Anno 1556 Mesochorum egisse in Ecclesia Cordubensi, Judicemque, ut ajunt, Conservatorem Conventus Sanctimonialium Dominicanorum Ubedæ idem Historiographus fidem facit, additque insuper Universitatis Orsonæ Visitatoris muneri alijsque incubuisse præclaris. Concionator multi suo tempore nominis fuit, nec exiguâ ornatus eruditione. Pro Ecclesiæ Americæ nostræ Michoacanensi Episcopus institutus, postquam non nullis ei annis pręfuit, in Angelopolitanam translatus ipsi se stitit anno 1573. die prima Novembris. Partes ut Prælati omnes impleret, exemplo primum egit, vir-

virtutibus imitandum se omnibus exhibens, doctrinamque adjecit, & in pauperes eleemosynas, mansuetudine clarus atque prudentiâ, quibus instructus corrigere solebat citra strepitum lapsos, sibi Deoque in primis ipsos devinciens. Scriptis etiam doctis inclaruit, quibus imitatus est & germanum Fratrem D. Ludovicum de Molina, Regium Senatorem, ab insigni, quod edidit, Opere de Primogenijs Hispanorum notissimum laudatissimumque, & Ambrosium de Morales multæ & exquisitæ virum eruditionis, pluribus voluminibus commendatum, cujus fuit ex Cęcilia Sorore nepos, Mecœnasque libri de S. Eulogio ab Ambrosio editi.

385 Publicavit, quæ recenset D. Nicolaus Antonius pag. 125. tom. 1. Bibliothecæ Novæ Opera, scilicet

In Benedicti Ariæ Montani Rhetoricam annotationes. Antuerpiæ 1572. in octavo. Hispano autem sermone

Regulam Ordinis S. Jacobi 1565. in folio.

Historiam Ordinis S. Jacobi, quę an in lucem prodierit, tacet citatus, ut & præterit typographorum nomina; monet tamen haberi volumine quarto Hispaniæ illustratæ pag. 344 Ambrosij de Morales avunculi Nostri Latinam Epistolam nuncupatoriam quorundam Monumentorum de S. Cordubênsibus; ejusque meminisse cum laude Hieronymum Gudiel in Epitome *de los Girones*: Ægydium quem supra citavimus; Collectorem Bibliothecæ Gesnerianæ; & Athanasium de Lobera in Legionensis Urbis Historia cap. 8. Quibus addimus ex nostratibus P. F. Balthasarem de Medina in Sillabo Episcopòrum Tlascalensium Littera O. in Chronicis Provinciæ Excalceatorum S. Didaci Mexicanæ, & Betancurtium in Tractatu Civitatis Angelopoleos cap. 4. n. 20. ad calcem Theatri Mexicani tom. 4.

386 Fr. Antonius Ruiz, Natione Mexicanus, in Civitate S. Ludovici Potosini admodum clarâ natus, Provinciam S. Francisci de Observantia Zacatecanorum adivit nuncupatis in ipsa Deo votis. Primos inter Familiæ sua ætate à meritis habitus, Deffinitoribus fuit adscriptus, Opus lato calamo concinnavit, tomum scilicet in folio,

De Divini Verbi Incarnatione,

Quem asservari in ArchivioCóventus Zacatecani, constareque folijs 300, Author nobis est P. Arlegui in Catalogo Provinciæ suæ Scriptorũ, sæpe nobis usui futuro.

387 F. Antonius de Samano, Natione Mexicanus, Vallisoleti Michoacanensium genitus, Instituta S. Francisci inter nudipedes Provinciæ S. Didaci Mexicanæ amplexatus, per aliquot annos Theologiam è suggestu domesticis tradidit auditoribus, Custosque ejusdem Provin-

vinciæ fuit institutus, ut Author est F. Balthasar de Medina in Chronicis memoratæ Provinciæ fol. 66. n. 216. Scripsit

Tractatus Theologicos; forsan extantes apud Sodales.

388 D. ANTONIUS DE SAAVEDRA ET GUZMAN, Natione Mexicanus & Patria, quæ licet in ancipiti fuerit D. Nicolao Antonio in Bibliotheca Hispaniæ Nova pag. 125. comperta nobis est, cùm ex Operis, quod mox indicabimus, accurata lectione, tumetiam ex alijs nostratum monumentis incunabula Antonij Mexicea tradentibus, acceptaque à majoribus & eruditis viris notitià. Genitores nactus est clarissimo sanguine illustres, Proavumque Comitem del Castellar multis insignem in Hispania stématibus & nominibus, Parentem autem vel ex ijs qui in Mexicana expugnatione immortale sibi nomen peperere, vel saltem ab eorum aliquo genus ducentem. Christianè & liberaliter educatus, bonisque litteris institutus, Poesim in primis coluit & Historiam, in cujus studio septenium posuisse ab ipso in Opere suo acceptum habemus. In Hispaniam trajecisse idem quoque Author est, testatus septuaginta dies navigando insimul scribendoque Poema, quod post modum edidit, transegisse. Est verò illud hispano conceptum idiomate atque hoc insignitum titulo:

Peregrinus Indicus. Mantuæ Carpentanorum, apud Petrum Madrigal 1599. in 8, spisso volumino.

Poema est Epicum, Historiam Expugnationis Mexicanensis ob oculos exhibens cantibus viginti graphicè delineatam, non quòd numeris cothurnatis assurgat, si eos ad hodiernam Hispanæ Poeseos elegantiam compares & pigmenta, sed quòd pro ætate illa, scilicet integro & dimidio ab hinc seculo, satis exculti sint atque eo nomine historicis conscribendis tabulis aptiores longè, quia citra fucum & cerusam res gestas ob oculos ponant, quas à testibus oculatis grandęvisque degentibus Mexici Author acceperat. Hæc ubi tacitus mente reputaverat M. F. Joannes Antonius de Segura Troncoso, Mexicanus & ipse Doctissimus, Criticusque multâ & omnigenâ dives eruditione, Ordinis B. V. Mariæ de Mercede, in suo Seneca Mercedensi Mss à n. 440 (de quo sermo nobis suo loco recurret) vehementer dolet, nec certè de nihilo queritur, celeberrimũ Mexicanæ Expugnationis Historiographum D. Antonium de Solis scripsisse, Expugnationem hác Historiâ carere, quę Historia sit, indicatis singulis quæ prodierant atque notatis; queis cum Antonij de Saavedra Peregrinum Indicum non addiderit, argumento est, inquit, nunquam in illum incidisse legendo, quo lecto, haud ita

ita facilè omni destitutam Historiâ expugnatam Mexicum pronunciasset, imò, ut erat in Poetica insignis, hanc in Historiam abijsse, Musis mira veraque, nec jejunè narrantibus, hercle Nostro plausisset, in cujus, nec immerito, laudes præcitatus Segura effunditur. Meminit ejus Leon Pinelus in Epitome Bibliothecæ Occidentalis col. 605. edit. novissimæ Madritanæ.

389 F. ANTONIUS DE SALAZAR, Natione Mexicanus, apud Zacatecanorum Clarissimam Civitatem ortus, in Provincia admodum illustri Minorum de Observantiâ ibidem florente, Seraphici P. instituta sacra professus, egregiâ pro utroque suggestu pollens eruditione, & Theologiam è Cathedra docuit Lectoris functus munere, & Prędicatoris lauream Emeriti, habitis ad multos annos frequentibus doctisque concionibus tenuit: Deffinitoribus Provinciæ adscriptus pro meritis, Guardianusque, ut ajunt, datus Cœnobio del Potosi & alijs, toti demum præfuit Provinciæ egregio ejusdem emolumento, quòd & Ecclesia Cœnobij Potosini à fundamentis, eo fovente & procurante, excitata fuerit, & sacrâ pretiosâ suppellectili ornata. Aliqua edidit ingenij monumenta, adeò quidem, judicio nostro, affabrè constructa, ut eis lectis, doluerimus haud plura suppetere nobis queis libentissimè pasceremur. Sunt autem illa.

Panegyrica Oratio habita indictis publicis rogationibus pro fælici Serenissimæ Hispaniarum Reginæ Mariæ Aloysiæ de Sabaudia partu, ortuque desideratissimi Principis. Mexici, typis Luperciannis 1707. in quarto. Extat t. 25.Collect. nost.

Panegyrica Oratio in solenni Ludovici I Asturum Principis acclamatione. Mexici, Formis V. Michaelis de Ribera 1713. in quarto. Habetur tom. 72. Collect. nost.

Tres alias edidisse Conciones, quarum non nescire titulos optaremus, ab Catalogo Scriptorum memoratæ Provinciæ accepimus, quas hactenus venari isthæc quæritantibus nobis haud licuit. Ejus cum laude meminit P. Josephus Arlegui in Chronicis ejusdem Provinciæ p. 409. n. 41.

Tractationes Theologicas & Sermones alios hîc addantur in votis habemus.

390 D. ANTONIUS SALBAGO, Natione, nisi fallimur, Mexicanus & Patria, Præsbyter Secularis, publici juris fecit pro fovendis piorum in res Sacras studijs, vernaculo sermone,

Orationes pias queis quotidiana opera Deo offerri valeant sacrisque Mysterijs Altaris Fideles assistere religiosè possint, &c. Mexici, apud H. V. Calderon 1689. in 16.

391 D. ANTONIUS SALCEDO FITA PERALTA, Natione Mexicanus, in Angelopolitana Diœcesi natus, vir fuit multâ egregius doctrinâ, & in Theologicâ adeo peritus, ut apud S. Inquisitionis

Tribunal Qualificatoris, ut dicitur, seu Censoris titulum & munus insigne tenuerit. Varias patriæ ditionis Ecclesias Parochiales industriè & sollicitè administravit, scilicet dictas de Tecuila, S. Joannis de los Llanos, Panotla, & Sacatelco, à quibus non modò notus fuit, sed verò etiam à litteris multo in pretio habitus. Reliquit scripta

Fragmenta moralia quinque tomis divisa, in quarto.

Sermonum, quos in præcipuis dixit festivitatibus, tomum unum in quarto.

Paradoxa politico moralia in folio, cui tamen libro non nulla deesse testis est D. Didacus Bermudez de Castro in Catalogo Scriptorum Angelopolitanorum n. 49. & penes se omnia quæ retulimus authographa esse, ibidem enuntiat.

392 D.D. ANTONIUS DE SALDAÑA ET ORTEGA, Natione Mexicanus, Angelopoli natus, Antequeræ Goaxacensium floruit & Mexici. Latinitate doctus & Philosophiâ juxtàque Theologiâ, hujus in Universitate Mexicanensi Doctor inauguratus fuit, & inter primos ejusdem Facultatis Professores meritò ab eruditis habitus. A prima ætate Antequeram se contulit, Episcopalem Sedem regente Illustrissimo D. D. Isidoro de Sariñana, Viro doctissimo, litteratorumque faventissimo Mecœnate, cui peracceptus fuit perque ita charus, ipsum ut in Familiam asciverit, multisque cohonestaverit titulis, quòd ingenio sociatam doctrinam virtutemque in eo haud vulgarem animadverteret. A Secretis, itemque à Sacris Confessionibus ipsum habuit, & Examinatorem Synodalem constituit, quibus alijs in dies accesserunt honores, cùm pro egregiâ in dicendo ad animarum salutem facundiâ zeloque insigni, tum etiam pro cæteris animi dotibus & in sacris Theosophiæ aditis penetrandis solertiâ. Perillustre Collegium D. Bartholomæi, quod ibidem magna sui nominis gloriâ jam pridem erexerat Illmûs. D. F. Bartholomæus de Ledesma, Dominicanus, Primariusque Universitatis Mexiceæ Antecessor Theologiæ, Rectoris munere administravit, Cathedramque Theologiæ vespertinam in Regio S Crucis Seminario moderatus est discipulorum multo cum fructu, Sapientumque laude. Adhæc, periculo facto pro Sacerdotio, ut dicimus, Magistrali alios inter petitores, ritè & pro meritis institutus est ad sacras conciones, quibus strenuè & frequẽter adornãdis incubuit: inde Ecclesiasticas Dignitates Thesaurarij, Meschori, & Archidiaconi adeptus, his eo usque muneribus usus exactè fuit, unàque Commissarium S. Inquisitionis Antequeræ peregit, donec in Ecclesiam Metropolitanam Mexiceam translatus spectabilem se Urbi frequentissimæ

ſimæ dedit Præbendâ inſignis & Canonicatu, longè tamen clarior doctrinâ, ob quam & à Quæſitóribus Fidei Cenſor adlectus, & ab Archipræſule Synodalis Examinator creatus, à Sodalibus Academicis, & à doctis quibusque viris magni eſt ductus, interea ſe probitatis exemplar exhibens ad mortem uſque, quam aſpexit Angelopoli, ubi negotij vel ruſticationis cauſâ devenerat. E multis à ſe ſcriptis ſermonibus, plures equidem tomos impleturis, ſi jungerentur, edidit

Orationem Funebrem in Exequijs ductis Clariſſimo Doctori D. Petro de Otalora Carbajal, Archidiacono Antequerenſi, &c. Angelopoli, litteris Didaci Fernandez de Leon 1691. in quarto. Extat tom. 32 Collectionis noſtræ.

Concionem à ſe habitam in Dedicatione Templi à Sanguine Jeſu-Chriſti, Antequeræ conditi. Angelopoli, apud Didacum Fernandez de Leon 1692. in quarto.

Concionem Antequeræ dictam in Feſto Apoſtólorum Principis Divi Petri. Angelopoli, ex Typographia Joannis de Villareal 1695. in quarto. Legitur tom. 20. Collect. noſtræ.

Conciones duas, alteram in ſuſceptione habitus religioſi, alteram in profeſſione Sanctimonialis ad Monaſterium Antequerenſe à Conceptione. Mexici, typis Joannis Joſephi de Guillena Carraſcoſo 1697. in quarto. Extant t. 11. dictæ Coll.

Concionem à ſe habitam in Feſto pro Congregationis FF. Bethlemitarum Hoſpitalitatis erectione. Mexici, formis D. Mariæ de Ribera 1697. in quarto.

Concionem triumphalis Servatoris noſtri ingreſſus in Jeruſalem. Mexici, litteris de Carraſcoſo 1698. in quarto. Extat tom. 11. memoratæ Collect.

Concionem in ſolenni die Pentecoſtes Antequeræ dictam. Mexici, eiſdem typis & anno, in quarto.

Concionem in Dedicatione Templi Auguſtiniani Antequeræ conſtructi. Mexici, apud mox dictam Typographiam 1699. in quarto.

Elogia Sacratiſſimæ Religionis Bethlemitarum in Natali Jeſu-Chriſti Domini noſtri. Mexici, è Domo Michaelis de Ribera 1708. in quarto. Legitur t. 11. dictæ Coll.

Neceſſitates Deiparentis in obitu Jeſu Chriſti Domini noſtri. Mexici, apud Carraſcoſo 1715. in quarto. Extat t. 16. ejuſdem Collect.

Heroycum motivum pro ſublevandis animabus expiatorias penas ſubeuntibus. Mexici, apud H. V. Michaelis de Ribera 1718. in quarto. Legitur tom. 106. memoratæ Collect.

Panegyrim in honorem primæ Sacratiſſimæ Triados Perſonæ. Mexici, typis Joannis de Ortega & Bonilla 1721 in quarto. Legitur tom. 11. dictæ Collect.

Theoſophica, quæ è Cathedrâ tradidit, inviti præterimus Opuſcula, quorum nos fugiunt nomina.

393 F. ANTONIUS SANCHEZ, Na-

Natione Mexicanus, Angelopòli natus, Clarissimo Prędicatorum Ordini, nuncupatis in patrio Conventu votis, se adjunxit, inde Mexicum dimissus, Pontificium à Porta-Cœli Collegium, quod insigne estSanjacobeę Provincię doctorum hominum Seminarium, pro studijs gerendis adivit, quibus non sine sucessu incubuit & plausu. Vertebatur interea annus 40 proximè elapsi seculi, & Procuratoribus Dominicanę SS. Rosarij Provincię apud Insulas Philippinas florentis, supplementum Religiosorum pro illâ sedulo agentibus, Antonius eorum albo nomen suum dedit, qui se navigationi accinxerant, commigrare que in Asiæ illam regionem ultrò decreverant. Eò appulsus anno 43. sacris initiandus, Pontificem aliquot annis opperiens (nec enim id temporis ullus erat in Insulis) interea loci idiomati Pangasinano imbibendo se dedit, tum etiam, illo altè imbutus, Tagalanum sic ingenio & labore promptum sibi fecit & familiare, ut etiam ejusdem peritiâ eminuerit. Sacerdos factus, curandæ Pangasinanæ genti institutus Minister est, cujus ne se eruditioni subduceret, nuntium ultrò remissit splendido Lectoris Philosophiæ titulo, quo ipsum Rectores Familiæ à litteris commendatum ornaverant. Animarum zelo ductus & charitate. Iborrotes petivit (sic enim dicunt asperos & dissitos montes, in quos jam inde ab anno 61. apostatæ se Indi multi receperant) & ita suam illis improbitatem & æternum discrimen objecit, tamque comiter & humaniter eos tractavit, multas ut secum familias revocaret, Ecclesiæ que restitutas, ab anno 69. excolendas susceperit coacto ex illis Populo ad S. Hyacinthi Pangasinanum non longè sedente, cui à SS. Deigenitricis Sponso nomen indidit, propter eximiam, qua erat in Divum, pietatem, inque gratissimi animi significationem, vitam illi in acceptis referentis.

394 Scilicet anno 1645 Nostro ad Manilæ Conventum degente, motâ vehementissime terra fuit, disjectoque, primâ fluctuatione, pariete, erat adeò in confinibus ruina, ut, ni statim & citissimè proripuisset se à cella, icone SS. Josephi munitus, jacuisset obrutus & sepultus grandi turris portione, quæ illicò atque ipse discesserat, cubiculum penitus depresit ac deturbavit. Huic quo tenebatur adversus Josephum religioni, cœteram adjecit virtutem, humilitatem in primis, cui à teneris fuerat addictus, castitatem, paupertatem, & Dei amorem. Doctrinâ verò clarissimus divelli nunquam patiebatur à litteris, nisi ut orationi vacaret, aut alijs religiosi hominis exercitijs, & diligentissimi muneribus Parochi incumberet. Dilectus sub inde Deo, & ho-

hominibus charus, molesto ad extremum & diutino morbo patientissimè tolerato, sacris procuratus, è vivis excessit 7 Decembris anno 1674. ætatis 60. suo Fratribus desiderio relicto. Idiomate Pangasinano adornavit

Versionem aliquot librorum.

Et ejusdem Linguæ pristino summâ diligentiâ addito, condidit

Dictionarium Pangasinanum copiosissimum,

Ut Author est qui ejus vitam scripsit P. F. Vincentius de Salazar Dominicanus, Rectorque Collegij à S. Thoma Manilensis, & ejusdem Cancellarius Universitatis, in tertia parte Historiæ Provinciæ SS. Rosarij Philippinarum, edita apud memoratum Collegium anno 1742. in folio. Antonij autem habentur acta pp. 54 & 55. lib. 1. cap. 11.

395 D. ANTONIUS DE SANTOYO, Natione Mexicanus, in Urbe ortus ab Angelis dicta, Parochiali titulo claruit apud Oppidum nuncupatum Papantla ejusdem Diœcesis, laudaturque ab Authore Allegationum pro Clero Angelopolitano excussarum tacitis loci & typographi nominibus magno volumine fol. 80. col. 2. ad calcem puncti 6 Allegationis secundæ, quòd scripserit

Cathechismum ad Parochianos idiomate Totonaco.

Confessionarium ad eosdem eâdemque Linguâ.

396 F. ANTONIUS DE SAZ, Natione Mexicanus, ortus apud Ciudad Real de Chiapa, unde Provinciæ nomen, suum ipse Franciscanorum à SS. JESU de Goatemala nuncupatæ dedit, in qua & Theologiæ laude enituit, & insigni Linguæ gentis explicandæ scientiâ & docendæ. Hanc illi adsociatam etiamnum Sodales ob oculos habent in Libris, quos Mss apud Bibliothecam Primarij Cœnobij sui Goatemalensis servant, ut ab eisdem accepimus. Sunt autem illi

Enchiridion, præter alia, Conciones 14 lectoribus offerens, pro Sacramentis dispositas ministrandis, septem ita ut præcedant adhortationes, & totidem administrationem sequantur.

Mariale, seu de Beatissimâ Deiparente sermonum tomus in quarto.

Sanctorale, seu Sermonum de Sanctis tomus alter in quarto.

Additiones ad usu frequentiorem Linguæ Goatemalensium Artem, quæ copiâ unà & splendore acceptior est & gratior discentibus.

397 F. ANTONIUS DE SCOTO, Mexicanus, ut minimum, incolatu (nam de Natione hæremus & Patria) Ordinis Minorum de Observantia in Provincia S. Evangelij alumnus, Lector Sacræ Theologiæ Emeritus Pro-Ministerq; ad Generalia Familiæ Seraphicæ Comitia destinatus, Notarius Apostolicus, & apud S. Inquisitionis Tribunal, à sanguinis claritate Ministri familiaris titulo cohonestatus, à doctrinâ

verò Cenſor proprietarius aſcitus, utrâque Linguâ, quæ ſequuntur reliquit edita. Hiſpanâ

Sermonem à ſe habitum in publicatione Edicti generalis S. Officij in Urbe Tacuba. Mexici, apud V. Bernardi Calderon 1699. in quarto.

Latinâ: *Scutum Confeſſionis contra nefarios Sacerdotes in Sacramento Confeſſionis pœnitentes ad turpia provocantes.* Mexici, apud Michaelem de Ribera 1703. in octavo.

Panegyrim eucharisticam pro nuper nato Lodovico I Hiſpaniarum Principe. Mexici, ex Typographia V. Michaëlis de Ribera 1709. in quarto.

Concionem de Chriſti Crucifixi trihorio in feſto dolentiſſimæ Deiparentis. Mexici, typis H. V. Michaelis de Ribera 1715. in 4.

398 F. ANTONIUS DE LA SERNA, Natione Hiſpanus, apud Cluniam Beturiæ natus, Parentibus Antonio de la Serna & Guzman, & D. Catharina de la Caballeria nobilibus utiq; & claris, Domicilio, Studijs, Profeſſioneque Mexicanus, apud Antequeram primariam Goaxacenſium Urbem juvenis conſedit, Ordinisque Prædicatorum habitum in Cœnobio ejuſdem Civitatis aſſumpſit, ac ſolennem Profeſſionē emiſſit die 10 Julij anno 1575. Latinitate ſatis inſtructum Philoſophiæ addiſcendæ tradidere Prelati, moxque Theologiæ, in queis tam evaſit idoneus, Cathedris ut regendis judicatus fuerit aptiſſimus, quamvis alia pergere juſſus via, ei libèns inſtiterit, Superioribus obſecundans in Zaapotecanorum idiomate, ipſorum ut eruditioni vacaret, induſtriè excolendo. Ubi annos aliquos prædicans, ſacraque Indis adminiſtrans tranſegit, anno 1590 virtutibus cœterisque dotibus ſuis Moderatores Familiæ invitantibus ut Novitiorum inſtitutioni præficeretur, huic totus muneri incubuit, donec majoris operæ alia moliri pro Dei gloria cœpit Provinciæque ſuæ. Una quidem à S. Jacobo nuncupata Mexici jam diu florens, Cœnobijs etiam multis illis conſtabat, quę apud Zaapotecanos & Goaxacenſes condita fuerant; quòd autem & eorum major eſſet numerus, quam ut facilè ab uno regi capite poſſet, & nimis, pro negotijs ocurrentibus, ab Urbe Mexicana diſtarent, ubi Provincialis ſedet in primis, juſtisque alijs de cauſis, meditata pridem diviſio à PP. Goaxacenſibus, alteriusque inſtitutio Provinciæ Conventus Nationis illius complexuræ, noſtro demandata eſt, quam ut felici omine auſpicaretur, Apoſtolicis Clementis VIII Summi Pontificis, ut in Hiſpaniam trajicere poſſet, Litteris uſus, à Provinciæ Vicario licentiam obtinuit, ſeque & aleæ plenæ navigationi dedit, & ſalutatis Iberiæ litoribus, itinera majorem partem pedes arripuit in Hiſpaniam Italiamque, primùm Regis Miniſtros & Confeſſarium viſu-

visurus, propitiosque sibi facturus negotioque suo, mox Romæ sedenti admodum Reverendo Magistro Joanni Vincentio, qui vices Generalis Patris tenebat, adventus redditurus rationem sui, cujus ope & auxilio dextrum sibi faustumq̃ sydus pollicebatur.

399 Sanè, hominis eximia modestia, paupertas, &, quæ se prodebat in facie, magis autem in verbis & moribus, virtus, facilè ipsum ita commendarunt Vincentio, ut comitem voluerit habueritque itineris, quod pro Familiæ Comitijs apud Venetos proximè cogendis anno 1529. eo tempore instituit. Eò ubi accessere, Magister Generalis benignissimè Nostrum suscepit, miratusque ipsius Provinciæque suæ, cujus referebat specimen, gesta, quæ rogatus narrabat, & austeritatem, primœvam Ordinis redolentem, temperare haud potuit à lachrymis. Nec minus gravissimis, qui ex multis Nationibus convenerant, Patribus se probavit, gaudentibus Indicas ab ipso historias accipere, eas verò in primis quæ Fidem Catholicam multâ adsociatam in vastissimis regionibus pietate ponebant ab oculos. Quòd autem attinebat ad dissecandę Provinciæ negotiũ, postquam datis sibi scripto verboque documentis multis Pręses id noverat, pro ejus gravitate, in plenum mox futurum consessum Ordinis reservavit, ut maturius & enucleatius à sapientissimis & prudentissimis viris expenderetur. Cessit tandem auspicatò res illa Nostro, erectâ Goaxacensi Provinciâ à S. Hippolyto nuncupata.

400 Cœterum quamquàm maturâ & ad juris normam exactissimâ discussione facta fuerit divisio, magnas deinceps passa est difficultates, quas tamen prudentiâ laboreque incredibili Noster elusit. Siquidem dissolutis Venetiæ comitijs, Romam repetijt, ubi se Clementi VIII stitit, à quo gratijs & indultis dignatus, in Hispaniam regressus; anno 1595 vela dedit versus Americam unà cum delecto pro novâ Provinciâ Priore, qui in primum designati statimque demortui locum suffectus fuerat, Magistro Alphonso Baylo quodam etiam Americæ indigenâ, vigintiqueReligiosis ex Hispaniæ Provincijs in supplementum conquisitis & datis. Ubi Portum omnes Mexicanum tenuere, exscensu facto, morati nihil quo minus in suam se Provinciam reciperent, jactari tempestate cæperunt, ut in magnis persæpè negotijs & quæ multos concernunt homines, evenire frequenter solet. Noster id circo degere diu Anteqræ non potuit, zelo amoreque Provinciæ suæ coactus iterum navigare, ut sævientes procellas compesceret, & optatam socijs malaciam, laboribus quidem decumanis suis, conciliaret. Nec porrò spe frustra-

ſtratus fuit, quòd eo in Europam tempore acceſſerit, quo tranſlatis Valentiam Comitijs Ordinis, quæ ob inſperatam eluvionem celebrari non potuerant Hiſpali,pro qua Urbe famoſiſſimâ indicta fuerant, Deffinitores à Goaxacenſibus demandati gentilium cauſam ſuorum agere opportunum ducebant, queis ille ſuppetias è Curia ferebat, adornabat que viam regreſſuris, ut nullis in difficillimo itinere offendiculis prępedirentur.

401 Compoſitis itaque rebus è voto ſententiâque ſuâ, ſe denuo Goaxacæ reſtituit, quem non multo poſt, anno ſcilicet 1598 Sodales conſentientibus ſuffragijs Provincialem ſibi elegerunt, cùm primum hoc ipſis jure uti licuit, abſoluto ſcilicet quadriennio, pro quo Magiſter Vayllius Præſul datus fuerat à Generali. Magiſterij in Theologia gradum pro tunc deſignato ſibi capite ultro viri illi graviſſimi poſtularunt, quo dein, anno 1600 ritè fuit auguratus. Antonius certè in amore & ſolicitudine inſtitutæ recèns Provinciæ nulli ſecundus, ſecundo uti ſydere ei ipſe illuceret adhuc naſcenti, nullā non poſuit curam, atque ut erat virtutibus, litteris, & prudentiâ conſpicuus, Ordinationes, ſeu Acta, ut dicunt, capitularia accómodatiſſimas pro Regione conſtituit, in moresque induxit, earum juxtà & Conſtitutionum invigilans obſervantiæ, quę Familiam nimis reformatam deceret, perennaretque in annos, ut etiamnum cernitur florens. Paupertatem à ſe ſuisque, etiam Parochias miniſtrantibus, rigidiſſimam exigebat, veſtium aſperitatem, modeſtiamque inſignem pro virili fovebat, Dei cultum, etiam in parvis Eccleſijs, quà officij recitatione divini coram Diviniſſimo, quà decentiâ & ornatu in cunctis ad ſacra pertinentibus, aſſiduè quęrebat. Non equitare ſuos, ni magna eos urgeret neceſſitas,non prætextu aut otio extra clauſtra vagari ſinebat, aut quidquam à regulari moratiſſimâque diſciplinâ exorbitans permittebat, omnibus ſe probitatis exemplar objiciens. Litteras ut excolerent juvenes, Lectores ingenio præditos & doctrinâ, cùm in Philoſophia, tumetiam in Theologia, & Scholaſtica & Morali, eis dedit egregios, gradibus, cœterisque Palęſtræ honoribus non ſegniter excitatos. Alios, ad id officij natos, pro tradendis Indorum linguis deſignavit Magiſtros, quorum induſtriæ tyronum in ea parte inſtitutionem commiſit, qui docere gentes ſacra deinceps poſſent, & Sacramenta tradere. Nec enim antiquius aliud habuit quam ut neophitorum ſaluti provideret & incolumitati, quos paternè complexus,eleemoſynis, omnibus que, ut potis erat, obſequijs proſequebatur.

402 Adhæc, ædificia in Cœno-

nobijs aut instauravit, aut nova induxit, magno nascentis incremento Provinciæ, diligentius longè spirituales ejusdem progressus accurans; ratusque in illis exordijs, austerioribus oportere legibus uti, vindicabat latas acerrimè, ne subinde tepiditas in agendis aliqua & laxiores usus irreperent. Ubi functus munere fuit, successorem pro futuro proximè quadriennio sibi procuravit strenuum, ipse annis licèt gravatus, confectusque curis, suffragatoribus obsecundans, cupientibus quidem tertiò ipsum in Europam mittere Deffinitorem Procuratoremque, non tamē audentibus arduum id officium illi palam injungere, spontè oblatus, brevì se itineri accinxit, atque anno 1603. navi in Portu Veræ-Crucis conscensâ in Hispaniam se contulit, moxque in Italiam, paupertatis ubique cœteratumque virtutum odorem spargens, nec præter Deum alia intendens, quem, Provinciæ suæ quieti & bono prospiciens, sibi proposuerat laborum metam. Florentiæ ad Conventum Ordinis à Novela dictum, nominibus multis insignem, febri correptus, substitit, religiosissimis Patribus omni ipsum charitate & sollicitudine prosequentibus. Quòd verò ingravesceret morbus, totius vitæ exomologesim apud Priorem instituit, multisque & eximiæ pietatis documentis ad alia pro morituris Sacramenta suscipienda animum comparavit, queis præmunitus, spiritum Deo redidit anno 1604 mense Martio; silentio verò diem præterimus, quem ab historiographo, cæterà diligentissimo, facilè ob distantiam locorum tacitum observamus. Non ingratam certè à S. Hippolyto Provincia se exhibuit Antonio, cui & honorem Institutoris sui & suffragia decrevit præter alia quidem, solenniori ritu concepta, ubi certior de ejus obitu facta fuit, ea item quæ in Actis Capituli Provincialis de anno 1608 & 1609. § *Suffragia pro Defunctis,* ita leguntur: *Pro anima R. P. N. Magistri F. Antonij de la Serna hujus nostræ Provinciæ Institutoris, quilibet Conventus & Domus unam Missam.* Scripsit idiomate hispano

Multas ad Catholicum Regem ejusque Consilium Indiarum Epistolas pro Indorum commodis & incolumitate,

Ut Author est, qui ejus Acta diligenter tradidit M. Burgoa, ejusdem Provinciæ alumnus, in ejusdem Chronicis tom. 1. cui titulum dedit, Palęstra historica cap. 30. fol. 81. qui longiorem Nostri vitam à cap. 22 ad 32. exclusive, optantibus lectoribus dabit.

403 P. ANTONIUS SILVA, Natione Mexicanus, Patria Queretarensis, Congregationis Oratorij S. Philippi Nerij apud Villam

llam S. Michaelis Magni in Diœcesi Michoacanensium florentis, tyronum Præfectum in præsentia agit, & cœteris Instituti ministerijs incumbit. Jam diu Philosophiam auditoribus multis & domesticis & extraneis è suggestu tradidit in Collegio à S. Francisco Salesio nuncupato, quod Catholici Regis nostri licentiâ erectum & Ædibus junctum Congregationis,ab Oratoriensibus regitur, prima litterarum rudimenta, Grammaticam, Rhetoricam, Philosopiam, Theologiam Moralem Scholasticamque docentibus, institutosque & formatos litteris juvenes in Universitatem Mexiceam trahentibus laureis donandos pro ut Regis cautum est privilegio, & Magistratus Academici consensione receptum. Noster Scripsit

Cursum Philosophiæ Mexicearum more Scholarum, cujus exemplaria à discipulis plura circumferuntur Mss.

404 P. Antonius Siria, Natione Mexicanus, Patria Tlascalensis, Instituto Soc. JESU, in qua nuncupatis quatuor Deo votis effulsit, cùm ab excultis optimè litteris insignis, tum etiam à religiosis moribus clarus fuit. Philosophiam postquam in publica palæstrâ discipulis multis tradiderat, Theologiam Goatemalæ professus est in Collegio Familiæ suæ, quod Primaria inter jure censetur Ordinis Athenæa. Nec verò ab scholasticâ tantùm commendandus eruditione, verùm à Christianâ etiam oratotiâ, qua polluit, ut subinde Sodalitij, quod ab Anunciata Deiparente dicitur estque admodum clarum, Præfectus, per singulas heddomades dixerit è sacro suggestu, suorum in spiritu filiorum progressibus, ut oportet, intentus. Edidit vernaculo sermone

Admirabilem vitam insignesque virtutes V. Dei Ancillæ D. Annæ Guerra à Jesu. Goathemalæ, typis Baccalaurei Antonij de Velasco 1716. in quarto. Vidimus Librum in Bibliotheca Domus Professæ Mexicanæ. Quamvis verò ejusdem Mss Authoris, de quibus nulli dubitamus, & Mexici quæsierimus,& ut Goatemalæ perquirerentur Amicos rogaverimus; illa tamen adhuc nos fugiunt, id scientes, scripsisse,

Summulas, Logicam, Physicam, Metaphysicam, Animasticam, cœteraque integrum Philosophiæ Cursum ad Aristotelicum ritum componentia.

Præterea, *Varias Theologicas Tractationes, & Sermones hispanos.*

405 D. Antonius de Sosa, Natione Mexicanus, Patria Habanensis, apud perillustre S. Raymundi Nonnati Mexicanum Collegium Togatus, utrique sedulam juri dedit operam in Univesitate Mexicanensi. Tum in ejusdem Urbis Auditorio Regio Patronus causarum destinatus, simili item munere conspicuus fuit inGoadalaxarensi Conventu Juridico, mox etiam penes augustum Hif-

Hiſpaniolę Senatum. Adhæc, Conſultoris partes Apoſtolici Tribunalis S. Inquiſitionis Carthagine Indiarum explevit, cujus etiam Commiſſarij tenuit honorem. Parochus Civitatis à Trinitate Cubæ cùm eſſet, edidit idiomate hiſpano.

Panegyrim in gratiarum actione D. O. M. ab eadem Urbe ſolenniter inſtitutâ pro matrimonio junctis Hiſpaniæ & Luſitaniæ Principibus. Mexici, litteris Joſephi Bernardi de Hogal 1729. in quarto. Extat tom. 87 Collect. noſt.

406 D. ANTONIUS TAMARIS DE CARMONA, quem, ſumptâ à cognomine debiliſſimâ conjecturâ, Carmonenſem Patria ſuſpicatur D. Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hiſpaniæ Nova tom. 1. pag. 128. an Americæ, an alibi cunabula fuerit ſortitus nos latet, ſcientes Mexicanum Domicilio, ut minimum, fuiſſe, Parochumque in Diœceſi Tlaſcalenſi Oppidi de Teziuntlam, hominemque apud Angelopolitanos non flocci ductum, ut qui tot inter in frequentiſſimâ Urbe florentes litteris viros deſtinatus fuerit Scriptor haud inelegantis Opuſculi, quod materno conſcriptum idiomate, prælo commiſſum eſt hoc nomine:

Enarratio Deſcriptioque Regij Angelopolitani apud Novam Hiſpaniam Templi, ſeu Cathedralis. Angelopoli 1649. in quarto.

407 D. ANTONIUS TERAN DE LA TORRE, Mexicanus forſan Natione (nam de hâc, Patriâque nil compertum habemus) certè Domicilio, edidit numeris hiſpanicis, quos *Romance* dicimus vulgo,

Fauſtum regredientis in Sanctuarium ſuum ab Urbe Mexico Imaginis Virginis Deiparentis à Remedijs nuncupatæ, iter ſolenniſſimâ frequens pompâ. Mexici, ex Officina Viduæ Bernardi Calderon 1653. in quarto.

408 D. D. ANTONIUS DE TERREROS ET OCHOA, Natione juxtà Mexicanus & Patria, genitoribus editus nobiliſſimis, Magiſterij in Philoſophia gradum, dein Doctoralem Juriſprudentiæ pileum in Univerſitate noſtra, doctiſſimis ſuffragantibus Academicis, tenuit. Neç ſolùm theoreticis ad palæſtram ſpectantibus exercitationibus clarus, practicas etiam, quæ Forum concernunt, cauſas magna ſui exiſtimatione tractavit, ſive Patronum egerit, ſive apud Triumviros Criminalibus negotijs præpoſitos Relatorem, ſive demum Togatum Judicem; quamvis poſtremo huic incumbens muneri novercantem paſſus fuerit fortunam, invidorum, ut fit, calumnijs petitus. Plura inter, queis frui nobis indeſiderio hactenus eſt, Scripta ejus ad juris provinciam attinentia, numeramus typis datam materno ſermone

Allegationem pro ſui, conjugisque ad primigenia bona, Majoratum dicimus, jure. Mexici, typis Franciſ-

cisci de Ribera Calderón 1710. in folio. Habetur tom. 19 Collectionis Mendozianæ.

409 P. ANTONIUS TERREROS ET OCHOA, Natione Mexicanus & Patria, memorati proximè Doctoris ex legitimo thoro filius, præcoci donatus ingenio, & Latinis ac Philosophicis ornamentis laureâque Academicâ in tenerâ effulsit ætate. Mox ubi per annos licuit, Societati JESU se dedit, in qua majoribus ita studijs incubuit moribusque probatus evasit, quatuor ut religari votis meruerit, gradumque subinde præcipuum in Familia meritò reportaverit. Grammaticam postquam tradiderat, & Rhetoricam in Collegio Maximo Mexicano professus fuerat, Moderator institutus Cathedrę Philosophiæ, huic triennio auditoribus expendendæ incubuit, & alijs subinde professionis suæ ministerijs. Ejus extat in Libro hujus argumenti annua Opuscula complectente apud Bibliothecam Collegij Maximi,

Certamen poeticum pro Christi Jesu natali colendo, dato vatibus symbolo Agni. Anno Domini 1738. Scripsit etiam

Cursum Philosophicum, cujus exēplaria multa sint apud discipulos ejus oportet.

410 F. ANTONIUS DE TORIZES ET CANO, Natione Mexicanus, Mexici editus est præclaris nobilitate stirpis Parentibus. Instituta S. Francisci in Provincia S. Evangelij professus à juventute, claros inter Magistros accenseri meritò debet, Exactis pro Philosophiâ & Theologiâ tradendâ quindecim, ut minimum, annis, Lector Emeritus, Studijs suorum & multis præfuit familiæ Cœnobijs. Visitatoris munere in Zacatecanorum Provinciam Ordinis sui dimissus, Comitijs ejus Præses adfuit, cæteraque officij exactè peregit: quo etiam titulo apud Provinciam Guadalaxarensem seu de Xalisco, pro qua lustrada destinatus fuerat ab admodum R. P. Commissario Generali novæ Hispaniæ, ritè perfunctus est. Terræ S. Commissarius & ipse, ut dicitur, institutus, pientissimo muneri strenuam ex animo operam posuit, qua oblatas à Fidelibus eleemosynas pro sacrorum Palestinæ locorum cultu, in Assertoris nostri Jesu gloriam & custodiri & collocari opportunè curavit. A Quæsitoribus Fidei Censoribus Theologis fuit adscriptus. Doctrinæ, qua pollebat, egregię, mores religioso dignos viro sociavit, his ad senectam usque intentus, quæ Sodalium etiam eruditioni in familiari consuetudine profutura erant, & pietati omnique virtute fovendæ, cùm in se, tum in extraneis quoque, quibus aderat in salutis negotio ducendis. Captus luminibus alijsque ęgritudinis vexatus molestijs, quæ patienti animo devorabat, ad extre-

num

num ſacris procuratus exceſſit die 5 Aprilis anno 1749. Scripſit

Philoſophiæ Curſum ad mentem ſubtiliſſimi Doctoris Scoti.

Tractatus ad Scholaſticam ſpectantes Theologiam, quorum titulos reticemus, quòd legere Codices non licuerit, nec aliunde venari. Extabunt apud Sodales Mss. Ut & multæ, quas habuit, Conciones, è quibus quas ſcimus aliquot implendis tomis ſufficiunt.

411 M. FR. ANTONIUS DE TORRES, Natione Mexicanus, apud Goaxacenſes ortus in Provincia dicta Miſteca alta, Oppido autem Tepoſcolula, Ordinis Prædicatorum Inſtituta percupiens, ejuſdem habitu in magno Antequerenſi Conventu donatus, ſolennem emiſſit Profeſſionem 6. Januarij 1679. Emenſis ſtudiorum curriculis, eos in Philoſophiâ & Theologiâ retulit fructus, quibus dignum ſe præſtitit, ut procedente tempore, & Sacerdos effectus, doctos inter Sodales ſcholaſtico facto concurſu pro Artium regendâ Cathedrâ, huic victor ipſe fuerit præfectus. Ubi curſum auſpicatò peregerat Philoſophiæ, ſacræ doctrinæ tradendæ applicitus, Magiſterij tandem lauream ſuopte jure promeruit & tenuit. Eccleſiaſtico natus ſuggeſtui, quòd eruditione multa & voce ad dicendum ſonora, plena, inſimulque ſuavi præditus eſſet, cui pronunciationem ſociabat optimam, opportunamque gravitatem; Eccleſiaſtem egit inſignem & concionibus ſpectabilem. A Provinciâ ſuâ Procurator Generalis in Hiſpaniæ Curiam dimiſſus, & pro Romana Deffinitor itidem inſtitutus, æquori ſe commiſſit anno 1707 tandiuque conſtitit Mantuæ Carpentanorum expediendis traditis ſibi rebus, quo uſque Bononiam quærere opus ei fuit anno Jubilei 1725 indictis ibidem Ordinis Comitijs pro ſufficiendo Generali Magiſtro, nuper Romanâ Purpurà conveſtito ſpectatiſſimo viro P. Auguſtino Pipia. Provinciæ ſuæ nomine interfuit ampliſſimo Conſeſſui cum jure ſuffragij, electumque undique inſignem virum P. Thomam Ripoll ſequutus eſt Romam, unde miſſis ad Goaxacenſes ſuos, Reliquijs ſacris alijsque religioſis cimelijs, egregium quòd Antequeræ in Primario Dominicanorum Cœnobio nitet Sacellum Virginis Matris ſub titulo Roſarij Deo nuncupatum, ornatius longe reddidit atque pulchrius. Ut verò quod auguſta famoſiſſimum eſt ſtructura, picturis, multisque ornamentis perrarum, venuſtate quoque Virginei Simulacri emineret, curis ſuis in Urbe Magiſtri Generalis adjici umbram & favorem ſategit, ut operâ egregij nominis apud Italos ſculptoris Imago Deiparentis tam pulchra ad ſtuporemque elaborata prodiret, quam quæ maxime; atque ea in præſentiarum Goaxacen-

censes potiuntur. Levatus, quæ ipsum Romæ vexaverat, ęgritudine, Matritum se restituit auctum honoribus, quos, postulante Provinciâ suâ, Generalis Magister in eum contulerat, Patris scilicet, perinde quasi Provincialis munere functus fuisset. Porrò, majores, quibus dignum se præstiterat, titulos mors intercepit, quæ ipsum occupavit Matriti anno 1728. Ex his, quas publici juris fecit Orationibus sacris hispano sermone, duas â novis visas subnectimus. Alteram

De SS. Parentibus Francisco & Dominico charitate sociatis, ceu duobus Ecclesiæ labijs. Angelopoli, apud Didacum Fernandez de Leon 1695. in quarto. Alteram

De Gloriosissimo Ecclesiæ Doctore Angeloque Scholarum Divo Thoma Aquinate, Inclytæ Societati JESU nuncupatam, quòd nullum non elogium, è multis quæ Oratio ipsa complectitur, à Doctoribus Jesuitis S. Thomam deprædicantibus firmatum habeatur, qui sanè Primaria Familiæ suæ lumina Eximium Suarez, Molinam, Valentiam, Vasquez aliaque imitati magna nomina, vel illustribus Angelici Summam cõmetarijs adornarunt egregiè, vel ejusdem acta immortalibus extulere præconijs. Angelopoli, Formis Joannis de Villareal 1695. in quarto. Extat t. 105. Coll. nostræ.

His annectenda veniunt inedita, scilicet, quem auditoribus suis è Cathedra dictavit.

Philosophiæ Cursum ad S. Thomæ mentem elaboratum: Itemque Theologicos varios Tractatus, quorum ideo titulos reticemus, quòd ipsorum ad nos indicem omiserint, qui gesta Viri aliorumque humanissimè nobiscum communicarunt.

412 F. Antonius a Trinitate, Natione, nisi fallimur, Mexicanus, forteque Patria, Ordinis S. Francisci in Provinciâ S. Evangelij Mexicana alumnus nequaquam obscurus, Concionator fuit cum primis insignis, cujus subinde elogia minimè vulgaria Censutæ suæ vir emunctæ naris, oratoriæque facultatis nemini sua ætate in America nostra secundus, D. Petrus de Avendaño lubens inseruit. Noster ingenij sui & eruditionis monumenta reliquit edita idiomate hispano sequentia.

Concionem de Seraphico Parente Francisco. Mexici, typis D. Mariæ de Benavides 1687. in quarto. Habetur tom. 74. collectarum à nobis.

Concionem habitam in Dedicatione Templi S. Michaelis de Chapultepec. Mexici, ex Typographia Viduę Bernardi Calderon 1688. in quarto. Extat inter collectas à Canonico Guadalupense Doctore Sopeña.

Concionem de Immaculata Deiparentis Virginis Conceptione ad Mexicanos Doctores dicta. Mexici, formis

mis D. Mariæ de Benavides 1691. in quarto. Habetur t. 75. Collectionis noſtræ.

Hujus, quam poſtremò retulimus, Orationis meminit F. Joannes à S. Antonio in Bibliothecâ Franciſcanâ tom. 1. pag. 133. dubius hærens an ipſa Antonij à Trinitate Luſitanæ Provinciæ S. Thomæ apud Orientis Indos fœtus ſit, an alterius eodem nomine donati & cognomine. Duos tamen Authores hos fuiſſe tam inter ſe diſſitos quantum Ortus ab Occidente diſtat, in ancipiti deinceps non erit, quòd & ſemiſeculo fere Luſitani Panegyris, quam ibidem recenſet Joannes à S. Antonio, Mexicani concionem præceſſerit; & Noſtrum alteras nunquam Indias aſpexiſſe compertum habeamus.

413 D. ANTONIUS DE TOVAR MOCTEZUMA, Natione Mexicanus, an Patria etiam neſcimus, Præſbyter Secularis, Cathedram pro Mexicanâ Linguâ docendâ in Univerſitate noſtrâ tenuit anno 1662. periculo facto cum ſtrenuis ejuſdem Idiomatis profeſſoribus, tradiditque è ſuggeſtu

Grammaticam Mexicanam.

Ejus memor eſt Plaza in Chronic. Academicis lib. 5. cap. 3. n. 52.

414 M. F. ANTONIUS VALDES, Natione, ut credimus, Mexicanus, Goatemalenſis Patria, Regij & Militaris Ordinis Beatiſſimæ Virginis Mercedenſis in Provincia quæ Goathemalæ jam pridem floret multa cum laude, Magiſterij decoratus infulâ, ſuperiori proximè vixit ſeculo, circum annum viceſſimum octavum ejuſdem, ſcripſit

Tractatum de Divina Trinitate.

Tractatum de Electione:

Quos in Bibliothecâ Primarij ejuſdem Familiæ Cœnobij aſſervari teſtes ſunt qui regionis illius monumenta litteraria epiſtolis nobis expoſuere Amici veritate juxtà & eruditione præclari.

415 F. ANTONIUS DE VALDIVIA, Natione Mexicanus, Angelopoli ortus, Urbe Clariſſima, Obſervantibus Franciſcanis Provinciæ S. Evangelij religioſis ſe junxit votis, apprimèque litteris inſtitutus, primas in dicendo partes quandoque tenuit in patrio Conventu præcipuo, cujus extat facundiæ partus ſacræ,

Concio in Publicatione Bullæ S. Cruciatæ Angelopoli dicta, ibidemque impreſſa typis Didaci Fernandez de Leon 1692. in quarto. Extat tom. 100. Coll. noſt.

Meminit ejus, errato, ut facile in his collectionibus accidit, nomine, interque Bernardos adſcripto P. Joannes à S. Antonio in Bibliothecâ Franciſcanâ tom. 1. pag. 220.

416 D. ANTONIUS VALERIANUS, Natione Mexicanus, incunabula ſortitus eſt apud Azcapuzalcum, Urbem quondam omnium noſtræ Americæ celeberrimam, tandiuque Primam, quandiu vagientes, qui nuper

Mexicum innatantem ampliſſimo lacu condiderant hoſpites, Navatlacas dicimus, ab Aquilone ante 80 annos egreſſi, adoleſcere cœperunt, roboreque tanto & viribus ſuperbire, ut circum vallantes Mexicanam Paludem Reges, multo ſingulos milite, commeatu, & opibus potentiſſimos, repetito bello confregerint ſubjugaverintque, atque ab hoc etiam tributa obſequiaque plurima habuerint Azcapuzalcano Monarcha, cui non ita pridem ſimilia ipſi penderant. Parentibus Noſter uſus eſt Indis Imperatorum Mexicanenſium ſanguine rubeſcentibus, qui ſubinde ſtirpe, avitisque imaginibus nulli conceſſerint, uti ſuis inſeruere Libris noſtrates, potiſſimum Bezerra Tanco & Adame locis inferius adducendis à nobis. Eo natus eſt tempore, quo primùm r.s non modò Chriſtiana, ſed verò etiam politica & litteraria altius radices agere Mexici incœperat, ſilentibus videlicet Martis littuis & Bellonæ fragoribus, queis Minervæ & Mercurij citharæ ſuaviſſimique cantus ſucceſſerant.

417 Inſonuere primùm in ea Urbis parte, quæ Tlatelolco audit, erecto ibi Collegio, quod à S. Cruce nomen habuit illuſtre, in quo ſub egregijs è Franciſcanorum Ordine Magiſtris, nec eruditione minus quàm probitate claris, litteris inſtituti ſunt Indi plures, cùm in Latinitate & Rhetoricâ Muſicâque, tum etiam in Philoſophiâ. Hujuſce Muſæi Author habetur ampliſſimus vir, Americæ bono natus, cujus extant immortalis monumenta nominis plurima, Mexicanus Pro-Rex D. Antonius de Mendoza, qui proprijs illud ſumptibus condidit, cujusque in officio ſucceſſor, multis & ipſe de Patria benemeritus noſtrâ, D. Ludovicus de Velaſco, hujus nominis primus, ruſticis prędijs quæ Collegio Fundator attribuerat pro dote, ducentos annuatim perſolvendos aureos adjecit Caroli V. juſſu Cæſaris, reditusque alios ad tempus, de quibus Vaſcus à Puga in Schedulario ſuo fol. 187, ut meritò Imperiale audierit Athenæum illud, quod Imperatoris aurâ blandiente, cùm Nobilium Indorum & Toparcharum inſtitutioni, tum etiam Imperiali inſignium ſemine, fauſtis deſtinatum avibus fuerat.

418 Hos inter Valerianus noſter, ſecundus nulli, decoratus trabeâ, ornamento & Nationi & Collegio & Americæ fuit haud quaquam vulgari. Tria ita calluit idiomata, Mexicanum, Hiſpanum, Latinum, multas ut inde laudes à graviſſimis Viris retulerit. Nam, quòd ad maternum ſpectat, diſcipulum nactus eſt Magiſtrum doctiſſimum F. Joannem de Torquemada, uti is ipſe fatetur, gloriæ ducens, Valeriano noſtro quidquid facundiæ & eruditionis habuit Mexicezæ (habuit verò prægrandes ea in parte

te gazas Crœsus certè noster & Midas) in acceptis referre, à quo nimirum & loquendi scribendique Mexicanè peritiam hauserit, &, quæ negotium facesserat, OEdipumque requirebat, Scientiam Annalium Monumentorumque gentis cœterorum, quæ caracteribus inscripta & imaginibus multo prisca ingenio facta referentibus, egregio ipsi fuere usui pro Indicâ sua Monarchiâ condendâ. Profecisse item se multum à Nostro, grata animi significatione testatur Fr. Joannes Baptista Mexicanus, Magister & ipse Clarissimi P. Torquemada in Philosophiâ Theologiâque, gestis unà ac libris editis cum primis eximius, Valerianum in arduis consulens, & potissimum in ethimologia nominum significationeque ad Sacra facientium, ut de his Mexicano sermone multa conscriberet perutilia, quæ hodieque à Parochis cœterisque Ministris in pretio habentur.

419 Hispano autem sermone clarum etiam fuisse Nostrum monitos voluit posteros Bezerra Tanco (qui multis erat dives Linguis Occidentis nostri Orientisque, & veterum Historijs Mexicanorum, si quis ullus, scientissimus) Latini porrò gloriâ sermonis tantâ Valerianus inclaruit, quantam Historiographi ejus extollunt, non veriti latinioribus ipsum & elegantioribus comparare, extempore etiam loquentem, & in ultimâ senectute, quod jure miratus Fr. Joannes Baptista in Prooemio mox indicandi libri præmonuit. Rhetorices peritissimus quoque collatitiâ suffragatione ab his qui ejus indicarunt acta, appellatur; nec minoris faciendum in Logicis & Philosophicis controversijs ijdem compertum habent. Sanè, eximios ejus in litteris progressus conjectare fas est, quòd à Collegij moderatoribus, sodalium constitutus fuerit Magister, quorum Latinitate & Rhetoricâ imbuendorum curam suscepit, egregijs, à quibus ipse fuerat doctus, Magistris in Cathedra suffectus. Adhæc, prudentiâ cœterisque ad negotia peragendum conspicuus dotibus, multi à Pro-Regibus, Principibus viris, & gravissimis omnibus factus, ipsum quoque Catholicum Regem æstimatorem meruit, cujus dignatus Epistolâ fuit honoris adversus ipsum plenâ.

420 Cum autem, jam indè ab Hispanici in America Imperij exordio prudentissimè cautum fuerit, ut prȩter supremos Magistratus & Judices dicendo Hispanis destinatos & Indis juri, pro ijs postremis Ordinarij gentilesque eligerentur Prȩtores, Mexici quidem duo, quorum alter ei Urbis parti, quæ Tenuchtitlan dicitur, ei alter provideret, quæ Tlatelolco audit; Noster primæ quam nominavimus præfectus regioni totos 35 annos, seu, quod alij scribunt, 40 invigilavit,

vit, æqui juſtique tenax, à Chriſtianis moribus & regendi commendatus ſtrenuitate. Demum anno 1605 Menſe Auguſti, ipſi in extremis aſſiſtente ſuo quondam Diſcipulo Patreque dilectiſſimo Torquemada, è vivis exceſſit, elatusque fuit, multâ Hiſpanorum & Indorum frequentiâ, in Parochiam antiquitate celebrem à S. Joſepho nuncupatam, intra primarij ſæpta Franciſcanorum Monaſterij locatam, funus mœſtiſſimè proſequentibus Collegij à S. Cruce Imperialis alumnis, ſuis quondam Sodalibus, Religioſisque Patribus ſuccolantibus, atque cœteris ejuſdem Familiæ comitantibus, ut inclyto ſuprema tanti viri, ab ipſis educati inſtitutique litteris & virtutibus, clauderentur honore. Morti proximus Torquemadæ ſuo amicitię veteris pignora, quæ utrique cordi erant, Mss à ſe olim elucubrata, dono dedit, Latino altera ſermone, altera Mexicano, ex his quæ verterat auſpicatò. Hæc inter (alijs obvolutis ſilentio) ipſe Torquemada multis effert laudibus

Catonem Mexicanè redditum:

Quem typis committendum pollicetur lib. 5. cap. 43; an verò promiſis ſteterit, vel morte aliove caſu exſolvere ea potis haud fuerit, ignoramus, nec aliquando librum hunc vidimus.

Betancurtius Author eſt ipſum Torquemadam ſequutus, Valerianum,

Multas varij argumenti fecïſſe Verſiones Mexicanas,

Quas enucleatius panderent ipſi, nobis eſt in optatis.

Fr. Joannes Baptiſta memorat ...ares.

Epiſtolas latino ſermone conſcriptas.

Unam verò, è pluribus ad ſe miſſis, quòd poſtrema ſenis optimi fuerit, in ſpecimen affert, quam & nos libenter tranſcriptam Lectoribus noſtris non invidemus. Ita porro habet.

Hic litterarum gerulus ad veſtram Paternitatem portat, id quod mihi traducendum juſiſti. Neſcio profectò an in traductione ejus ſim felix. Multa quippe in eo ſunt prægnantia; ut neſciam in quem ſenſum meliorem verti debeant. Si quid eſt erratum parcas obſecro: & tuam gravem cenſuram adhibeas: & his litteris tam malè formatis ſimul & ignoſcas: illituræ enim videntur potius quam litteræ. Nec mirum veſtræ Paternitati videatur: manus namque jam vacillant: oculi caligant, & aures occluſæ. Iterum atque iterum parcas. Deus Optimus Maximus longævam tuæ Paternitati vitam concedat. De Mexico. Tui amantiſſimus, & ſi indignus. Antonius Valerianus. Hęc ille.

Auream plenè coronidem Scriptis Valeriani Noſtri imponamus, vindicantes ipſi editam Mexici anno 1649. idiomate Mexicano

Narrationem de pictâ per miraculum Virginis Deiparentis Imagine Guadalupiâ Mixiceâ, ante duo ſecula

cula coram V. D. D. Fr. Joanne Zumarraga, Episcopo Mexicano, è floribus hyberno collectis tempore in arido colle Tepeyacac vulgo à gentilibus nuncupato.

Vindicamus autem aureum Valeriano nostro Opusculum istud, vestigia legentes Critici Historiographi eruditissimi nostri D. Caroli de Siguenza, in Opere suo, *Heroica D. Ferdinandi Cortezij pietas*, inscripto, in cujus c. 10. n. 114. juratus testatur, ab se inventam Relationem istam inter Mss D. Ferdinandi de Alva, Indi nobilissimi insimul ac eruditissimi: Authographumque Mexicano scriptum idiomate esse proprio (noverat enim Carolus antiquissima gentis & minutissima) D. Antonij Valeriani caractere, quem ejusdem Authorem Scripti pleno ore pronunciat, additis non nullis à Deigenitrice patratis miraculis, operâ & litteris memorati mox Ferdinandi. Siguenzam hac in parte sequutus est D. Caietanus de Cabrera in erudito tomo suo in folio, *Stemma Mexiceum*, seu de Mexicana Guadalupia Deiparentis Imagine pag. 334. n. 663. quamquam in hoc refragatus Carolo eidem sit, quod Valerianum Versionis Authorem Mexicanę in confesso habeat, existimet tamen Narrationem ipsam hispano primum scriptam sermone ab Authore hispano, de quo multa numeris sequentibus explicat. Nos hęc in medio relinquimus, institutoque nostro insistentes, addimus, hoc item opus Valeriano vindicasse D. Laurentium Boturini in Catalogo Musæi historici Indici § 35 n. 5. fassum se à Caroli de Siguenza Fragmentis Historicis mentem hanc imbibisse. Nec sanè vanus in hoc augur est visus Boturini, quod suspicetur Enarrationem hancce eam ipsam esse, quam Baccalaureus Ludovicus Lasso de la Vega Sanctuarij Vicarius Guadalupensis publici Juris fecit, tacito tamen Antonij nostri nomine. Rarissimum inventu Codicem possidemus unà cum alijs compaginatum tom. 101 Collect. nostræ.

Porrò non abs re judicamus indiculum contexere Authorum qui cum laude Valeriani nostri memorias posteris tradidere. Sunt illi quidem, Torquemada in Monarchia Indica tom. 1 lib. 5. cap. 10. pag. 607. Editionis Madritanæ 1723. & tom. 3. lib. 15 cap. 43. pag. 114 & 115. F. Joannes Baptista in Procemio ad primam partem Sermonum Mexicano idiomate conscriptorum, Editionis Mexiceæ anni 1606 in quo Procemio Indorum eruditione florentium sillabum texit qui sibi pro immortali elucubrando Opere adjumento fuerant, è quibus Noster nulli secundus. Ludovicus de Bezerra Tanco in Miraculosa Guadalupensis Sanctuarij Origine fol. 14 col. 2. Editionis Mexiceæ de

1666. Et fol. 17 col. 1. Editionis item Mexiceæ de 1675. Matritanæ autem splendissimæ de 1745. pag. 95 & 60. Betancurtius in Theatro Mexicano tom. 4. in de Illustribus Viris Appendice post Menologium pag. 141. Siguenza memorato nuper Opere & loco. Adame & Arriaga in Imperiali Mexicana Universitate illustrata pag. 546 n. 2157. Cabrera & Boturini indicatis mox sedibus. Epitome Bibliothecæ Occidentalis Antonij de Leon Pinelo, novissimæ & additæ Editionis Matritensis de 1738 tom. 2. col. 729.

421 P. ANTONIUS DE VALTIERRA, Natione Mexicanus, apud Chiapenses ortus è præclara familia (cui Societas JESU acceptum refert Collegium Chiapense) litteris ipse illustris & moribus, germanos sortitus est Fratres minimè absimiles Ferdinandum & Emmanuelem, eidem cum ipso Societati JESU nuncupati militiæ, quatuorque terni ipsi votorum Professione conspicui. Noster (nam alios ad suas reservamus sedes) ingenio peræquè insignis & eruditione, sive amœniores litteras spectemus, sive de gravioribus disciplinis loquamur, Philosophiâ scilicet, & qua porrigitur latè, Theologiâ; pro eis in publicis Gymnasijs tradendis Præceptor institutus est, Grammaticæ primùm & Rhetoricæ, mox Philosophiæ etiam atque Theologiæ. Oratoriæ sacræ, cæterisque Apostolici muneribus Instituti multis annis incubuit, à magnis & sapientibus viris multi habitus, deque arduis ad mores & jura attinentibus sæpe consultus. Edidit à se dictam materno sermone

Panegyrim eucharisticam pro relatis à Catholico Rege nostro Philippo V Triumphis. Mexici, apud Viduam Michaelis de Ribera, 1707. in quarto. Extat tom. 98 Collect. nostræ.

E Mss. vidimus ad SS. AA. Petri & Pauli Maximum in Libris huic destinatis instituto, habitum à se anno 1695

Certamen Poeticum ad Pueri JESU natalem festivè pangendum, Diei metaphorâ orientis in scopum assumptâ.

Cursum Philosophiæ,

Quem è suggestu aperuit Discipulis, horum in scrinijs fuisse non dubitamus, quamvis hactenus nos effugerit, non secus ac Tractatus Theologici, quibus pro inde indicandis nomina nos destituunt. Quòdque sciamus Conciones, Consulta, aliàque Opuscula composita ab ipso, quæ autem sint illa & ubi ignoremus; illa tantùm insinuasse sufficiat.

422 D. ANTONIUS VAZQUEZ SALGADO, Natione Mexicanus, propè Antequeram apud Goaxacenses clara natus stirpe, à prima ætate studiorum honestissimis deditus exercitationibus, progressus fecit in Latinitate, Poe-

Poetica & Rhetorica minimè pœnitendos, flores, etiam in provectâ maturâque ętate, pulcherrimos editurus, quos jure fructus dixeris honoris item & honestatis. Hanc porrò amplexatus à teneris, virtutum prosequutus officijs, dignus inventus est, qui studiosæ juventuti tandem aliquando regendę præficeretur & instituendę. Nam quòd amœnioribus nedum litteris optimè excultus fuerit, sed Philosophiâ itidem & Theologiam haud perfunctorio labore coluerit, & Mexici Academicas in Universitate nostra laureas demessuit, & Antequeræ Palæstritam agit etiamnum. Postquam enim à Clarissimo Ecclesiæ Goaxacensis Capitulo, sacris theoriâ praxique Ceremonijs edocendis institutus fuerat Magister, ut qui Ecclesiasticorum scientiâ Rituum eximiè polleat, & quæ sunt illa plurima & minutissima, plurisque pro Divinorum obsequio & decore facienda, calleat curetque religiosè; Illmi. à S. Bartholomæo nuncupati Collegij Rectoris obire munus jussus est, cui invigilat hactenus. Historiam Ecclesiasticam, antiquos Ecclesiæ Patres, priscam Disciplinam in delicijs habet, in quibus egregiè versatus, sacrâ item usus & sobriâ Criticâ, hùc etiam collimantia lucubravit Opuscula. In primis autem, Libris Doctoris Angelici evolvendis & enucleandis indefessus incubuit supra 40 annos, abundantem & auream Theologicæ & omnigenæ eruditionis messem inde sibi colligens, multisque communicans. Adhæc, Synodalis Examinator ab Diœcesis Præsule constitutus, strenuam huic pariter oneri navat operam, Conciones interea, aliaque Dei honorem attinentia Proximorumque salutem, ut Præsbyterum decet egregiè moratum, non prætermittens; subinde non apud gentiles tantùm suos cum primis æstimatus, sed Mexici etiam à gravissimis viris cultus magnique habitus. Edidit latino sermone, heroicis descriptam carminibus mille septingentis

Vitam S. Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum Illmô. ac Rmô. D. M. D. F. Angelo Maldonado Goaxacensi Episcopo nuncupatam. Mexici, ex Typographia Plantiniána Joannis Francisci de Ortega & Bonilla 1722. in quarto.

Hispano autē idiomate publicavit Librum in 8. historicâ locupletem eruditione insimul ac pietate, cui nomen dedit:

Chronologica & historica meditatio sacra de Inclyta Imperiali & Regia Austriæ stirpe à Deo in Catholicæ defensionem Ecclesiæ adversus Othomanam familiam data. Angelopoli, apud Viduam Michaelis de Ortega 1728. in octavo.

Adhæc Mss servantur in Bibliotheca memorati supra Collegij S. Bartholomei tomi duo in quarto, alter Latinis Opusculis con-

constans, alter Hispanis. Opuscula porrò Romano sermone in primo descripta tomo sunt tria, queis ad Scholasticam juxtà & Criticam lancem trahūtur quæsita sequentia. Primum: *Utrùm de facto hæc sit bona illatio: Beatissima Maria est gratia plena: Ergo immunis à peccato originali?* Secundum ab Authoribus penè omissum: *Utrum Sacerdos indignè celebrans sacrosanctum Missæ Sacrificium, præter sacrilegium duplex, committat speciale peccatum contra Sacri Concilij Tridentini præceptum præmittendæ confessionis?* Tertium pro dignitate & enucleatius quam à Doctoribus agitari solet, *Utrum Subdiaconus & Diaconus indignè solenniter ministrantes pecent mortaliter?*

Hispana autem Opuscula ad t. 2. spectantia, sunt item tria. 1 *Elogia Angelici Doctoris brevia & acumine plena complectitur.* 2 hoc titulo insignitur: *Apologia pro libris S. Dionysij Areopagitæ nomine hodiedum notis, ipsi, ceu legitimo Authori criticè vindicatis adversus admodum R. P. M. F. Hyacinthum Amat de Graveson sacri Præd. Ord. Doctorem Parisinum, ad Casanatense Romæ Collegium Professorem eruditissimum.* 3 hoc nomine: *Apologia amandandi ergo inter abusus illorum morem, qui, Sacerdote ad aras faciente, sacrâque Hostiâ Cruce signationes desuper Calicem efformante, tintinabula pulsant.*

Nec præterunda duximus Mss alia, quæ penes nos extant tomo Collectionis nostræ in quarto, ordine 46. Romano sermone

Ad divinam & plenè cœlestem Deigenitricem Mariam adprecatio. Hoc est, *Elogia* numine juxtà & amore adversus Deiparentem Virginem exundantia.

Panegyrica Oratio in D. Bartholomæi laudem ab Authoris discipulo pridie festi ejusdem in Collegio suo anno 1741 recitata.

Panegyrica altera Oratio ejusdem argumenti anno 1747 ibidem ab studioso juvene dicta.

423 F. ANTONIUS VEREO, Natione Mexicanus, forsanque Patria, Professione Franciscanus, Provinciæ S. Evangelij alumnus Concionatorq; non obscurus, Recollectis ejusdem Familię adscribi statim à tyrocinio voluit, austerioris & secretioris cupidus vitæ, quā virtutes excolens simul ac litteras religiosè traduxit. Pietate adversus Dei Matrem çùm esset insigni, juvandorumque zelo Proximorum arderet, his ut prodesset, inserviretque Immaculatæ Virgini Deiparenti, collectos è libris V M. Mariæ à JESU de Agreda flores pulcherrimos edidit materno sermone & hocce titulo:

Hilaris Aurora felicis diei gratiæ Deiparentis Mariæ: Epitome Librorum Mysticæ Civitatis Dei: Mensis vitæ. Mexici, ex Calcographia Josephi Bernardi de Hogal 1727. Et iterum eisdem typis 1730. tom. 2. in octavo. tom. 1. pp. constat 488. tom. 2. à 489.

489 exorſus ad uſque 769. pp. procedit.

In his Lector habet libellis ad compendium redactos Agredianos tres nobiliſſimos. Quòd autē Opus eà diſpoſitum methodo ſit, ut Lectiones pro ſingulis menſis diebus pias offerat, id circo Menſis vitæ inſcriptus eſt etiam. Ad calcem habentur opportunè in Opus remiſſiones pro Lectionibus diebus aptandis Chriſti Domini & Puriſſimæ ejuſdem Matris ſingulari cultu & religione præclaris; ac demum poſt numeratas pp. Exercitia adjiciuntur in ſolennioribus feſtis agenda.

Authoris meminit Bibliotheca Franciſcana tom. 1. p. 134.

424 P. ANTONIUS VIDAL DE FIGUEROA, Natione Mexicanus & Patria, genus duxit è Familia præclara, cognatosq́ ſortitus virtute juxtâ litterisque inſignes D. Joſephum de Vidal Eccleſiæ Mexicanæ Scholaſticum, & Academicum Cancelarium, & P. Joſephum de Vidal, Societatis JESU Theologum ſpectabilem; piè non minus quam liberaliter efformatus ab ipſis, Magiſtros in Philoſophiâ & Theologiâ audivit egregios donec utriuſque laureas facultatis demeſſuit. Sacris initiatus, & propriæ cupidus perfectionis, tum etiam ſalutis Proximorum, Congregationi Oratorij ſe adjunxit, in qua, & inſtituta cætera, & confeſſiones excipiēdi,ac verbum Dei familiaribus nuntiandi concionibus munera obivit. Suburbia, quadrageſimæ tempore, Sodalibus comitatus petebat, Chriſtianę rudimenta doctrinę monitaque daturus Apoſtolica pauperibus illis, ęgrè qui adire Civitatem pro his poſſent, & quam ab Jeſuita agnato ſuo, Miſſionibus, ut dicimus, peragendis inſigni, prędicandi acceperat methodum,non abſque audientium fructu plurium tenebat. Erga Deiparentem in Paſſione Filij dolentiſſimam plurima ferebatur pietate, qua itidem, pręter Cœlites alios, ardebat in Parentem S. Philippum Nerium, & in B. Philippum à Jeſu, Mexicanum Martyrio illuſtrem, cujus ut acta paucis digereret, cultumque inter gentiles ſuos pręſertim augeret, Novendiale Libellum edidit in 8 anno 1712. Scripſit, non tamen publicavit, quam non ſemel ante 40 annos vidimus, hiſpano ſermone

Vitam V. P. Doctoris Joannis de la Pedroza, Congregationis Oratorij Mexicanæ Presbyteri. Mss in quarto.

Quo autem in præſenti ſit ſcrinio nos latet, poſtquam ad plures abijt D. D. Michael de Zetina, Primariæ Mexiceæ Parochiæ Præfectus, qui hunc cum alijs noſtri ſchedis, multisque avunculorum Mss mortis cauſâ Antonij ſuſceperat.

425 D. ANTONIUS DE VILLASEÑOR ET MONROY, Natione Mexicanus, Patria Zultepequen-

quensis, famosis majorum stemmatibus admodum clarus, illustrior litteris & moribus fuit. Regij Mexicani Collegij à Christo Domino nuncupati, juvenis trabeam induit, & postquam humaniores litteras excoluerat, Philosophiæ se dedit hauriendæ è Gymnasijs Societatis JESU & Academiæ, moxque sedulam utrique Juri operam dedit, atque Doctoralem Civilis lauream & Abulæ agud Hispanos reportavit & Mexici, ubi ad nos remeavit, Canonicatu potiturus in Ecclesiâ Mexiceâ, cui destinatus à Catholico Rege fuit, cùm ejusdem permoto studijs & gestis, tum etiam meritis Clarissimi avúculi Illmi. atque Excmi. D. M. D. Fr. Antonij de Monroy, è Magistro Generali Sacri Ordinis Prædicatorum Archiepiscopi Compostellani. Hinc gradatim Ecclesiasticas alias Dignitates in eâdem Metropolitanâ Mexiceâ tenuit ad usque Decanatum, quibus strenuè functus muneribus, alijs etiam amplissimis claruit pro ejus & in dicendo jure peritiâ, & in pertractandis negotijs solertiâ. Vicarium Generalem Archiepiscopatus plus quinquennio egit, Judicemque Testamentorum & Piarum Causarum, nec non Seminarij Collegij Visitatorem. Apud S. Inquisitionis Tribunal Ordinarius fuit institutus ab omnibus Novæ Hispaniæ Pontificibus, ijsque etiam qui Americæ nostræ Insulis & Philippinis præerant Episcopis. In Academia nostra ad clavum sedit, & in Sancti Petri Congregatione Abbatis vice.

426 Regij & Apostolici Tribunalis S.CruciatæCommissarij Subdelegati 22 annis, tám exactè partes implevit in America nostra Septentrionali, ut easdé curas pro Meridionali accepturus fuisset, nisi Illmô. obstitisset viro hæc cogitanti D. D. D. Antonio Ramirez de la Piscina, Commissario Generali, & Consilij Cruciatæ Præsidi, quem multis etiam exoravit, ne, ut decreverat, apud Catholicum Regem nostrum Philippum V ageret pro ejus in Novæ Cantabriæ Episcopatú electione, egregijs calamo expressis meritis, quibus spectabilem se ad infulas sacras præstiterat. His porro subductus, atque Emeritus renunciatus in Cruciatæ, quod gesserat, ministerio, Ecclesiæ inservire, ut consueverat, & Deo multa religione perrexit. Divinum cultum studiosè promovit, cùm ornato JESU Crucifixi Sacello in Ædibus Metropolitanis, institutoque pro die S. Antonij Patavini anniversario festo, tumetiam alibi datis multis pietatis signis. Orationi non modò publicæ in choro devotè operam dabat & inter familiares, quibus præibat Deiparentem Rosario salutantibus, verùm stato matutino tempore sacris vacans meditationibus. Adhæc jejunia, & alias carnis macerationes adji-

jiciebat, asceticorum lectionem librorum, aliarumque exercitia virtutum. Proximis juvandis intétus, quamvis gravibus teneretur negotijs gerendis, multorum cófessiones excipiebat. Pauperes in Xenodochijs sublevabat, & per hebdomadam accurentibus auxilio erat, ac quotidie mendicantibus, sæpeque ipsum convenientibus opitulabatur, in primis autem occlusis Virginibus stipem apparabat, fœminisque alijs, ne hinc inde vagantes offenderent. Tandem, febri correptus, Sacramentis devotissimè pręmunitus, multaque confortatus spe patrocinij Deigenitricis, quam eximio prosecutus fuerat amore, cuique sub titulo de Spe aram in Ecclesia sua erexerat, ad plures abijt, atque ejus funus actum fuit gravissimâ pompâ, præ qua tamen ipse in ultimis tabulis, ut fuerat pauperum amantissimus, duodecim pergere constituerat. Scripsit, ut ab antiquis Ecclesiæ nostrę socijs accepimus, hispano sermone

Constitutiones Collegij ab Assumptâ Deiparâ & SS. Josepho nuncupati, pro educandis Infantibus qui Choro inserviunt Metropolitanæ Ecclesiæ Mexiceæ instituti. Mexici, prælo D. Mariæ de Ribera 1734. in quarto. Quibus designati à Capitulo Socij unà cum ipso subscripsere.

427 F. ANTONIUS VIRUES, cui lustricum nomen Ferdinandus, Natione Mexicanus, apud Novæ Cantabriæ principem Urbem Durangum ortus, statim à primis annis virtutes excolere cœpit & litteras, quas deinceps in Scholis Mexicanensibus mirum in modum auxit Philosophiâ imbutus atque Theologiâ, cujus decoratus fuit laureis, postquam mirantibus Doctoribus theses multoties publicas substinuerat. Anno ætatis 19 ad religiosum vocatus statum, Ordinem Minorum professus est Angelopoli in Conventu Excalceatorum Provinciæ S. Didaci Mexicanæ, die 8 Julij 1660. mutato tunc lustrico Ferdinandi in Antonij nomine, cognomini autem de Viruès suffecit à Conceptione. Insignis ex tunc Sodalibus est visus, cùm ab eruditione, tum etiam ab omni virtute, cellam perpetuò incolens, ni munerum, quæ gessit, aliò ipsum officia vocarent: silentij in primis tenax & corporis juxtà animique candoris, creditus illibatam perpetuò custodijsse virginitatem. Utrique admotus suggestui, triennio Philosophiam & mox Theologiam per aliquot annos in Gymnasijs Mexiceis docuit, & eximio inter Oratores nomine concionatus est, nec minori audientium emolumento, quòd masculæ, qua utebatur, eloquentiæ ad christianos mores formandos, religiosissimæ exempla vitæ conjungeret. Atqui consummatus in brevi, actis 33 annis vitæ, malignâ correptus febri, sacris præ-

prẹmunitus Sacramentis, Psalmisque recreatus & Hymnis, atque pijs alijs aspirationibus, obijt in Domino 15 Februarij 1673 qua die Franciscani Sodales festum agunt translationis S. Antonij Patavini, cujus Noster amore & imitatione Ferdinandi nomen in Antonij mutaverat. Ejus acta habet P. Balthasar de Medina in Chronicis dictæ Provinciæ fol. 190. col. 2. à n. 707. & fol. 66. n. 216. Scripsit

Cursum Philosophiæ.

Tractiones Theologicas.

Et

Conciones varias.

428 D. D. ANTONIUS DE URIZAR, Natione Mexicanus, apud FidelissimamNobilissimamq̃ Tlascalensium. Urbem clara natus familia, jam inde ab ineunte ẹtate piè & liberaliter institutus, Latinitatem coluit & Philosophiam,laureâqueAcademica redimitus in Scholis Mexicanensibus, ejusdem se Aulis pro utrâque addiscenda Jurisperitia ultrò conscripsit, donec absolutis à more legeque præscriptis curriculis, Candidatum se obtulit apicis Doctoralis, quo demum in Jure Canonico, hujusce suffragante Facultatis Collegio, ritè fuit auguratus. Togatis Majoris D. Mariæ & omnium Sanctorum Collegij Mexicei cooptatus,hodieque, post non paucos annos, ejusdem Emeritus, Præsbyterque jam diu initiatus, publica inde, non sine laude, negotia gerit statum moratissimumque virum decentia. Nam Patronus causarum ut est à Senatu Regio probatus, apud ipsum pro Rostris agit, juxtàque in Ecclesiasticis Tribunalibus, ne sacro quidem Inquisitionis Officij dempto, à quo insigne pro carceratis orandi munus etiam suscepit. Primariam Sacrorum Canonum Cathedram Universitatis nostræ non uno tantum & altero rexit quadriennio, ad in honoris fastigium Academico ritu multos inter petitores electus. Hanc etiamnum spartam adornat, cui altiora promeritis munera optamus. Pro suo ipse hactenus scripsit, ut ex Libris Academicis, signandis destinatos lectionibus, eruimus

Commentaria in titulum de Sententia & re judicata.

Commentaria in titulum de Judicijs.

Commentaria in selectos alios Decretalium titulos.

Prẹterea in schedis habet *Allegationes in jure varias, & Prælectiones ad Civile & Canonicum spectantes.*

429 P. ANTONIUS XARDON, Natione Mexicanus, Mexici item Parentibus admodum honestis est ortus, Jesuque Societatem statim ac per annos licuit amplexatus, & quatuor suo tempore votis adstrictus, dignum se præstitit, qui à domesticis & extraneis maximi fuerit habitus ob mores religiosissimos floridissimæ junctos eruditioni, qua

qua cùm in amœnioribus litteris excelluerit, nihilo sibi in gravioribus fuit absimilis: nam & Rhetoricam & Philosophiam, egregio Sapientum plausu, ad SS. AA. Petri & Pauli Mexiceum professus est, & Positivam primùm, dein Moralem, & mox Scholasticam etiam Theologiam æquà tradidit laude, majoris quidem interea creditor, quòd se ita palæstræ mancipasset & rebus Minervæ, simul ut negotijs insisteret alijs integrum pene hominem deposcentibus. Quo enim tempore Scholastico præerat suggestui, Collegium S. Ildephonsi Rector moderabatur, juvenum, qui in eo aluntur dantque operam litteris, plurimorum institutioni consulens; nec propterea Ecclesiasticis se abdicans Pulpitis, ut erat in dicendo felix atque disertus. Sodalium Collegijs Goatemalensi, Angelopolitano, & alijs præfectus, benignitati junxerat observantiam prudentiam que eximiam, quibus illectus dotibus Præpositus Generalis Familiæ ipsum Provinciæ Novæ Hispaniæ præposuit, quam per triennium auspicatissimè administravit. Pietate conspicuus & Religione, zelo itidem erga Proximos nituit & charitate, qua & ipsorum excipere confessiones sacras, & responsa poscentibus dare in difficillimis sæpe consultus, & miseris subvenire in delicijs habebat. S. Inquisitionis Tribunal eum sibi Censores inter Theologos nuncupavit, quod subinde, Quæsitoribus acceptissimus Fidei, frequenter pro munere adibat. Tandem meritis cumulatior quá annis placidissimâ quievit morte 8. Aprilis, anno 1719. apud Maximum Mexicanum Collegium, cujus majoribus Studijs tunc præerat. Edidit hispano sermone

Novum Solstitium, seu, in natali optatissimi Hispaniarum Principis Ludovici I Panegyrim. Mexici, typis Joannis Josephi de Guillena Carrascoso 1708. in quarto. Quam cum alijs similis argumenti Orationibus compaginatam habemus tom. 25. Collectionis nostræ in quarto.

Mss reliquit plura, & cedro quidem digna, quorum vix aliqua indigitamus: alijs, quę aspectui subduxerunt se nostro, relictis. Nempe idiomate latino

Tractatum de Beatissimâ Virgine Maria in quarto.

Tractatum de Divini Verbi Incarnatione in quarto.

Tractatum de Perfectionibus Christi Domini in quarto. Et hos quidem in suppellectile nostra libraria computamus.

Tractatum de Justitia & Jure in quarto.

Tractatum de Restitutione in 4.

Quos, nisi memoria fallit, apud multis instructam voluminibus Bibliothecam M. F. Joannis Chrysostomi Martinez, Augustiniani, Librorum helluonis, aliquando ad S. Sebastiani conspeximus.

Tractatum de Summulis & Logica in quarto.

Tractatum de Physica in quarto.

Tractatum de Metaphysica in quarto.

Tractatum in Libros Aristotelis de Anima in quarto.

Tractatum in Libros de Ortu & Interitu, Cœlo, Mundo &c. in quarto. Quorum ubi sint exemplaria nescientes, centum illa tamen fuisse non dubitamus, quòd totidem, ut minimum, Author discipulos in Philosophiâ instituerit, qui calamis integrum ab ipso dictatum ad Aristotelis systhema Cursum exceperint. Ex his adsunt apud Bibliothecam oppidò instructam Collegij Seminarij D. Pauli & Purissimæ Conceptionis, *Disputationes Summularum & in universam Aristotelis Logicam dictatæ à P. Antonio Xardon ab anno Domini 1684 usque ad 1685. 1. vol.* in quarto.

Hispano sermone conscriptus extat

Poeticus lusus, seu pro natali Jesu Christi die numeris celebrando datum Adamantis symbolum anno 1682, in libro similis plura instituti complectente, qui habetur in Bibliotheca Maximi Collegij Mexicani Societatis JESU.

Sermones verò multos, variaq; cùm hispana Opuscula, tumetiam latina amœnissimè à Nostro elucubrata meminisse tantùm suffecerit, quorũ nobis copia non suppetit. Meminit, nec sine, quo dignissimus est, elogio Nostri P. Vincentius Lopez, in aureo planè Opere Mss. Secula Conceptionis Marianæ Seculo 18. pag. 835. ubi annuas Societatis Litteras de 1719 Antonij memoriam texentes opportunè transcribit.

430 F. ANTONIUS DE ZAVALETA, Natione Mexicanus, in ipsa, quæ Regionis caput est, Urbe Nobilissima & Imperiali in lucem datus est, Parentibus stirpe præclaris & opibus, genitore Cantabro D. Joachimo de Zavaleta, qui rubeâ equestris S. Jacobi Ordinis Militaris Cruce signatus fuit, & Triumviris pro Commercij negotijs & judicijs à Rege datis primus, biennio, ut fit, annumeratus fulsit, postquam clara obierat alia Mexici munia. Noster ubi liberaliter educatus fuerat, & primis scientiarum lineamentis institutus, opulentæ valedixit Familiæ suę, Franciscanisque PP. de Observantia Provinciæ S. Evangelij in Primario Conventu solenni editâ Professione se addixit, à quibus Philosophiam Theologiamque hausit. Sacris initiatus, Ecclesiastem egit minimè obscurum & in Cœnobio patrio & in alijs, atque id partes muneris implens, ad Sodales in Comitijs Provincialibus de superiori loco dixit, pios, ut moris est, Sociorum Manes commendans ea quam edidit maternâ linguâ

Funebri ad Capitulum habitâ Concione. Mexici, Formis Josephi Bernar-

nardi de Hogal 1736. in quarto.

In Schedis reliquit *Sermones plures.*

431 D. D. AREVALUS SEDEÑUS, Natione Hiſpanus, cujus incomperta nobis eſt Patria, Academiæ Mexicanenſis decus & ornamentum, quòd primus fuerit ejuſdem Anteceſſor pro Decretis Pontificijs in Gymnaſio tradendis. Ejus nobiliſſimum contexuit elogium primus item Mexicanæ Scholæ Profeſſor Rhetoricæ D. Franciſcus Cervantes Salazar in eo politiſſimo Dialogo, cui nomen fecit *Academia Mexicana,* colloquentibus Meſſa & Guterrio. Ita habet. ME.... *A decima verò ad undecimam uſque eodem loco Doctor Arevalus Sedeñus Pontificum Decreta ſic exactè & abſolutè explicat & enodat, ut quod juriſperitiſſimi reprehendant, inveniant nihil: quæ autem admirentur, tanquam ab oraculo quodam profecta, multa. Abundans eſt in argumento ſterili, conciſus in fertili, promptus in citando, ſubtilis in inferendo, laqueos intendit, eoſdem ſolvit, nihil quod ſit in jure magnum & abditum ignorans: ac ut ſemel dicam, ſolus qui poſſit auditores juriſconſultos reddere.* GU. *Audivi ipſum Salmanticæ, & quam de ſe maximam ſemper expectationem dederat, in dies magis ac magis auxit.* Hactenus Cervantius. Porro eximium virum Arevalum multa ſcripſiſſe & gravia pro ſuo munere ad Canonicam Facultatem ſpectantia non dubitamus, quæ tamen duorum injuriæ ſeculorum nobis hactenus inviderunt præter Hiſpanum Opuſculum, quod unà cum admodum R. P. Fr. Joanne Focher condidit Mexicei juſſione Pro-Regis D. D. Ludovici de Velaſco, habeturque in Rituali pro Sanctis adminiſtrandis Sacramentis collecto à P. F. Alphonſo de Mentrida Ordinis S. Auguſtini apud Inſulas Philippinas hoc nomine:

Declaratio ſummaria juſſu Pro-Regis Novæ Hiſpaniæ D. Ludovici de Velaſco facta ab admodum R. P. F. Joanne Focher Ordinis S. Franciſci, & Doctore Sedeño Cathedræ Decretorum in Univerſitate Mexiceâ Anteceſſore, Privilegiorum, quæ Fratribus Ordinum Mendicantium in Floridam abeuntibus conceſſa ſunt tribus Bullis authenticis Leonis X. Adriani VI & Pauli III Summorum Pontificum. Manilæ in Collegio S. Thomæ operâ Thomæ Pimpim & Hyacinthi Magarulau anno 1630. in quarto.

432 ARIAS DE VILLALOVOS, Natione Hiſpanus, apud Beturiam, quo loci neſcimus, ortus, Mexici Domicilium ſedemque defixit. Præſbyter Secularis, ſatis in Hiſtorijs eruditus, ut Opuſcula indicant ejus publici facta juris, cùm antiquæ, recentis tum etiam Hiſpaniæ; Poetices laude floruit & eloquentiæ, cujus ſpecimina dedit in his, quæ ligata ſolutaque numeris oratione idiomate hiſpano compoſuit. Scilicet

Epitaphia in exequijs Mexici ductis Marchionisæ de Villamanrique, Pro-Reginæ Novæ Hispaniæ. Mexici 1619. in quarto.

Mexici obsequium solennissimè proclamātis CatholicumHispaniarum Regem Philippum IV. Additur hispano Historia carmine Mexicana usque à principio conditæ Urbis amplissimæ ab venientibus Aculhuacanis, gentis primoribus, ad annum editi operis, scilicet 1623. Mexici, apud Didacum Garrido, in quarto. Opusculum hocce, rarum quidem inventu, habemus in Collectaneis nostris tom. 63. & titulus Opusculo datus ab Authore *Mercurius,* de quo meminere Betancurtius in Tractatu Mexicanæ Civitatis pag. 3. & D. Antonius de Leon Pinelo in Epitome Bibliothecæ Occidentalis novissimè additę col. 699. tom. 2. Itemque D. Nicolaus Antonius in Bibliotheca Nova tom. 1. pag. 133. Magni quidem non multæ molis Opus faciendum, quòd poeticę, qua haud friget, elegantiæ numeris, compendio potiora Mexicani capita Imperij resque, cùm ab Indis, tum ab Hispanis gestas exhibeat ad finem usque primi expugnatę ditionis seculi.

Prętere a, scripsisse majoris moliminis Librum ab citato *Mexicanæ obedientiæ* didicimus fol. 16. col. 1. ubi jam pridem multis à se confectum annis impendijsque memorat Opus de *Imperiali Austriæ Familia,* quod, ut videtur, ineditum latet.

433 FR. ARNALDUS BASASIUS, Natione Gallus, è Provincia Aquitaniæ, in qua Seraphici P. instituta coluerat, in Apostolicam S. Evangelij Mexiccam anno 1530 quæ tunc cœptabat, translatus, Domicilium nostros inter sibi constituit magno rei Christianę apud Indos in Ecclesiam confluentes incremento. Theologiæ, in qua florebat, subsidium adjunxit idiomatis Mexicani brevi admodum à se tempore imbibiti, eo ut pro gentilium cathechesi uteretur. Nec quidem sine fructu, quòd assiduitate dicendi zelum animarum conjunxerit, in id sedulò incumbens, ne abjurata nuper idola pristinis altaribus restituta clanculù à neophytis, ipsis alijsque scandalo forent. Conveniebant tunc temporis frequentissimâ Indi coronâ in Primarias Franciscanorum Ædes Parochiamque S. Josephi Deigenitricis Sponsæ nomine hodieque insignem, pro sacris audiendis & excipiendis, quibus unà cum socijs aderat Noster,qui præterea juvenes gentis latinis litteris instituendos pręcipuas suas inter curas voluit, tanto quidem successu, ut inde natum fuerit Imperiale à S. Cruce nuncupatum Collegium, quod non ita post ad S. Jacobi de Tlatelolco conditum fuit pro Indis Grammaticâ, Rhetoricâ, Logicâ, & Philosophiâ imbuendis, in quibus

bus ſtrenuam multi operam collocarunt, decorique Patriæ fuerunt atque Nationi, prout opportunis in Bibliotheca noſtra locis fit palam. Noſter primas Magiſterij partes ibidem tenens multos latinè docuit. Poſt ad Quauhtitlam non longè diſſitum à Mexico Oppidum in Ordinis Cœnobio primus item Muſicam Indis reddidit familiarem, cantorumque Choros inſtituit, non pœnitendis fructibus, ex inde ad noſtra uſque tempora promanantibus. Tandem ab animarum zelo egregijs comparatis meritis, atque cœteris conſpicuus virtutibus diem clauſit extremum in Conventu de Tulanzingo. Scripſit idiomate Mexicano, politiſſimo quidem,

Multos copiâque eruditos Sermones.

Præterea eâdem donata lingua dedit

Epiſtolas & Evangelia per annum in Eccleſia cantari ſolita:

Quę tamen uſui eſſe jam nequeunt, proſcriptis videlicet, juſtiſſimis de cauſis, Sacrorum Bibliorum tranſlationibus ad linguas vulgares.

Meminerunt ejus egregiâ cum laude PP. Torquemada in Monarchia Indica tom. 3. lib. 19. cap. 33. pag. 386. tum etiam p p. 113. 114. 442. Editionis Madritanæ 1723. Betancurtius in Menologio ad diem 20. Auguſti pag. 91. Item ad ipſam diem Martyrologium Franciſcanum, & Gonzaga in Conventu de Tulanzingo, Wadingus & Bibliotheca Franciſcana tom. 1. pag. 141. Item Dominicanus Fernandez in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ noſtri temporis lib. 1. cap. 17. pag. 67. Leon Pinelus in Epitome Bibliothecę Occidentalis editionis noviſſimę tom. 2. col. 720.

434 D. ATHANASIUS REATON PASSAMONTE, cujus incertum nobis eſt natale ſolum, exploratumque Domicilium Mexiceum, Mathematicis diſciplinis conſpicuus, publici juris fecit hiſpano ſermone

Artem minorem Arithmeticæ & Methodum ordinandi caſtra, frequentioresque pro Regnis Hiſpanicis ſupputationes perbrevi & claro ſtylo, ut etiam citra Præceptoris vocem condiſci valeant. Mexici, apud Viduam Bernardi Calderon 1649. in quarto.

In Præfatione ad Lectorem teſtatur, 21 retro annis Facultatem Mexici obtinuiſſe imprimendi librum alterum, cui titulum dederat,

Calculator generalis,

In quo Arithmeticæ & Geometriæ multa tradiderat, amiſſumque in Hiſpaniam edendum minoris impendij gratiâ, adverſis oceani fluctibus, & alijs ſiniſtris caſibus præpeditum, non dum ad Americam noſtram remeaſſe.

435 F. AUGUSTINUS DE AVILA, Natione Hiſpanus, in Conteſtanis ortus, apud Valentinos

nomen dedit Seraphico Parenti Francisco, unde in Goatemalésem ejusdem Instituti Provinciam à SS. JESU nomine nuncupatam se transtulit, in qua amplius 40. annis vixit tanta Sanctitatis opinione quam qui maximè. Sępe in extasim publicè rapi visus est, & cœlestibus Genijs circum adstantibus cohonestari. Porrò nemini fuit scandalo, imò nec forsan admirationi, eo ipso, quo obierat, die, Virtutes ejus è sacro suggestu coram frequentissimâ multitudine celebrari, palamque dici, vix toto, quo latissimè patet Seraphico Ordine, ab ejus conditore Francisco in eum usque diem Religiosum floruisse, qui aut perfectius Apostolica ejusdem Regulæ præscripta servaverit, aut austerius in se pœnitentijs sævierit. Scripsit idiomate Kiche dicto

Librum de Christianæ Doctrinæ explicatione.

Quem in Bibliotheca Primarij Conventus Goatemalæ servari è Catalogo inde ad nos misso, fidelissimè quidem dato, ad numerum 7 compertum habemus.

436 D. AUGUSTINUS DE BARRIENTOS, Natione Mexicanus & Patria, nobilissimo clarus sanguine, quadriennium posuit in interpretandis Aristotelis libris ijs, qui Philosophiæ Professoribns committuntur expendendis in Mexicanâ Universitate, nactus Cathedræ posessionem die 22 Februarij anno 1614. pręcedentibus Scholasticis, ut fit, dimicationibus ipsum inter & alios egregij meriti candidatos. Scripsit

Tractiones Philosophicas.

Ejus meminit Plaza in Chronicis Academicis lib. 3. cap. 17. num. 85.

437 D. AUGUSTINUS DE BECHI, Natione Mexicanus, Claris genitus Parentibus, lucem aspexit apud Urbem Americę nostræ notissimam à Vera-Cruce nuncupatam jam inde ab inclyti accessu viri D. Ferdinandi Cortezij, illùc appellentis feria sexta in Paracesve, propterea que opportuno & faustissimo omine ipsam compellantis à salutari, in quo Redemptor noster triumphum egerat, Ligno, quod que insignes sibi Hispanisque militibus suis victorias in honorem ejusdem Assertoris ac vindicis hominum Christi pollicebatur. Hac Noster incunabula sortitus in Urbe gentibus multis frequentissima & navibus Americanis simul & Europeis, ad Portum, quo claret, advertentibus; Ipse, primis litterarum rudimentis formatus, genitorum jussione & curâ divertit Angelopolim primùm apud Societatis JESU Collegia Latinitatem hausturus & Philosopiam, dein Mexicanum versus lacum intendens, proram puppimque sibi in studijs jurium constituit. Regale Divi Ildefonsi Collegium viridi, quæ insignem præsefert

ſefert honorem, trabeâ donatus, multos annos incoluit, donec Academicis laureis minoribus in Philoſophiâ, Civili & Canonico Jure, Doctoralem in hocce infulam, ſuffragantibus ejuſdem profeſſionis Doctoribus adeptus eſt. Tum, ſacris initiatus, tuendis in Foro eccleſiaſtico juxtà & prophano cauſis, ut mancipatos Deo viros decet, à Senatu Regio inſtitutus probatusque eſt. Minervæ inter hæc caſtra ſequutus, Candidatum ſe multoties pro regendis Cathedris dedit, eique Octovirorum ſuffragijs præfectus fuit, quæ Clementinis elucidandis Conſtitutionibus deſtinata eſt. Hanc ſemel & iterum tertiumque victor tenuit, ut ſubinde duobus exantlatis quadriennis tertium jam pridē agens, ad Gratianeum & Perpetuum Suggeſtum Canonici juris merito evectus fuerit, cui operam navat in præſentiarum. Ulteriores ei ſedes optamus & præmia, cujus interim Academicas inſinuamus Elucubrationes. Scripſit, quæ ab annuis Univerſitatis monumentis accepimus,

Commentaria in Selectas Clementinas.

Præterea habet in Schedis

Prælectiones varias & Juris Allegationes.

438 F. AUGUSTINUS DE BETANCURT, Natione Mexicanus, Mexicum natale ſolum habuit nobilesque Parentes, à queis honeſtè educatus, litterarum à teneris annis ſtadium arripuit, quod ad ſenectam uſque dimenſus fuit. Grāmaticâ inſtitutus & Philoſophiâ, atque hujus in patriâ Univerſitate laureâ inſignitus, Ordinem Seraphici P. S. Franciſci in Provincia S. Evangelij de Obſervantia & Cœnobio Angelopolitano, nuncupatis votis, profeſſus eſt. Ingenio ut erat comparatus ad multa, virtutisque admodum ſtudioſus, ac nulli parcens honeſto labori, injunctas ſibi plures ornavit ſpartas, decorique Familiæ, Ordini, & Patriæ fuit nequaquam exiguo. Sacerdotio initiatus, jamque Theologicæ Facultatis egregiè peritus, Cathedris pręfectus, primùm Philoſophiæ, quam triennio docuit, deinde Theologiæ vacavit, cui tradendę multos impēdiſſe annos teſtis eſt nobis ejuſdem Facultatis in Academia Mexicana Anteceſſor æqualis Noſtri M. F. Michael de Aguilera, in Cenſura præfixa Orationi, quam loco dabimus, de SS. Virgine Matre titulo de Columna. Adhæc, Concionatoris ita partes explevit omnes, auditoribus ut gratiſſimus eſſet, Doctis in primis, poſtque diuturnam operam in dicendo poſitam, Emeritus Prædicator audierit. Peritiſſimus in Mexicano idiomate ſi quis alius (cujus itidem Lector fuerat) Parochus canonicè inſtitutus fuit Mexici ſacra Indis adminiſtraturus ad S. JOSEPHI, quæ intra ſepta Franciſcanorum ædium ſurgit, Ec-

clesiam, eo insignem nomine memoratuque dignam, quòd prima fuerit Tenoltitlani ædificata pro indis Paræcia, ut nascentis Americanæ Christianitatis incunabula jure dixeris, millenis conspicua natis in Christo, Principibus, Toparchis, Proceribus, Nobilibus, & absque numero popularibus. Nec hoc tantùm illa titulo illustris, sed multis alijs. Quòd videlicet primum in ea Mexicanum Concilium habitum fuerit, Præside Viro admodum Venerabili Apostolico F. Martino de Valentiâ, ut suis aliàs opportunè locis notabimus: Quòd Caroli V Cæsaris funus, quantâ id tempus ferebat, pompâ solenni inibi ductum fuerit, cujus extare editum antiquo caractere monumentum Author est Noster: Quòd insolito pariter his in Regionibus apparatu Sacrum Fidei Tribunal publicam in hæreticos & de Religione suspectos animadversionem ibi instituerit: Quòdque mox nominati Caroli Philippique II Hispaniarum Regum Schedis perinde quasi Cathedralis multis defuncta honoribus fuerit ac privilegijs.

439 Hanc ille annis totis quadraginta Parochiam sedulo rexit, cathechesi, prædicationi, cœterorũque administrationi Sacrorum invigilans, commissam sibi gentem charitate prosequutus paternâ, & quæ decent strenuum Curionem officijs, atque exemplis admodum religiosæ vitæ, quam ad extremum usque octogenariæ ætatis traduxit. Inter has multi quidem negotij curas, haud minoris moliminis alias suscepit Libros scribendi varios argumento simulque idiomate. Nam & latinè aliquos, & alios hispanè, & nonnullos mexicanè elucubravit. Scilicet, Provinciæ S. Evangelij suæ Chronographus institutus ab ipsa, confirmatusque à Reverendissimo Indiarum Commissario, ac demum Apostolicâ præmunitus authoritate Innocentij XI Litteris ad id officij datis, injunctum sibi munus alacri animo acceptum, multis ad extremum vigilijs duxit, non Familiæ tantùm historiæ contexendæ solicitus, sed patrio etiã decori consulens, ejusdem & priscas & recentes gazas in Theatrum adducens, quod & Naturalia Americæ nostræ ob oculos ponit, & Politica refert gentis sub Imperatoribus Indis, & Militaria: superstitiosam nimis, cui dedita fuerat delusa à malo dæmone, Religionem, è caligine in lucem evocat, ac tandem Hispano obsequentem nomini, & Evangelico circum donatam splendore, Catholicâ, Apostolicâ, Romanâ Fide in dies succrescente, cœteraque virtute, bono in lumine collocat. Chronica Provinciæ suæ in extrema Theatri parte, ceu coronam exponit, cui gemmarum instar pretiosas Vitas mortesque Sodalium multorum au-

aureò inſertas filo offert in Menologio. Iſthæc ſanè omnia eruditionem viri plurimam redolent, Antiquitatiſque Americanorum indagandi laborem improbum, inſigneque ſtudium in evolvendis non modò editis id argumenti voluminibus, ſed etiam Mss & abditis, quorum in veſtibulo Theatri ſillabum texit, ipſorum in Hiſtoria fidem ſecutus, & ipſis ſilentibus authoratam à prudentibus traditionem. Porrò, ſi accuratiori uſus fuiſſet ſtilo (ne hoc diſſimulemus) majus operæ pretium feciſſet, ſuperſediſſe tamen conſultò politioribus ſcribendi formulis in Proœmio teſtatur, quòd malet à Grammaticis carpi, quam non facili negotio à rudibus etiam intelligi. Edidit Opus iſtud hiſpano ſermone, cui præfixicit titulum

Theatrum Mexicanum, cujus tres priores partes complectitur *tomus unus in folio*. Mexici, typis D. Marię de Benavides, Viduæ Joannis de Ribera 1698.

Alter verò tomus quartá Theatri partem complexus ſic habet:

Chronica Provinciæ S. Evangelij Mexicanenſis. Mexici, eiſdem formis 1697 in folio: Scilicet poſtremâ Theatri parte editione priores antecedente, Authoreque in proœmio præpoſteri ordinis cauſas dante.

Hiſce Chronicis jungitur eodem volumine

Menologium Franciſcanum plurium vitas Sodalium exhibens.

Ad calcem ejuſdem tomi addidit Scriptor ipſe Tractatus duos, alterum de Mexicana, alterum de Angelopolitana primarijs Americæ hujus Civitatibus.

Ut verò in Hiſtoria cœtera Eccleſiaſtica hoſpes non erat, priuſquam Americanæ Libros vulgaſſet, publici juris fecerat patrio etiam ſermone

Chronographiam ſacram, Chriſti Domini Aſſertoris noſtri Vitam, & Prædicationem Evangelicam exhibentem, locaque & tempora in queis reparationis noſtræ myſteria operatus fuit indicantem: Omnipotentiæ opera, gratiæque miranda in Deigenitrice Maria, atque Seraphico Parente Franciſco, & Apoſtolica ejus Religione ponentem ſub oculis. Mexici, ex ſupra memorata Typographia 1696. in quarto.

Artem pro Mexicana Lingua addiſcenda. Mexici, litteris Franciſci Rodriguez Lupercio 1673. in quarto. Ad calcem hujus Libri adjecit *Breves pro miniſtrandis Sacramentis inſtitutiones Mexicano ſermone, eodemque Doctrinæ Chriſtianæ Cathechiſmum.*

Manuale pro Sacrorum adminiſtratione, unàque Apoſtolica pro Indis Privilegia multa. Mexici, typis Lupercianis 1674. Iterumque eiſdem formis 1682. Et rurſus Hiſpalenſibus Thomæ Lopez de Haro 1690. Denuo Mexicanis Franciſci de Ribera Calderon 1729. in quarto.

Epitomem vitæ, obitus & mirabilium Hiſpani Thaumaturgi S. Anto-

tonij Patavini. Mexici, apud Franciscum Rodriguez Lupercio 1682. in octavo. Iterumque Mexici, Formis Josephi Bernardi de Hogel 1728. in octavo.

Viam Crucis idiomate Mexicano. Eisdem litteris semel & iterum.

Panegyricam Orationem de SS. Deiparente sub titulo de Columna. Mexici, typis Lupercianis 1674. in quarto. Extat in Collectancis nostris tom. 70.

Panegyricam Orationem habitam publicæ causa lætitiæ, quòd Bethlemitica Societas Americæ apud Goatemalenses nata, in Congregationem instituta erectaque fuisset Apostolicis Innocentij XI Romani Pontificis Litteris. Mexici unà cum cœteris ejusdem argumenti concionibus octiduo dictis, Festique descriptione edita à D. Petro Muñoz de Castro in libro, cui titulus *Exaltatio Bethlemiticæ rosæ, &c.* Typis D. Mariæ de Benavides 1697. in quarto.

Orationem in funere habitam Serenissimæ Catholicæ Hispaniarum Reginæ D. Mariæ Austriacæ. Mexici, eisdem litteris 1697 in quarto.

Atque hæc sunt, quæ hactenus invenimus edita Opera; inedita verò sequentia. Latino sermone.

Historica narratio de incrementis gloriosis Provinciæ S. Evangelij Ordinis Observantiæ S. Francisci Mexicanæ Diœcesis: Vitæque 150 Sodalium, qui ab anno 1600 ad usque 1682 sanctitatis nomine florentes obierunt: Ad Generale Ordinis Capitulum dimissa, quæ Mantuę Carpentanorum asservatur in Tabulario Familiæ generali, ut testis oculatus scribit in Bibliothecâ Franciscanâ F. Joannes à S. Antonio, quem tamen opinamur æquivocum passum, tria ex uno hoc Opere conficientem, & primo quidem *Relationem historico latinam Provinciæ S. Evangelij ab anno 1600 ad usque 1682; dein, Historiam Mexicanæ Provinciæ S. Evangelij; & tandem, Historiam quam plurium servorum Dei Mexicanæ Provinciæ S. Didaci ab anno 1600 usque ad 1681 recensentem.* Quòd enim postremam hanc concernit Historiam, suspicamur lapsum calami in nomine S. Didaci, cujus Provinciæ, quę Excalceatorum est, Chronica edita non ita pridem à Clarissimo viro F. Balthasare de Medina, Noster non semel memorat, erant que jam tum cunctis notissima; alto interea silentio premens Historiam à se conditam ejusdem Provinciæ, quam in sillabum redegisset suorum Operum, ipsam si aliquando adornasset; nec postmodum, supervacaneo prorsus labore, credimus scriptum scripsisse, actumque egisse. *Narrationem verò historico latinam ab Historia Mexicanæ Provinciæ S. Evangelij* nullis distinctam lineamentis in eodem Nostri indice reperimus, *Historicam narrationem Provinciæ suæ* perinde Vitis 150 co-

copulantis, quasi unum ex his illâque Opus formaverit. Et hæc quidem latinè.

Hispanicè: *Epitome Moralium Resolutionum unà cum Privilegijs pro Indijs ab Apostolica Sede emanatis, ad Sacramentorum ministrationem utile Curionibus Opus.*

Tractatus de origine Officij divini.

Sermones Mexicano idiomate pro Adventu & Epiphania Domini.

Vitæ SS. Deigenitricis Sponsi S. Josephi, & Christi Præcursoris S. Joannis Baptistæ, ex traditis à V. M. Mariâ à Jesu de Agreda erutæ hispanô sermone.

Meminerunt ejus, nec sine laudibus, Bibliotheca Frãciscana tom. 1. pag. 151. & 152. P. Franciscus de Florencia in Libro de Mexiceâ Guadalupanâ Deiparentis Imagine cap. 13. § 8 n. 162. fol. 77. Boturini in Catalogo Musæi Historici Indici pag. 22. n. 4. Leon Pinelus in Epitome Bibliothecæ Occidentalis novissimè additæ Matriti 1738 tom. 2. col. 606. 732. 758. 797. 854. 860. 699. Nicolaus Rodriguez Franco, accuratissimus Editor Monarchiæ Indicæ F. Joannis de Torquemada, è cujus officina prodijt anno 1723 recussum politissimè admodum desideratum illud Opus eruditissimum. Nam & si in Proemio § 3. conqueratur de Nostro, quòd Monarchiam Indicam abjudicaverit Torquemadæ, tradideritque V. P. Hieronymo de Mendieta, ejusdem Familiæ viro etiam notissimo; cæterà elogijs Betancurtio debitis glorięque non invidet, quem laudat ex meritis. Nec nos detractum iri credimus Betancurtij nomini, quòd in ea cęspitaverit crisi, Homerusque licèt bonus, dormitaverit aliquando, uti causam acturi Torquemadæ suo in loco dicemus. Alijs qui Nostri meminerint Scriptoribus patrijs supersedemus, quòd omnes fere qui post ipsum historica elucubrarunt Opera, ejus non semel mentionem fecerint.

440 D. D. AUGUSTINUS DE CABAÑAS, Natione & cunabulis Mexicanus, patria Gymnasia Collegij Maximi Societatis JESU Universitatisque postquam juvenis adijt gratiâ discendi, reportatis tandem ad docendum infulis illustravit, Magisterio Philosophiæ, Theologiæque Doctoratu conspicuus. Cathedras utriusque Facultatis tandiu Academico ritu Prælectionibus idque genus exercitijs petivit, donec Primarias tenuit: Nam & quæ Aristolis Libris Physicorum, alijsque naturalis scientię interpretandis destinata est, multos rexit annos Antecessoris perpetui munere; & in Primam itidem Theosophiæ eodem Moderatoris honore involavit devexâ jam ætate, ut subinde hocce brevi officio defunctus fuerit. Metropolitanæ Ecclesiæ Mexiceæ Sacerdotio quod Lectorale dicimus, fulsit, & Diœcesis Examinatorem Synodalem di-

diu egit. Gravissimis præfuit cœtibus, Academiæ, scilicet, cui datus fuit Rector priusquam docendi provinciam in ejusdem Aulis iniret: Congregationi Clericorum à S. Petro dictæ, admodum illustri & insigni, Abbatis titulo; & Primicerij nomine Sodalitati apud Paręciam S. Veræ-Crucis florentissimę, quæ à S. Francisco Xaverio nomen habet, cujus inclyti Apostoli Iconem multis celebrem mirabilibus Ordinarij Judicio & authoritate probatis, eximio religionis sensu populi venerantur & colunt in amplo Sacello inibi seposito & multis ornato; ut legere est in Libro *Indiarum Apostolus gentium* nuncupato, Mexici edito typis Lupercianis 1661, ejusdem Congregationis Xavarianę nomine ab ejus id temporis Primicerio D. Mathia de Peralta Calderon in lucem emisso, scripto verò à V. P. Didaco Aloysio de Sanvitores Societatis JESU, quo tempore Mexici morabatur, opperiebaturque naves Manilenses, in Philippinas Insulas abiturus. Noster ad Fortunatas Cœlestesque, ut piè credimus appulit anno 1717 die 23 Martij, postquam mortalis vitæ pelagus navigaverat, christianâ virtute & eximiâ in omnes comitate ac urbanitate laudatus. Scripsit

Commentaria in Libros Aristotelis 8 de Physicò auditu & ausculatione.

Commentaria in Libros Aristotelis de Ortu & Interitu.

Quæ ex Academicis Libris nota sunt nobis, fuerantque jam pridem excipientibus calamo eorum aliqua, eo tempore quo Authorem è Cathedra dictantem audivimus. Theologica verò, quæ biennio non expleto tradidit è suggestu, silemus, quæ mox dicta Academiæ monumenta invident nobis.

441 P. AUGUSTINUS CANO, Natione Mexicanus, in ipsa Urbe Mexico, splendidissima Familia natus est, uti Bibliotheca Societatis JESU habet, quæ & viri elogium pulcherrimum juxtà texit atque gravissimum. Ipsi addictus Societati anno 1576 ætatis quinto decimo, litterarum non minori quam virtutum nomine insignis evasit. Ut erat ingenio præditus & acumine singulari, indefessusque studio, humaniores excolens disciplinas Philosophicasque, Magistros inter, quos Familia nutrit egregios, spectabilem se facilè præstitit. Sodalibus & exteris, qui plurimi ad Maximum SS. AA. Petri & Pauli Mexiceum Athenæum confluunt, Rhetoricâ & amœniori instituendis eruditione ex munere incubuit, cultiores ea in parte Socios multo post se intervallo relinquens. Litteras verò sacras deinceps interpretatus est ad magnorum invidiam ingeniorum, ut mutuatis à nuper memoratâ Bibliothecâ verbis utamur. S. Ecclesiæ Doctorem Augustinum, à quo lustricum illi nomen, ut egre-

egregiæ pietatis ſenſu colebat; ſic etiam ejuſdem aſſiduâ Libros lectione pervolutabat, quibus ſecundum Divinos nihil dulcius aut ſapidius habebat. Virtutum ſcholam à tyrocinij limine tanta animi alacritate aggreſſus eſt, ipſis ut ſplendorem addere videretur, eximiâ, quæ ſe prodebat in vultu, verbis, inceſſu, corporeque toto, modeſtiâ, affabilitate juxtà & comitate ſociatâ, queis ſe dotibus ijs qui cum eo agerent, aut ipſum cernerent, facilè commendabat.

442 Grandior ætate, creſcere in religioſâ viſus eſt perfectione, quæ altiſſima, demiſſione ſui, jecerat fundamenta, de ſe abjectiſſimè ſentiens, nec exempla tantùm virtutis mendicans à Socijs, ſed Profeſſus etiam, ab ijs in re litteraria juvari tyronibus optans, qui exercitationis ergo ſtatis in triclinio diebus dicere ſolent; ut propterea mirum non fuerit, ſi gravitati in agendo humanitatem jungeret, ab omnique faſtu abhorreret. Orationi ex animo addictus, nocturno ei tempore largiori vacabat, & diurnas, ut licebat per injuncta ſibi negotia, horas ſacris in templo meditationibus in genua provolutus impendere perjucundum ipſi erat: quamquam in continuà fere verſabatur contemplatione, præſentem ubique Deum intimo fidei & amoris ſenſu recogitans. Adhæc, ſæpius latentem in Euchariſtiâ Chriſtum veneraturus ſuperiorem chorum adibat, ſingulisque diebus, aut duobus, aut tribus Sacerdotibus ad Aras operantibus libens adſtabat. Cura & ſtudio corporis domandi, ipſum & cilicio conterebat & quotidie totis 40 annis ſæva divexabat flagellatione. Beatiſſimam Deiparentem flagrantiſſimo proſequutus amore, à cœteris ut ſimiliter haberetur curabat, publicis familiaribusque ſermonibus ejus præconia celebrans, pijſſimosque audientibus ſenſus inſtillans. His porrò reliquisque exactè ad auſteriorem vitæ normam ſubſidijs, caſtitatem ne dum perpetuò illibatam ſervavit, ſed quod perquam eſt rarum, nulla impugnatam fœda cogitatione, ut ij teſtati ſunt, quibus abſtruſiora hominis erant notiſſima.

443 Peractam ſanctiſſimis moribus vitam pretioſa multisque cœleſtibus cumulata delicijs mors excepit: nam ubi ſacrum Viaticum coram habuit, eximia animi lætitia geſtire viſus eſt, & longè ferventius ſe ad proximum agonem comparare: Sacramentali confeſſione ſemel & iterum animum expiavit, errataque condonari ſibi ab aſtantibus ſocijs petivit, & Dominico corpore paſtus, ejuſdem immori plagis, & Puriſſimæ Genitricis umbrâ protegi ſatagebat, utriuſque veneratus Icones, quibus olim recreari conſueverat, ſperabatque in extremo prælio juvari. Tú Sancto-

rum, quos in vita tutelares sibi asciverat & Patronos, nomina è libello, in quem illa retulerat, prælegi voluit, & pro extremo confflictu vocari. Christi è Cruce pendentis Imaginem intuens, sæpè ex animo repetebat: *Rex tremendæ majestatis qui salvandos salvas gratis, salva me fons pietatis:* atque in hujus arbitrium ex animi sententia positus, oleoque inunctus sacro, placidissimè extinctus est die 23 Septembris anno 1622 in Collegio Vallisoletano Michoacanensium, cui tunc Rector præerat. Demortui vultus ridenti similis visus est, & eleganti specie nitere. Suprema funeris frequentissimâ multitudine sunt peracta, Sanctum ipsum omnibus conclamantibus, corpusque Regularium Ordinum Superioribus efferentibus, atque Ecclesiastico ritu mortualia officia celebrantibus. Scripsit

Commentaria in Epistolas S. Pauli, & in Cantica veteris & novi Testamenti.

Quæ prælo parata reliquisse legimus in Societatis Bibliotheca Romanæ editionis 1676 pag. 94 ubi & viri, quas diximus, virtutes commendat ac litteras, & scriptorum pretium ab stilo, facundia, lepore, eruditione, rerum amœnitatæ & sacrorum textuum gravi ac speciosâ dilucidatione. Meminit item ejus P. Florencia in Menologio Provinciæ Mexicanæ, quod nuper auctum à P. Oviedo, recussum fuit anno 1747 pag. 171 die 23 Septembris.

444 M. F. AUGUSTINUS CANO, Natione Hispanus, Syngiliæ, vulgo Antequera, Beticæ Civitate ortus, in Americamque deductus, Goatemalæ in præcipuo Dominicanorum Cœnobio, Provinciæ S. Vincentij de Chiapa & Goatemala Ordinis Prædicatorum dicto sacramento se addixit. Virtutibus insimul ac litteris floruit, Magisterio Sacræ Theologiæ apud Sodales ob strenuam navatâ Scholis operam insignitus: Doctoratus quoque in eâdem Sacrâ Facultate apicem tulit in Regiâ Goatemalensium Universitate, cui fuit percharus. Multa scripsisse reliquisseque inedita ab memoratæ Patribus Provinciæ in acceptis habemus: alia romano sermone, alia materno. Et latina quidem isthæc Opera memorantur.

Tractatuum Theologicorum in primam Divi Thomæ, Doctoris Angelici, partem, & primam secundæ Tomi duo.

De Conscientia Tomus unus.

Proscriptæ à Summis Pontificibus theses scholasticâ methodo expensæ. Tom. unus.

Synopsis Propositionum damnatarum. Tomus alter.

Cursus Philosophiæ ad S. Thomæ Scholam elucidatæ.

Hispanâ autem linguâ composuit

Opusculum de Communione quotidiana.

Hi-

Historiam Provinciæ S. Vincentij de Chiapa & Goatemala Ordinis Prædicatorum tomis duobus distinctam.

Chronologiam dictæ Provinciæ à M. F. Antonio de Molina, Goatemalensi, ejusdem Ordinis scriptam, additionibus locupletiorem.

Authographa omnium, quæ recensuimus, extant partim in Archivio Goatemalensis Conventus Dominicani, partim in scrinijs Sodalium & manibus.

445 ILLMUS. D. M. D. F. AUGUSTINUS DE CARBAJAL, Natione Mexicanus, Goadalaxaræ in Nova Gallæcia ortus est, quem Ægydius Gonzalez Davila in Thatro Ecclesia Panamensis Mexicanum patriâ facit, sui autem immemor, in Theatro Ecclesiæ Goamangensis Hispanum scribit & apud Caceres natum. Utrobique tamen decipitur, falluntur que cum eo alij, frequentius Mexicanum patriâ Augustinum dicentes, quos latuit Goadalaxarensis origo; eam tamen Mss nos docent accuratissima monumenta & M. F. Didacus Bassalenque, in Chronicis Provinciæ Augustinianæ Michoacanensis, scribens Nostrum Ordinē S. Augustini amplexatum fuisse & professum in ejusdem Goadalaxarensi Cœnobio. Litteris egregiè eruditus, Magister demum in Sacra Theologia fuit auguratus. In Europam à Provincia sua negotiorum causâ dimissus, adeo se strenuè gessit, ac Sodalibus exterisque probavit, ut splendidissimum in Familia munus Assistentis apud Præpositum Ordinis generalem adeptus fuerit. Eo ubi fuerat scitissimè functus, ab Hispanis constitutus fuit Prior Vallisoletani Conventus, quo tempore Pinciæ Regia erat. Inde Episcopus Panamensis in Americam destinatus Meridionalem, eò se contulit, & Catholico ritu sacratus, Ecclesiæ suæ, ut accuratum Pastorem decet, providit, instituto, quod à S. Augustino Parente suo nuncupatum voluit, Collegio, cujus alumni, juxtà Sacrosancti Concilij Tridentini Decreta, Cathedralis servitio incumberent; multisque alijs pro officio peractis, donec ex ea sede in Goamangensem promotus anno 1612 ei se demum mancipavit curandæ Diœcesi ad annum usque emortualem 1620, ut Author est citatus Ægydius in Theatro Ecclesię Panamensis fol. 59 col. 1. Scripta ejus designare cupientes vestigantesque nos fugerunt, contentos innuere

Opuscula Philosophica & Theologica, de quibus docti traditione, nil præterea explicatius addere possumus.

Meminit ejus P. Bonaventura Salinas Franciscanus in Memoriali suo fol. 110 n. 189, & P. Bassalenque in Chronicis Provinciæ Augustinianæ Michoacanensis.

446 D. AUGUSTINUS DE LA

Caxica et Rada, Natione, ut videtur, Mexicanus, Patria Goatemalensis, Doctoralibus inauguratus infulis, à Thesauris Ecclesiæ ejusdem Urbis est, Diœcesis que Examinator Synodalis, & Vicarius Generalis, pro Testamentis, Capellanijs, & Pijs alijs operibus Judex: item Commissarius Apostolicus Subdelegatus Generalis S. Cruciatæ in eo Regno, Delegatusque pro Beatificationis & Canonizationis Causâ Servi Dei F. Antonij Margil à Jesu. Edidit

Panegyrim à se habitam in Festo Deiparentis Virginis Patrocinij, qua die primus nuper evectæ in Metropolitanam Goatemalensis Ecclesiæ Illmûs. ac Rmûs. Archiepiscopus D. Fr. Petrus Pardo & Figueroa Pallio fuit convestitus. Extat cum alijs ejusdem argumenti Orationibus & Opusculis in Libro eruditè conscripto, donatoque luci à D. Antonio de Paz & Salgado, Mexicanis typis D. Mariæ de Ribera 1747. in quarto.

Historica enarratio terremotus, Goatemalam Urbem insignibus Templorum Ædiumque multarum ruinis brevissimè succutientis anno 1751. Mexici, ex Typographia Viduæ Josephi Bernardi de Hogal eodem anno, itemque Goatemalę.

447 Illmus. D. M. D. Fr. Augustinus de Coruña, Natione Hispanus, ad Portum Brigantinum in Gallecia natus, Salmanticæ Augustinianis Patribus aggregavit se anno 1525 solenni emissâ Professione in manibus fulgentissimi Hispanię sideris S. Thomę de Villanova, religiosi eo tempore Præsulis. Philosophiâ eruditus atque Theologiâ, virtuteque haud vulgari conspicuus, Dei gloriam & salutem animarum promoturus in America nostra, quę non ita pridem subjugari cœperat Deo, & Christianis institui ritibus, socium se præbuit alijs sui Ordinis viris egregij meriti, eò tendentibus anno 1533. Ubi Mexicum devenère idioma imbibere gentis exorsis Noster laurum præripuit, quòd omnium Familiæ præstantior ea tempestate & doctior evaserit. Destinatus in Provinciam de Chilapa & Tlapa cum socio Fr. Joanne à S. Romano, lucem barbaris incolis Evangelij, quam non dum aspexerant, ut afferret, mirum dictu cogitatuque est, quanta fecerit & pertulerit. Populares, qui locustarum instar amplissimos illos tractus montes q̃ inaccessos inhabitabant, principiò benignè susceptum & auditum, haud multò post ad unum omnes declinabant fugiebantque, quòd & Proceres & Sacrificuli publico in ipsum & Sodalem edicto concepto, aquâ & igni interdixerint eis, subque capitali mulcta vetuerint ne quis audire illos, excipere, pascere utcumque tentaret.

448 Non erant barbaris illis tecta in unam Reipublicæ faciem composita, non Villæ, non Urbes assue-

assuetis degere inter montana, & cavernas incolere, ut subinde homines religiosi illos indagaturi, hinc inde vel inscendere prærupta, vel serpere cogerentur, irrito quidem & incassum labore, fugientibus aut latentibus miseris, Magnatum horrore perculsis, cæterà in Apostolicos viros pronis atque propensis. Ij animos neutiquam deposuère, incredibili quamvis corporis defatigatione lassati, nec alio usi cibario, quam frumento indico (Maizium dicunt) quod ipsi sibi è segete obvia rapiebant (videntibus & dissimulantibus heris) igneque torrebant, imminentem quotidie mortem exspectantes, integrasque noctes in precibus & meditationibus sacris ponentes, donec, Deo saxea Toparcharum corda emolliente, primùm cæteris permittere ut adesse concionibus Patrum citra piaculum & metum valerent, deinde ipsi quoque auditoribus adjungi cæperunt, tanto quidem successu, ut Fidei rudimenta capientes amplectentesque ex animo, salutaribus intingi aquis contenderent, nec in solenniorem demorari Baptisma diem vellent, uno sæpius hominibus centum & non nunquam quingentis ablutis. Scilicet, dæmon, qui familiariter cum illorum multis jam diu egerat, & quasi è Tripode loquebatur, pisce taciturnior evasit, ex quo tempore nostri ad Aras facere Sacerdotes exorsi sunt illa in Regione, & lustralibus aquis Indos aspergere.

449 Nostrum quidem illorum cathechesi deditum & institutioni christianæ Apostolico ritu, mirum non videbitur, si dicamus eximijs à Deo charismatibus præditum fuisse, ut quæ inter mirabilia jure recenseantur, patraverit; cujus modi sunt illa quæ & scripto firmata legimus, & gentis traditione munita. Nimirum die quadam Natali Domini sacra & votiva, Chilapæ primùm divina confecit Mysteria, deinde sex omnino leucis distans Oppidum Atliztac eadem ut operaretur adivit, & postremò Tlapam convenit novem à secundo dicto leucis dissitam Pago, ubi tertiò litavit; cumque singulis Missis longas adjecerit appendices concionandi, ministrandique Sacramenta; meridie tamem isthæc omnia absolverat, quadraginta quinque milliaria pedes confecerat, confragrosa & asperrima, si quæ sunt toto Orbe terrarum, prætervolans, quæ porrò non nisi triduano itinere hodieque à citissimis viatoribus trajiciuntur. At enim, ut id genus alia prætermittamus, tot ille cum Socio populos à Chilapa & Tlapa ad littora usque maris Zurij sacrâ inspersit doctrinâ, omnique diligentiâ curavit, quanti deinceps 32 Religiosi & Clerici, duodecim Ecclesijs Parochialibus dati, ministeris suis excolunt.

450 Nec chistianis dumtaxat

xat moribus efformandos suscepere, sed effingendos etiam humanis ritibus & politica societate, traductis è saltibus & tescuis efferatis hominibus in Oppida, tam ex arte & ad lineam condita, ut mox in Urbes excreverint despicatui neutiquam habitas. His Noster tandiu immoratus est, quandiu Familiæ Rectoribus visum fuit Mexicum hominem advocare, cujus operâ aliter uterentur. Theologiæ videlicet è Cathedra docendę admotum, uti Ægydius Gonzalez Davila scribit; sexagesimo decimi quinti seculi anno veniente coactisque Provinciæ comitijs Oculmæ, ut apud Grijalvan legimus, ad clavum stare consentientibus suffragijs Patres gravissimi decrevere. Ubi Provincialis fuit renunciatus, ferventi Sodales concione ad Apostolica hortatus munia, quibus hactenus incubuerant, rebus ipse publicis consulturus & Indorum institutioni, atque Ordini suo juxtàque Dominicano & Franciscano, utriusque Provincialibus comitem sedit in Hispaniam ituris.

451. Vix eò accesserant, cum Hispali Noster ab Catholico Rege destinatum cognovit se in Episcopum Popayani, quæ Provincia sedet in novo Granatæ Regno, Meridionalis Americæ portione nobilissima. Multis quidem egit, splendidum ut refugeret munus, atque à se onus illud deprecaretur. Paruit tamen obedientiâ ductus, cõsecratusque Mantuæ Carpentanorum anno 1562, statim ac licuit suæ se Ecclesiæ regendæ dedit, quam totis annis viginti ad instar primitivæ Ecclesiæ Patrum sanctissimè administravit. De austeriori, quam ad id tempus traduxeret, vita, nihil remisit, indusio nunquam amictus, sed laneâ tunicâ; nec calceis usus, sed cannabaceis nudos ceteroquim pedes utcumque fovens: arctus illi, impolitus, & è vili materia, pro more Sodalium qui Mexici agebant, habitus: decubitus plerumque super tabulam & stragulum geminum: abstinentię verberationesque in hebdomadam multæ, ut Sociorum item mores ferebant: neque enim antiquius habuit aliud, quam ut initam Mexici vivendi rationem ad extremum duceret, optimisque Recollectæ Provinciæ illius institutis ac documentis pergeret, quæ etiam in docendo, hortando, concionando tertio quoque verbo adhibebat. Sacramenta, aliaque Ecclesiastica ministeria perinde agebat, ac si parochialibus adhuc munijs Chilapæ insisteret, aviaque Tlapæ & contermina pererraret. Baptismo suis ipse manibus innumeros propemodum abluit. Idola ijsque destinata colendis delubra, quæ nondum everti potuerant, disjecit, proque imperio cum dæmone agens, quam longissimè proscripsit & amandavit. vaster-ri-

rimum ac teterrimum hostem.

452 Strenuam Dei promovendo cultui operam dedit, Ecclesiæ nitorem, munditiem, inque divinis officijs, quibus aderat frequentissimè in choro, gravitatem atque modestiam in delicijs & curis habens. Popayami Cœnobium pro sui Ordinis Religiosis à fundamentis condidit, in quod receptus & ipse, communia cæteris peragebat officia, ipsos in triclinio comitatus & choro, Episcopum insimul agens & Religiosum. Pro sacris Deo Virginibus Monasterium item erexit S. Nicolai de Tolentino nomine insigne, queis Patrem se præstitit & Magistrum, eximio earum in christianâ virtute profectu. Adhæc, in alijs largissimus eleemosynis, eos in primis pauperes arctius complectebatur, qui erubescerent mendicare, quibus subinde appositum sibi panem libentissimè partiebatur. Singulis noctibus pecuniarum rationes subducebat, ut quæ superessent, egeno consignaret alicui, earumque spoliatus, quantum posset, dominio, cubitum iret, charitati juxtà invigilans paupertatique. Quam hæc Deo essent placita cæcis etiam patuit clarissimè eventu mirabili. Lustrante enim Diœcesim, domoque apud Timana, in qua hospitabatur, conflagrante, ubi ipse Indorum humeris asportatus, ceu Anchises Æneæ dorso subnixus, incendium effugerat, ne flammas repetere vererentur, eos monuit, pollicitus incolumes evasuros, ut stragulam, pauperem cæterà, gemina tamen informis auri lamina, exiguâ licet, divitem, secum defferent, subsidijs Monialium & descriptorum in charta pauperum destinatam; cui obsequentes adhortationi, illæsi penitus evasère, mirantibus, qui aderant, & qui audierunt postmodum cunctis.

453 Nec intra ditionis tantum terminos suæ, religiosæ monumenta pietatis & benignitatis excitavit, sed longius progressa apud Hispanos voluit & Mexicanos, donatis Salmanticensi Conventui 14 millibus ducatorum pro extruendo Collegio, & septem millibus pro Complutensi; Mexici autem & Angelopoli institutis ad Monasteria Ordinis perpetuis in Missas reditibus. Difficile subinde creditu memini erit quod gravissimus vir Illmûs. D. D. Joannes Diaz de Arze, geminis & fide dignissimis testibus asseverat in Proximo Evangelico tom. 2. lib. 3. cap. 15. f. 41. col. 2. Augustino scilicet nostro Urbem S. Fidei apud novum Granatæ Regnum inscijs omnibus ingrediente, sua sponte æs campanum omne festivo hilarique tinnitu insonuisse, perinde quasi dilectum Deo & hominibus Præsulem salutaret, excipiendumque humillimum præmoneret. Concilio Limensi II Provinciali anno 1567 celebrato adfuit cum

cæteris Regni Coepiſcopis pro recipiendâ Generali Synodo Tridentina, tum etiam pro cultu Dei, Diſciplina Eccleſiaſtica, ac Reformatione morum curandis: atque hujus Acta & Decreta Concilij legitima & promulgata fuiſſe dicitur Actione ſecunda tertij item Limenſis S. Turibio Præſide habiti anno 1582, quod communiter Primum audit, ſcilicet ex editis, uti advertit Cardinalis de Aguirre, in ea quam ei præfixit Monitione adLectorem tom. 4. Collectionis maximę Conciliorum Hiſpaniæ & Novi Orbis pag. 232.

454 Noſter cujus profuiſſe multum operam Synodi actibus non ambigimus, plurimam item poſuit, ut Eccleſiæ Immunitas ac Libertas ſarta tecta conſiſteret, & hanc ob rem prædura paſſus eſt & graviſſima, exulare compulſus, & ditione egredi ac Eccleſiâ ſuâ, Præſidis & Auditorum Regij Juridici Conventus mandato, quibus tamen carò nimis ſtetit Edictum: nam & Præſes non multò poſt ad plures abijt, Deo rationem ſacrilegi ſceleris redditurus, & qui inter apparitores eminebat, ſanctumque Præſulem comprehenderat, ſolumque vertentem affectabatur, obijt in ipſo itinere, & Auditores deinde honoribus excluſi & poteſtatibus,eis reſtitui nunquam valuère, infelicem ducentes vitam, Philippo II Catholico Regę noſtro graviter & indignè factum habente, audaciamque hominum ſcriptis litteris exprobrante. Porro Noſter, qui de Regiâ conſcius voluntate Religioni apprimè conſentanea & Pietati Juſtitiæque, abuti Miniſtros umbrâ illius ac Majeſtate noverat, Primicerium ut audivit Senatus Conſultum ipſi Regio intimantem nomine, Decretique Seriem excepit totam, qua decet in Supremum Principem reverentiâ, chartam demiſſiſſimè oſculaturus, munitam ſubſcriptionibus vidit, Eccur, inquit, impoſuiſti mihi? Qua fronte Edictum eſſe, quod legiſti, Philippi Regis aſſeverabas, cum ſit illud tamen Licenciati Cañaberal? (hoc enim erat Præſes cognomine) Perinde quaſi ſalibus iſtis ac lepôre ſugillaret & miraretur hominum petulantiam, qui Regis authoritatem iniquiſſimè adverſus ejuſdem religioſiſſima placita detorquerent.

455 Utut tamem, digreſſus à ſuis, in Cœnobium Quitenſe Ordinis S. Auguſtini ſe tranſtulit, bienniοque detentus ibidem, ædium partem minimè exiguam, cellis officinisque conſtructis adauxit, Sacrario paramenta dedit, grandeque & Catholico ritu ſacratum æs campanum in publicam Turrim. Hinc, rebus tandem pacatis, ſedem ut repeteret ſuam egreſſus, cœleſti quidem propior, in hanc tandem evolavit fauſtiſſimè, uti facilè & pronum eſt credere, teſtatique ſunt proprijs ſe oculis conſpexiſſe Reli-

ligiosi Prædicatorum Ordinis Popayami morantes, cùm tamen ille vitam clauserit Timiamæ apud quod diverterat Oppidum anno 1590. Religionis 60. Episcopatus 20. Miraculis etiam post obitum inclaruisse Authores sunt ij, quos statim dabimus, è quibus primùm nominandus adjicit, curruptionis expertem demortui corpus fuisse, quo tempore effossum elatumque fuit è commodato à Timiamensibus in proprium ad Popayani Ecclesiam sepulchrum. Acta ejus habentur apud M. Ægydium Gonzalez Davila in Theatro dictæ Ecclesiæ f. 75. col. 2. & f. 76. & apud M. Grijalva in Chronicis Augustinianis Hispaniæ Novæ, ætate 2. cap. 19. fol. 96 col. 4 & sequentibus: prætereaque fol. 8. col. 3. fol. 13 col. 3. & 4. fol. 14 col. 1. fol. 19 & 20. itemque 24. col. 2 & 94. cap. 18. per totum. Meminit etiam ejus M. Bassalenque in Historia Provinciæ Augustinianæ Michoacanensis fol. 47 col. 1. & laudatus supra Illmûs. Diaz de Arze. Item F. Hieronymus Roman in Chonicis Ordinis Heremitarum S. Augustini Centuria 12. ad annum 1562. fol. 130. col. 2. Nec non F. Stephanus Garcia in Vita S. Thomæ Villanovani cap. 14. fol. 31 col. 1. Scripsit.

Tractatus de Fide, Spe, & Charitate,

Ut citatus Ægydius habet. Præterea, quam legerat M. Grijalva, cujusque memoriam habet pag. 14. col. 3.

Historicam narrationem Expugnationis Provinciæ de Chilapa & Tlapa.

Nec dubitamus, absolutum ab ipso fuisse Opusculum, quod præ manibus habuisse perspicimus in Actis Capituli Provincialis à Grijalva relatis fol. 19 col. 1. scilicet,

Doctrinale, seu pro tradendâ Indis Christianâ doctrinâ methodum expeditam.

456 Fr. Augustinus de Cuellar, cujus Natio & Patria nobis est hactenus incomperta, quamvis Hispanum dicat Bibliotheca Franciscana, quæ Americanos ab Hispanis oriundos Hispanos item nominat, nec immeritò, minus tamen ad institutum nostrum appositè, quòd istos ab illis secernit, non sanguine quidem & genere, sed natali solo. Mexicanus certè Domicilio, & Professione Observantibus Religiosis Seraphici Ordinis Provinciæ S. Evangelij junctus, majorum acta Sodalium posterorum commendata memorię voluit, scripto, quem in schedis reliquit, Libro exponente

Fundationes Seraphici apud Novam Mexicum Ordinis, Vitasque Illustrium ibidem Custodiæ florentium virorum, ac Martyrium PP. FF. Martini de Arvide, & Francisci Letrado, quod annis 24 & 29. seculi proximè præterlapsi subierunt.

Operis hujus meminit, quòd sibi

bi usui fuisse fatetur pro ijs quæ condidit, F. Augustinus de Betancurtius, in sillabo Monumentorum Mss Theatro Mexicano post indicem editorum pręfixo. Meminit item Bibliotheca Franciscana tom. 1. pag. 146.

457 ILLMUS. D. M. D. F. AUGUSTINUS DAVILA PADILLA, Natione Mexicanus, genitore Petro Davila, Matre autem Elisabetha de Padilla, quæ genus ab Expugnatoribus Mexici, primisque colonis deduxerat, in ipsa Imperij Americani capite Urbe ortus est labente anno 1562. Ætatis 4. precoci rationis usu multis erat admirationi, forsan inde præsagientibus magna, insigniaque in posterum sperantibus. Nec verò augurijs sibi imposuisse vanis ij pręstò dixere, ubi ille duodecimum vix annum egressus, non modò Grammaticâ imbutus fuerat atque Rhetoricâ, sed florebat quoque Eloquentiâ, & Historię Antiquitatisque peritiâ vernabat. Facili subinde negotio callentissimum Philosophię laureâ Baccalaureatus 13. ætatis anno, Magisterij 16 infulis Universitatis Mexicana, communi doctorum hominum plausu donavit, Aulisque Theologicis libentissime excepit, sacrâ perpoliendum doctrinâ, ut omnigena dives esset eruditione. Erat jam tunc ille virtutis percupidus, Sacramenta frequenti & devota susceptione colebat; Deiparentemque Virginem, Rosarij præsertim titulo deperibat, cujus equidem religionis fructum beneficio in paucis celeberrimo expertus fuit: labante siquidem, quam incolebat, domo, disjectisque cubiculi, in quo erat, parietibus, contignatione obrutus & ruinâ, Parentem Dei, suique dilectissimam Protectricem in auxilium sibi evocavit, cujus ope intra fenestræ cavum receptus, incolumis prorsus evasit. Vota eam ob rem nuncupavit, cùm recitandi quotidie virgineum Psalterium, tum etiam ejusdem evulgandi magnalia, ac Prædicatorum Ordinem ingrediendi. Et quòd ad postremum attinet 19 Novembris 1579 exsolvi eo cæpit habitus susceptione, solutusque est plenè cum expleto tyrocinij curriculo, alijs se religiosis votis adstrinxit in Mexiceo Monasterio, quod S. Jacobi Provincię Primarium est.

458 Philosophiam Sodales docuit, mox etiam Theologiam & Mexici & Angelopoli professus, Magisterij gradum promeruit, quo tandem inclaruit. Nec porro Cathedris occupatus regendis, Pulpitis se subtraxerat, imò ijs juxtà illisque deditus, egregium in oratoria sacra nomen præsetulit, memorque pristini, quo se religaverat, voti, totus erat in dilaudandâ Virgine Matre, ejusque Rosarij Mysterijs pandendis, celebrandis, & in auditorum animis sculpendis. Adhæc, exemplis, consilijs, hortationibus egit,

egit, ut Religiosi Provinciæ suę globulos precatorios ad collum defferent palam expositos, quem ut in mores usum induceret, offendicula multi equidem momenti, pietate eloquentiâque superavit, Rectorem Familiæ Magistrosque in solenni consessu ea de re assidentes, eo usque perurgens, donec enciclycis litteris circum Provinciam omnem datis, injunctum Socijs fuit, pientissimum ut proni adversus Deiparentem animi signum, ceu gentilitiam tesseram, aureo quovis illustriorem vellere, coram exponerent, atque à Mexicana in cæteras Hispaniæ Novæ Provincias Ordinis religio isthæc deinceps promanavit, quæ etiam apud Insulas Philippinas increbuit. Modestus erat admodum, &, qui decent in clientelam receptum Immaculatæ Virginis, castissimis moribus, adeo ut provocatus vafferrimè, illicijsque ad impudicitiam tentatus, fuga sibi consulens, immotum se præstiterit & labis expertem.

459 Pro censuris Theologicis, Librisque examinandis institutus ab Apostolico Fidei Mexiceo Consistorio, his exactissimè defunctus muneribus, de Catholica Ecclesia benemeritus fuit, & cùm à Quæsitoribus, tum etiam ab alijs gravissimis viris laudes tulit egregias. E Conventus Angelopolitani Priore, Deffinitor ad generalia Ordinis Comitia, Procuratorque in Hispaniam dimissus, Europæis acceptissimus viris fuit, dicendique in primis facundiâ & gloriâ clarus, à Pincianis Sodalibus apud insigne Divi Pauli Cœnobium Concionator fuit nominatus, unicusque & eximius quo tempore inter illos diversabatur, magno auditorum emolumento, qui non modò applaudebant dicenti, sed verò etiam reformatis moribus occinebant. A Philippo III, tunc Hispanię potiente, Regij Ecclesiastes titulo adauctus habitusque plurimi, non minoris à Regni Dinastis est ductus, quibus ut appensam ad collum piacularemCoronam intuentibus manifestam deferrent, persuasit, & assecutus est. Atque ut erat in rebus Indorum priscis juxtà & recentibus, si quis ullus, eruditissimus, scribendique stilo felicissimus, Chronographus Indiarum ab eodem destinatus Monarcha fuit.

460 Similem ut obiret Provinciam, adornaretque totius Historiam Prædicatorum Ordinis qua Mexicanam Sanjacobeæ methodo nuper ediderat, Generali arrisit Magistro anno 1597, qui propterea Litteras ad Provincias mandavit, ut gestarum rerum monumenta, sua quæque, ad Augustinum nostrum amitterent. Et jubenti Præsuli latissimè per orbem effussi Sodales obsecundarunt, Nostro vastissimam pro Historia materiem accipiente, seque ad immensi Opus moliminis præparante, quod tamen immatura

mors intercidit. Demum anno 1599 pro eximijs, queis pollebat dotibus, Archiepiſcopus Hiſpaniolæ deſtinatus à Rege, ſub indeque Americæ Primas, ineunte primo ſequentis anno ſeculi Apoſtolicis Clementis VIII Litteris acceptis, conſecratusque, in ſuam mox Eccleſiam tranſmiſſit. Quadriennium in ea excolenda duxit omni clarus virtute, in primis autem charitate in pauperum eleemoſynas efuſiſſimâ, zelo divini honoris ſalutisque animarum egregio, nec minori juncto prudentiæ comitatique & humanitati, qua & Clericos & Religioſos homines, & cæteros gregis complectebatur. Auctus licèt Pontificio honore, religioſis neutiquam moribus diminutus, cellam ſibi apud Cœnobium Prædicatorum Ordinis ſui delegit, quo libentius uteretur hoſpitio quam amplo Palatio. His pro inſtituto ſuo deditum, multisque ſcriptionibus apparandis, præpropera mors ſubſtulit 42 annum agentem, quarto præteriti ſeculi.

461 Paucis ab obitu diebus, Eccleſiæ ſuæ Clerico pijſſimo, dignitateque ornato, nocturno tempore altaria, ut uſu tenebat, Cathedralis Baſilicæ viſitanti, pro que defuncti nuper Archiepiſcopi anima preces fundenti ſpectandum ſe dedit, Pontificijs quidem ornamentis indutum, nudis tamen pedibus, & igne cruciatum, quo ut levaretur, cæterisque expiatorijs pœnis, Sacra in optatis habere ſe, petereque inſtantiſſimè Eccleſiaſtica ſuffragia ſignificavit. Poſtera die, & ipſe qui hæc exceperat, ad aras fecit, & ut alij ſacris etiam operarentur tempeſtivè curavit, quibus vita functus Præſul ſubſidijs Purgatorio exemptus carcere evolaret in cœlum. Nec mora, nam ſequenti proximè nocte eidem rurſus Sacerdoti ſiſtitur Archiepiſcopus grates perſolvens, quòd extremis hiſce tandem ſuffragijs æterna fuerit in cœleſtibus requie potitus.

462 At enim prius quam ſcripta recenſeamus, placuit ſplédidum, quod ei texit elogium vir Clariſſimus D. Ludovicus à Paramo, Boroxenſis, Archidiaconus & Canonicus Legionenſis, Regnique Siciliæ Fidei Quæſitor in Opere à ſe eruditiſſimè elaborato, *De origine & progreſſu Officij S. Inquiſitionis*, Matriti edito in Typograhia Regia anno 1598. Libro ſiquidem 2. cap. 12. n. 20. pag. 241. inſignis meriti Cenſores Fidei Mexicanos commendans, hæc de Noſtro habet: *Magiſter F. Auguſtinus Davila Padilla, Sacræ Theologiæ peritiſſimus vir, Evangelicâ eloquentiâ & oratione diſſertiſſimus, ac doctrinâ & morum probitate conſpicuus, & ſuper omnia diligentiſſimus Indicarum rerum indagator, qui Librum Hiſtoriæ Provinciæ S. Jacobi Mexicanæ ſtilo felici conſcriptum edidit: quique nobis lumen attulit ad Inquiſitionis Peruvienſis ſcriptionem.* Hactenus ille,

ille, cui multa occinunt alij, scilicet Hieronymus Ghillini in Theatro *di litterati* italicè edito, de Augustino inquiens: *Il famoso dicitore dell' età sua à nissum altro secondo*: *h. ê. Clarus ætatis suæ Otator, secundus nemini.* Fontana Dominicanus, in Theatro suo, & ejusdem Familiæ Lopez, Historiæ generalis p. IV lib. 4. cap. I. pag. 789, Fernandez, in Historia Ecclesiæ nostri temporis. D. Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispaniæ Nova t. 1. p. 137. Ægydius Gonzalez Davila, in Theatro Ecclesiæ Hispaniolæ p. 266. Leon Pinelus in Epitome Bibliothecæ Occidentalis, editionis Madritanæ novissimæ tom. 2. col. 622. 739. & 751. Illmûs. D. D. Joannes Diaz de Arze in Proximo Evangelico lib. 2. cap. 5. fol. 116 col. 1 & 2. & F. Alphonsus Franco, Dominicanus, in Historiâ Provinciæ suæ Sanjacobeę Mss, è qua Nostri illustriora hausimus, & quę cœteros ejus laudarores fugerunt: habentur autem lib. 1. capp. 52 & 53 hujusce Historię, quę asservatur in Archivio Mexicani Conventus. Scripsit Noster jubente provinciali Mexiceo Capitulo anno 1589 celebrato, ediditque hispano sermone,

Historiam Provinciæ S. Jacobi Mexicanæ Ordinis Prædicatorum. Matriti, 1696. in quarto, Authore ipso pręsente, quæ tamen editio oculos bactenus nostros fugit. Alteram habemus præmanibus Bruxelensem, typis Joannis de Meeberck anno 1625. in fol. pp. 654. Tertia quæ à Nicolao Antonio refertur, itemque à Leone Pinelo in Bibliothecâ nuper relatâ col. 622. alium eidem operi titulum dedit, scilicet

Varia Hispaniæ Novæ atque Floridæ Historiâ. Pinciæ 1634. in folio.

Porro Critici Galli *Scriptores Ordinis Prædicatorum* eruditissimè juxtà & dilucidè colligentes, tom. 2 ad annum 1604 pag. 351 ubi de Nostro verba faciunt Historiâque mox à nobis relata, subjungunt: *Hanc autem ibidem ingenuè fatetur noster Augustinus à Fr. Andrea Moguer ejusdem Provinciæ alumno ante annos 40 inchoatam fuisse, tum & à nostris Vincentio de las Casas & Dominico ab Anunciatione prosecutam, quam Thomas Castellar etiam latinè reddiderat.* Hæc ubi legimus, è re nostra putavimus, explicatius *ingenuam* illam Nostri *confessionem* legentibus aperire, historiamque omnem illam insimul vindicare. Videbitur enim forsan alicui, uti Gallis Criticis visum existimabit, Augustinum non unum Operis fuisse Authorem, qui citra ęquuleum & tortorem fassus fuerit tres ante ipsum eidem adornandæ insudasse. Absit tamen quam longissimè cogitatus, in quo Criticos Doctissimos hæsisse non credimus, minus tamen quam oporteret explicate locutos existimamus: Hanc inquientes Historiam

riam pridem ab alijs Authoribus inchoatam & prosecutam fuisse. Ut enim mutuatis à Logicæ Professoribus utamur formulis, *hanc specificè* & primum Authorem habuisse Moguerium, & continuatores Vincentium & Dominicum, atque Interpretem Castellarium, Noster sine fidibus, ut ajunt, fatetur, cui nos itidem confessioni penitus assentimus. *Hanc* verò *numericè* ab illis profectam obnuimus ac pernegamus, nec Augustinus ipse nobis confessione illâ suâ refragatur, testatus ibidem Procemij, Monumenta, quæ diximus, omnia perspexisse quidem, at enim majorem partem ad lydium examinis lapidem consultis superstitibus testibus revocasse, tum verò, institutâ rigidiore criticâ, Historiam à capite ad calcem universam calamo suo & stilo duxisse. Certè sapientes Viri, hanc ipsi injungentes Provinciam, queis pristina Sodalium scripta nota erant; non actum agi recoquique crambem eâdem & repeti sibi voluerant, imò integram & ex arte historicam narrationem institui, superque fundamentis antiquis extrui, quam felicissimis ac nitidissimis Noster sic graphijs ornavit, fastidiosis etiam ac morosis ut satisfecerit, optaverintque proinde Ordinis universi Rectores sui, & in mandatis dederint, ut non absimilibus elucubrationibus totius Prædicatorum Ordinis res gestas exponeret. Atque ut ijs nos verbo expediamus, sunt & in Historia & in Facultate omni ejusdem argumenti plura volumina à diversis Authoribus cusa, quæ tamen & methodo & stilo & adjectis aut illustratis rebus varia merito & ipsa habentur, nec ea singula Scriptori tribuuntur, qui primus ornavit spartam. Et hæc quę pro *ingenua* illâ Nostri *confessione* monuimus, quibus Provinciæ Historiam suæ sibi ipsi asseruimus, dicta pariter sunto, ut nihilo minore jure scripsisse dicamus

Historiam Indorum Antiquitatis.

Cujus P. Alphonsus Franco meminit indicato superius loco. Nam & si exquisita & abstrusa gentis Monumenta pro scriptione paraverat Dominicanus alter eruditissimus F. Petrus Duran Texcucanus, illis tamen usus industriè ac scientissimè Noster rebus, ad normam & perpendiculum collocatis pulchroque ac virili, quo pollebat, stilo donatis, Librum condidit amœnissimum, qui tamen aut unà cum Authore sepultus fuit, aut, quod prænominatus habet M. Franco, in eorum manus venerit, ut & cætera Augustini, quæ indicabimus Mss, qui nullâ habitâ Authoris ratione, gloriam sibi plagio aucupati fuerint. Sunt autē inedita illa.

Variæ Tractatus eruditionis.

Conciones ad mores & panegyricæ.

Theologiæ Scholasticæ Disputationes variæ.

Ad

Ad Positivam spectantes lucubrationes.

Extat edita

Oratio Funebris habita ab Authore 8 Novembris anno 1598 pro justis solvendis in majori Pincianorum Ecclesiâ Magno & Catholico Hispaniarum Regi Philipo II.

Habeturque in Libro, qui funebria eidem Monarchæ per Hispanias soluta complexus elogia prodijt typis Clementis Hidalgo Hispali 1600. in quarto. Quem ad famosam Paulianam Mexiceam S. Augustini Bibliothecam vidimus.

Ad calcem Librorum, quos vel publicæ dedit luci, vel ea dignissimos ad Cleantis lucernam elucubravit, subnectere placet, nomine ipsius & jussu flammis adjudicatos alios. Scilicet datus Hispaniolæ Archipræsul, Ecclesię Decanum D. Nicolaum de Anasco Diœcesim lustraturum dimissit, qui huic intentus negotio Bibliorum Sacrorum Exemplaria 300 invenit hispano illa edita sermone, &, quod longè erat execrabilius, ac cane pejus habendum & angue, Lutheranis glossis donata & similis hominum furfuris. Porro duplici proscripta capite volumina in rogum ad circum Insulę maximum injecta, in cineresque redacta, capitalem veteratoribus, qui illis insudaverant, pœnam in tenebriones ab Ecclesia latam, bono in lumine collocarunt.

463 M. F. AUGUSTINUS DORANTES, Natione Mexicanus & Patria, Ordinis Predicatorum in Provincia S. Jacobi ornamentum sua ætate fuit & decus egregium. Philosophiam Theologiam que multo cum sapientissimorum hominum plausu docuit, Magisterijque apicem retulit. Domesticis non modò auctus honoribus, & percharus sodalibus, exteros toto Novæ Hispaniæ Regno præcones habuit eruditionis, pręsertim in Theologicis & Juridicis rebus, eximiæ. A Quęsitoribus Fidei inter Sacros adscriptus Criticos, multum diuque in gravissimis causis versatus fuit maximique habitus. Consulebant illum in arduis negotijs Docti pariter & indocti homines, quibus ipse humanissimè dabat responsa. Adhæc concionatoris munere etiam præclarus, è sacro in gravioribus festis suggestu dicebat auditoribus quibusque pergratus, gratior tamen nunquam quam ubi in laudem purissimæ Conceptionis Virgineæ Panegyrim ornatissimam habuit solennissimi causâ festi à Cœnobio instituti Mexiceo suo, quòd recens tunc edita ab Alexandro VII fuisset Apostolica Constitutio *Solicitudo omnium Ecclesiarum.* Isthæc ut absolveret onera, professioneque juxtà & studiosissimo genio faceret satis, instructissimæ Bibliothecę hęrebat, libris secundum sacra & religiosa pensa, quibus primas dabat, unicè delectatus, ut subinde ejus apud eru-

eruditos nomen ad ætatem usque nostram insigne sit. Editum ab ipso Opusculum hactenus invenisse nullum dolemus, doctissimaque elucubrata ab ipso Mss latere nos, id unum à gravissimis testibus accipientes, multa ipsum condidisse

Philosophica,

Theologica, cùm Scholastica & Moralia, tum etiam Dogmatica,

Et Concionatoria.

Ejus meminere P. Joannes Antonius de Oviedo in Vita P. Antonij Nuñez pag. 21 egregiâ cum laude, & P. Didacus de Ribera in Diario die 10 Septembris anno 1662. quod extat in Oratoriana Mexicea.

464 Fr. Augustinus Farfan, Natióne, ut conjicimus, Mexicanus & Patria, postquam diligentem Medicinæ excolendæ operam dederat, Doctoratusque apicem Apollineum tenuerat, in Ordinem S. Augustini Provinciæ Mexicanæ receptus, edidit hispano sermone

Tractatum de re Medica brevem, deque morbis omnibus. Mexici, apud Hieronymum Balli 1610. in 4. Hanc, quam ad S. Jacobi de Tlatelolco Franciscanorum editioné invenimus, secundam credimus, quæ accessionibus ditior novis inscribitur; prima verò quo sit loci hactenus latet nos.

465 P. Augustinus Franco, Natione Mexicanus & Patria, prænobili ortus stirpe, Societati JESU se addixit, in qua solennia demum quatuor vota Deo nuncupabit. Goatemalæ Urbe primaria amplissimi Regni primùm floruit, post traditam Philosophiam, Primariæ admotus regendæ Cathedræ Theologiæ, Præfectusque Studijs Collegij florentissimi Familię suæ, quod id temporis publica Universitas habebatur. Ab ejusdem Diœceseos Pontifice Examinator Synodalis fuit constitutus, & à sapientibus viris multi æstimatus. Mexiceis restitutus Ædibus, Sodalitium à Salvatore nostro nuncupatum, in Domo Professa nobilissimum rexit ac frequentissimum, ad quod singulisDominicis diebus piè juxtà & doctè è sacro suggestu dicebat, nec minus à Mexicanensibus doctis & gravibus hominibus fiebat quam dudum à Goatemalensibus fuerat habitus. Edidit dictum à se idiomate hispano apud Primarium Prancisca-norum Templum Goatemalense

Sermonem de Canonizatione S. Petri de Alcantara ejusdem Ordinis. Mexici, typis Lupercianis anno 1673. in quarto. Habetur tom. 100. Collect. nostræ.

Cæteras ejusdem *Conciones & Tractationes Philosophicas* ac *Theologicas* Mss præteritas facimus, nullibi à nobis visas, de quibus tamen conditis nullus hæret scrupulus.

466 D. Augustinus Franco de Toledo, Natione Mexicanus, ortus est Mexici, avitisque do-

domus insignibus clarus, eximiâ se illustriorem eruditione præstitit. A téneris Grammaticam exorsus, ejusque præceptis imbutus & usu, Rhetoricam excoluit, Philosophiæque operam dedit. Mox vastissimam utriusque provinciam Juris aggressus, felicissimo successu Civilis infulas in Academiâ patriâ sibi delegit, quas studijs & jugi excercitatione meruerat. Candidatum pro regendis Cathedris egit, atque ut erat nihilo minore in sacris peritia sanctionibus, quam in prophanis Legibus, Clementinarum Professor renunciatus, deinde Imperialibus explicandis Institutionibus Moderator est datus. Interea loci, Forum peræque frequentabat & Academiam, inter primi nominis Patronos causarum relatus, inquisitusque sæpissime à clientibus, tantique à Doctoribus habitus, facilè ut in gravioribus ejus opinioni defferent ac sensui.

467 Ad altiora vocatus subsellia, Auditoris Regij in Mexiceo Areopago tandiu functus munere fuit, donec, invidentibus fatis, deturbatus, sublimiorem, eximiâ animi demissione, patientiâque egregiâ, sedem nesciam vicissitudinis procuravit. A tumultu negotiorum abductus, Deo quietius & animæ vacaturus, sacras Ædes prona in Cœlites religione quærebat, & quod reliquum erat temporis lectioni studioque dabat assiduo, Libris, ut usu tenuerat, quibusque perpetuum inhiarat, unicè delectatus: & certè Bibliothecam selectissimam jam diu instruxerat raris etiam inventu codicibus, & sumptu carioribus voluminibus: Kircherianis, Caramuelanis, & similibus, à quibus magnam eruditionis & politioris litteraturæ supellectilem comparavit, ut subinde non Jurisprudentiâ tantum insignis, verùm in Mathematicis & pulcherrimis disciplinis peritus evaserit. Scripsit, non tamen edidit

Commentaria in Clementinam de Magistris.

Commentaria in Clementinam de Privilegijs.

Commentaria in Clementinam de Sententia Excomunicationis.

Commentaria in Titulum Instit. de Justitia & jure.

Commentaria in Titulum Instit. Quibus modis jus Patriæ potestatis solvitur.

De quibus Commentarijs testes habemus Academicos Libros Antecessorum lectionibus destinatos.

Opus sub extremam ætatem elucubravit, cedro dignum, floridissimæ Guadalupanæ Mexiceæ Deiparentis Imagini illustrandæ, cùm insinuatis Historiarum quæ de ea sunt, receptissimis Monumentis, tum etiam petitis ab utroque Jure rationum fulcris, queis bono in lumine collocatum insigne in paucis habeatur Virgineæ Picturę miraculum, duobus

bus retro ab hinc ſeculis apparente Imagine in telâ caducisſimâ coloratâ, natum, in diesque perennans, incorruptâ perſtãte in ſolo lapidum, ferri, argenti, & auri etiam edace. Operis titulum non adducimus, quem forſan non præſeferunt Codices (nec enim legere eos nobis licuit, apud tabellaria, ut remur, Palatij recluſſos) nec conceptis indicant ipſum verbis qui ejus memoriam habent D. Patricius Lopez, Indus prænobilis juxtàque eruditus, Linguarum Regio titulo Interpres, in Mss Compendio exhibente Indicem Monumentorũ Equitis D. Laurentij Boturini. Isque in Catalogo ſuo edito Muſæi Hiſtorici Indici pag. 88. § 35. n. 10. qui tamen facili ęquivocatione, memoriæque lapſu *Franquis* pro *Franco* ſcribit. Sunt autem, ut mox dictus Patricius teſtatur, carthacei faſces duodecim in folio, queis Opus involvitur, quod (ſubjungit ipſe) ſi ad extremum Author duxiſſet, ſuccum Guadalupanæ rei omnem expreſiſſet, cujus præterea argumenti deſiderari nil amplius poſſet.

Alia ad Forum & Scholam ſpectantia Opuſcula prætèrita facimus, quòd ubi ea ſint & qualia neſciamus, ſcientes tamen plura fuiſſe & admodum erudita.

468 D. Augustinus de la Fuente, Natione Mexicanus, Parentibus Indis, in ea Imperialis noſtræ Urbis regione natus eſt, quæ Tlatelolco etiamnum audit, quondamque Mexici, quæ proximè ſemper ſolo hæſerat, æmula fuerat, utriuſque partis civibus perpetuò inter ſe diſſidentibus & infenſis. Chriſtianis inſtitutus & politicis documentis à primœvis religioſiſſimis Franciſcanis, qui inbuendos etiam litteris Indos ſuſceperant in Collegio, quod à S. Cruce titulum habuit ad Tlatelolcum, ingenio illum præditum haudquaquam vulgari, alumnos inter ſuos eſſe voluere, tantosque ille in Latino ſermone progreſſus fecit, Rhetoricâ item & Philoſophiâ, ut Cathedram ibidem tenuerit, gentique ſuæ erudiendę operam, nec ſine fructu, dederit.

469 Ejus adhuc viventis elogium contexuit P. F. Joannes Baptiſta in procemio ad tomum ſuum primum Sermonum, quos mexicano idiomate typis dedit Mexici anno 1606, teſtatus, Magiſterio defunctum eſſe Auguſtinum, optimâque mente donatum, & egregiâ in materno idiomate, quod ditiſſimum eſt, eruditione proprietateque excelluiſſe: quam ob rem, & quòd ita graphicè & velociter litteras pingeret, ut nulli ſuorum hac in parte concederet, ætatem ſuam omnem in ſcribendo duxiſſe, eo utentibus Amanuenſi PP. Bernardino Sahagaum & Petro Oroz pro multis à ſe conditis Libris, ipſoque laudatore Joanne Baptiſta, cui tunc uſque per decennium adfuerat calamo excipiens om-

omnia, quæ ille typis dederat, nec pretio, nec numero pauca. Porrò cum isthæc Opera Mexicana dialecto composita, ab Typographis linguæ ejusdem ignaris, improbo quamvis labore, serò malèque aptari formis possent, Augustinus, si quis ullus, exoptans ea excussa videre, quæ tanta sui, Authorisque defatigatione fuerant ornata, versatili quo pollebat ingenio juxtàque manu, typographiam sic brevì percalluit, ut expeditissimè æneis luderet caracteribus, totumque fermè Sermonum Opus F. Joannis Baptistę proprijs ipse manibus adornaverit, nullis (quod in cultissimis etiam operis typographiæ desideres) mendis admissis, quæ aut morari lectorem possint, aut deturpare Opus, vixque levissimi momenti irrepentibus, quæ vel oculatissimum fugiant & in arte, quæ Dędalea planè est, exercitatissimum. Ipsius quamvis Operis, quod ejus extet nomine, non meminerimus, nihilo tamen minus ad Bibliothecam trahendum nostram existimamus, quòd non purum putum Amanuensem egerit eorum, quos diximus Authorum, sed verò etiam socium & coadjutorem se præstiterit eis pro multis idiomate Mexicano conditis voluminibus, cùm à P. Bernardino Sahagum, tum etiam à PP. Oroz & Baptista, è quibus postremo nominatus loco profuisse sibi Augustinum fatetur, non minus ac profuerant instituto suo D. Antonius Valerianus & D. Petrus de Gante, alijque Indi eruditi, à quibus Versiones bene multas Librorum accepit, conceptisque verbis, in grati animi significationem Proœmio supra à nobis relati Tomi palam exponit. Sahaguntino autem eximiam operam scribenti Mexicanè navavit, cùm multa alia, tum in primis duodecim spissa volumina elucubranti, quæ *Dictionarium maximum* sunt *Mexicei idiomatis*, vulgoque *Calepinum* audiunt, quòd celebri Latino Dictionario ab eruditissimo Augustiniano Ambrosio Calepino jam diu edito, Lexicon Mexiçanum Sahagũtini haud absimile visum fuerit. Petrum tandem de Oroz eâdem usum in multis linguâ, de quibus in loco sermo erit, non perfunctoriâ manu consilioque juvit, ut subinde egregia Nostrum laus maneat ab immortalibus monumentis, in quæ tanta eruditionis propriæ symbola contulit.

470 FR. AUGUSTINUS GARIEDER, è Cantabriæ natali solo in Mexiceam Urbem delatus, Ordinem S. Francisci in Provinciâ S. Evangelij amplexatus est, apud quam litteris efformatus, non pœnitendos fecit progressus moribus juxtà & religiosis institutis excolendis intentus. Philosophiam Theologiamque, quas altè imbiberat, è suggestu discipulis tradidit in Gymnasijs domesticis, è quibus in apertius theatrum deductus, Cathedram

Subtilissimi Doctoris Joãnis Dunsij Scoti moderatus est in Academiâ nostrâ Mexicanensi, & apud Senatum Fidei pro Censuris Theologicis fuit destinatus. Splendidis alijs in Provinciâ suâ honoribus fulsit & Deffinitorem agens & Angelopolitani Cœnobij Guardianum, queis defunctus muneribus, fermèque insimul vitâ, Mexici non ita pridem ultimam clausit diem, fratribus juxtâ acceptus & exteris. Edidit habitum à se idiomate hispano ad S. Dominici Imperialem Mexiceum Conventum Sermonem, cui titulum dedit sequentem.

Sacrum certamen altiorem inter sapientiam & demissam humilitatem amantissimi nostri Parentis & Inclyti Patriatchæ S. Dominici de Guzman. Mexici, typis D. Mariæ de Ribera 1748. in quarto. Legitur tom. 97. Collect. nostrę.

Mss ejus Sodales si evolverint, hîc adjiciant amabimus

Cursum Philosophicum.

Tractationes Theologicas,

Et

Conciones multas.

471 Fr. Augustinus del Hierro et Argora, Natione, ni fallimur, Mexicanus juxtàque Patria, Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de Mercede alumnus in Provincia Mexicanensi, atque in ea Prædicator Emeritus, tertiùmque Præsul Cœnobij & Sanctuarij à Remedijs dicti, edidit

Panegyrim de sacra Christi Domini è Cruce pendentis Imagine, quæ apud Zacatecanos multa colitur religione. Mexici, typis Hæredum Joannis Josephi de Guillena Carrascoso 1715. in quarto. Legitur tom. 99 Collect. nostræ.

In Schedis reliquit

Sermones multos.

472 P. Augustinus de Jauregui, Natione Mexicanus, prænobili Familia Mexici ortus, liberaliterque educatus, Societatem JESU in Provincia Mexicana juvenis petijt, in qua studijs se ita Humanitatis, Philosophiæ, ac Theologiæ exercuit, moribusque præfulsit, uti quatuor nuncupatis Deo votis Professos inter Patres jam diu claruerit. Grammaticæ tradendæ, Rhetoricæ itidem Mexici ad Liceum Familiæ Maximum, Discipulis multis incubuit, moxque Philosophiam in eâdem Palęstrâ per triennium è Cathedra docuit. Apostolica proprij Instituti ministeria, & apud Sanctandreanum quondam, & multis ab hinc continenter annis apud Domum Professam curat, in Oratoriâ Sacrâ facundus ac felix, pro Confessionibus & consultationibus frequenter quæsitus, ab ijs præcipuè qui se christiano ritu ad extremum agonem comparant. Largis in pauperes, è piorum censu eo uti cupientium ductore, eleemosynis notus, plures etiam Virgines, varijs Deo in Monasterijs sacrandas, multâ, imò integrâ quandoque dote juvit, atque ad pia alia opera non con-

consilio tantùm, sed manu egregiam tulit opem. Pergit etiamnum eisdem intentus, nosque propterea abstinemus elogijs, cæterà debitis, viri clarissimi, quòd & nostra cum ipso necessitudo vitaque ejus, quam diuturnam optamus ex animo, prohibeat. Scripsit

Poeticam pro Natalitio Domini, à Sodalibus excipiendi lusibus numerosis, Concertationem, Bombycis typo Puerulum exhibentem. Extat in libro ejus argumenti Opusculis destinato, ad annum 1715, in Bibliotheca Maximi SS. AA. Petri & Pauli Collegij.

Cursum Aristotelicæ Philophiæ S. Petro de Alcantara (in quem est insigni pietate) *nuncupatum*: à Summulis reliqua complectentem, quibus ille nostratum more integer absolutusque evadit. Extat apud nos Mss tomis 4 in quarto.

Resolutiones ad Quæsita Moralia. Quibus Author pro munere, cui incubuit, coram socijs Patribus satisfecit.

Conciones varij argumenti plures, Prolusiones latinæ, aliaque amœnioris litteraturæ Mss.

473 F. AUGUSTINUS DE LEDESMA, Natione Mexicanus & Patria, Ordinem Franciscanum in Provinciâ S. Evangelij amplexatus, ubi Philosophiam excoluerat atque Theologiam, sacro Pulpito frequentissimam dedit operam, è qua Prædicatoris Generalis & Emeriti titulum reportavit, Tertioque Pœnitentium Ordini præfuit. Reliquit Mss tomum idiomate hispano

Sermonum variorum in quarto, qui habetur in Bibliotheca magni Cœnobij Mexicani S. Francisci.

474 P. AUGUSTINUS MARIA DE LUYANDO, Natione Mexicanus, Mexiceis cunabulis usus, & domo multis clara stemmatibus, Jesuadum familię in Provinciâ patriâ, ubi primum per ætatem licuit, se innexuit. Amœnioribus excultus disciplinis, eas in publica SS. AA. Petri & Pauli Collegij Aula Discipulis multis exhibuit: Philosophiâque apprimè donatus atque Theologia, lauream, pro Sociorum ritu supremam emeruit quatuor Professione votorum, quæ non nisi probatis ac sapientibus viris decernitur, quique utramque Facultatem illam possint in publicâ quaque Universitate docere. Multa pro instituto ministeria gessit industriè, à quibus apud Californias præsertim obitis laudem equidem reportavit. Scripsit

Concertationem poeticis numeris peragendam in recèns nati Pueri Jesu memoriam Maligranati Symbolo expressi.

Habetur in Libris Argumenti hujus Opera complectentibus, ad annum 1727. in Bibliothecâ memorati supra Collegij Maximi.

Conciones item hispanas, Prolusiones latinas, & alia amœnioris litteraturæ.

475 P. AUGUSTINUS DE

Mesa, Natione Mexicanus, Sonoræ in Provincia natus, Mexiceam Societatis Jesu juvenis adijt, in qua moribus & doctrina clarus, quatuor votorum professione se religavit. Sexennium in Philosophia tradenda posuit, nam postquam Angelopoli Sodales & exteros triennio erudierat, eandem jussus spartam ornare, Mexici in Maximo SS. AA. Petri & Pauli Gymnasio triennio altero confluentibus auditoribus multis Aristotelica placita exhibuit. Ut erat tamen ad multa ingenio natus excultusque studio, alijs & alijs pro tempore & Superiorum jussione muneribus institit, donec ad sacrum suggestum Angelopoli destinatus, Præfectusque insigni ad S. Spiritus Sodalitio, huic immortuus fuit anno 1752. Scripsit

Philosophiæ Cursum Aristotelicæ, Summulis, Logica, Physica & Methapysica, Animastica, de Ortu & Interitu, deque Cœlo & Mundo Libris consistentem.

Circumfertur Mss ab ijs multis, qui docentem è Cathedra Augustinum excepere.

Plures item *Conciones*, quæ apud Symmistas suos opinamur stabunt, homine nuper fatis suis functo, & cùm à litteris, tum etiam à religiosæ vitæ moribus commendato.

476 D. Augustinus de Mora, vide sis F. Andreas a S. Michaele, cui adscripsimus Librum Augustini germani ejus fratris nomine editum de Inferijs Caroli II, titulo *Sol deficiens, &c.*

477 D. D. Augustinus Osorio de Salazar, Natione Mexicanus & Patria, juris Civilis in Universitate Mexicanensi Doctor, ejusdem Facultatis Antecessor Vespertinus, seu Cathedræ Codicis Moderator Perpetuus, non sine lite cum Doctore D. Gaspare de Chaves tractâ, fuit renunciatus anno 1605 die 16 Junij, quo fungens munere scripsit.

Commentaria in aliquos Justinianæi Codicis titulos.

Ejus meminit Plaza in Chonicis Academicis lib. 3. cap. 7. n. 27. & 29.

478 D. Augustinus Perez de Villareal Hernandez et Postigo, Natione Mexicanus, ortus Mexici, optime à pijs genitoribus educatus, animum ad studia litterarum admovit, Maximumque Societatis JESU Collegium pro Latinitate haurienda, moxque etiam pro Philosophiâ adivit. Academico ritu donatus laureâ, sedulam utrique juri operam dedit in Universitate nostra, tum etiam non nullam Theologiæ, hujus ut non esset Facultatis nescius, alterâ pro munere imbutus & professione suâ. Viridi sacrorum Canonum infula doctorali conspicuus, candidatum tandiu egit, donec Cathedris gradatim præpositus varijs, Clementinarum Professor, mox Vespertinus, ac tandem Decreti

creti Anteceſſor fuit inſtitutus. Pro cauſis in Foro tuendis, ea qua decet Eccleſiaſticos viros moderatione (erat enim Sacerdotio initiatus) à Regijs exceptus Senatoribus; à Quæſitoribus verò Fidei inter Conſultores vocatus eſt. Gravitate quòd emineret à vita & doctrina, Mexicanâ Cleri electione, Comitijs ad id negotij coactis, pro erigendo ad Tridentini Concilij præſcriptum & normam Collegio Seminario Metropolitanæ Eccleſiæ, Delegatus, ſuas egregio operi partes impendit; atque ut erat pijſſimus, Sodalitates, quæ ſunt Mexici illuſtriores, & quibus etiam præfuit, exemplo factus omnibus, frequentabat.

479 Præ cæteris verò S. Philippi Nerij Sacerdotibus ſe addixit, qui tunc quidem temporis Inſtituta Vallicelana, quæ à S. Parente Oratorij Congregationi fuere inſtillata, non dum tenentes, proludebant eis tamen, & ut in mores poſtea inducerentur optabant: ea propter, paucis, qui in Hoſpitium coaluerant, comitem ſe Noſter junxit, quibus etiam, & reliquis, ſuas quiſque, incolentibus ædes, triennio præfuit. Interea loci, quòd leges, queis Oratoriani ea tempeſtate Mexici tenebantur, ſplendidis & extraneis officijs non interdicerent, initam jam pridem à ſe Noſter viam ſequutus, qui & in Eccleſia patriâ, & in Valliſoletana Michoacanenſium Canonicatûs prælectionibus & alijs de jure periculis litterarijs petierat, Doctoralem, ut dicimus, Mexici tenuit, ſeu potius primoribus labijs libavit, nam nono ab edita poſſeſſione die, vitæ clauſit extremum 7 Septembris anno 1595. Eximia adverſus S. Philippum pietate fuerat, cujus ut ſectatores in Collegium evocaret, cóventusque ad inſtar Romani de Vallicela jaceret fundamenta, ubi Præfectus Sodalium fuit inſtitutus, anguſtiſſimum uſque eò amplificari Hoſpitium curavit, emptis proximis ipſi domibus vetuſtate improbis & ruinâ, inibi que extructis conclavibus octo, in quæ recipere ſe Præſbyteri poſſent, qui Dei cultui & propriæ invigilarent alienæque proximorum ſaluti. Et ipſe quidem in hanc curam intentus, vix non ſingulis diebus pro excipiendis confeſſionibus ſacris promptus aderat. Meditationibus precibusq́ quotidie incumbebat, diligentiſſimè Aſſertoris noſtri Jeſu cruciatus mente revolvens, ac ſæpe pijſſimæ exercitationi, quæ Via Crucis audit, incumbens. Miſericordia in pauperes notus erat inſigni, cæteraque non obſcurus virtute. In ſupremis, niſi fallimur, tabulis ſuam Oratorienſibus librariam ſupellectilem legatam voluit, teſtanturque, quæ multoties ſcrutati ſumus volumina, Auguſtini noſtri ſubſcriptione ſignata apud Bibliothecâ Mexiceæ Congregationis, jam pridem inſtructam. Scripſit.

Commentaria in Titulum de Summa Trinitate & Fide Catholica.

Commentaria in Titulum de Rescriptis.

Commentaria in Titulum de Electione.

Commentaria in de Consecratione ad distinctionem quartam Decreti Gratianæi.

Uti è Libris Academicarum Lectionum imbibimus.

Meminit ejus P. Julianus Gutierrez Davila in Monumentis Historicis Congregationis Oratorij Mexiceæ parte 1. lib. 2. cap. 22. pag. 112 à num. 250. ad 259.

480 Fr. Augustinus de Quintana, Natione Mexicanus, apud Antequeram Goaxacæ Civitatem primariam natus, latinèque doctus, 16 ætatis anno Ordini Prædicatorum, in Cœnobio patrio habitu assumpto, professioneque factâ 25 Maij 1688, se adjunxit. Majoribus incubuit studijs, profectuque neutiquam pœnitendo ex illis relato, sacris initiatus mense Octobris anno 1695 in Nationem Mixe dictam, quæ preruptos incolit montes, nimio terræ succo improbos, & perpetuis fere nebulis ingratos ac injucundos, pro ut in votis habuerat jam inde ab incæptis studijs, destinatus, corpore licèt imbecillo, imò & valetudinario, alacri tamen animo provinciam aggressus est oppido acerbam. Idioma gentis difficilimum est, si quod ullum in Septentrionali America, barbarum certè, pronunciatuque asperrimum; cui tamen addiscendo tam strenuè se dedit, brevì ut non modò in familiari consuetudine uteretur eo, sed verò etiam publicis concionibus ad populum habitis. Interea loci, Religioso Parocho ad plures abeunte, in hujus ipse locum suffectus, mirum planè est quanta munus illud prudentiâ, virtute, & Indorum commodis totos 28 annos obierit, dignus proinde quem Parochorum dixeris typum à frugi Ministris imitandum.

481 Porrò tam Indis illis fuerat acceptus tamque jucundus, ut vererentur ipsum juxtàque diligerent. Certè onere Parochiali deposito anno 21 aut 22 labentis seculi, quòd ægra præpeditus valetudine, pergere in officio haud posset, nihilo tamen minore ipsum diligentiâ Mixeniani invisebant consultandi ergo cùm animę, tum etiam domesticæ rei negotia. Ipse in Conventum Antequerę regressus, præfectusque Valetudinario, eximiâ ęgrotis subvenire in omnibus diligentiâ charitateque satagebat, donec Præses destinatus pro Domo Zaachvilla, in quam Provincię solent Rectores abscedere, in eam translatus quadriennium posuit; rursus verò quòd morbi queis afflictabatur, multò ingravescerent, sistitur Antequerę, ęgrotos inter, quibus pridem auxilio fuerat, adnumeratus. Nec propterea la-

laboribus ſubduxit ſe adhuc pro Indorum commodis exantlandis, his etiam temporibus in quibus quieſcere oporteret hominem nimia defatigatione laſſatum deſtitutumque viribus: nam conſcribēdis ſe Libris deditMixeniano Idiomate admodum profuturis, cùm Indorum inſtitutioni, tum miniſtrantium ipſis Parochorum commoditati; fructusque in majori ætate tulit opimos, quos longo uſu & ſtudio Idiomatis ſecuerat, rigarat, accuraveratque.

482 Quòd autem, pręter ſemifolium Contritionis formulam exhibens, nil penitus barbaro nimis & inculto ſermone editum adhuc eſſet poſt geminum ſeculum, diligentiſſimis cœteroquin viris nimiâ aſperitate deterritis, quæ ſcilicet confragris Mixe gentis duriſſimis reſpondeat & perpetua caligine obſcuris; ſuas ipſe elucubrationes procudere, & publica luce donare conſtituit, devexâ licèt ętate & morbis afflictâ Angelopolim petens ſemel anno 1729, & iterum 1732 Urbem multis à Goaxacenſibus diſſitam paraſangis (nec enim propius Officina erat) ut typis ederet Libros, quibus corrigendis vix non ipſe ſolus habebatur idoneus. Hoc tandem functus munere, ad propria reverſus, anno ſequenti 1734 die 5 Maji Sacramentis, Eccleſiaſticis que procuratus auxilijs in Antequerenſi Conventu obdormivit in Domino. Editi porro Libri tres utrâque Linguâ Mixeâ ſcilicet & Hiſpanâ, ſic habent. Primus.

Inſtitutio Chriſtiana, in quarto & 600 pagg. Continet autem, Methodum Mixè loquendi, & hujus Idiomatis Artem. Inſtitutionem Chriſtianam, & incipientium Ducem in cœlum, tribus diſtinctam partibus, quarum prima de Myſterio SS. Triados, & divinis Proceſſionibus agit. Secunda Mundi conditionem expendit. Tertia in Humani generis Redemptione ponderandâ verſatur. Angelopoli litteris Viduæ Michaelis de Ortega Bonilla 1729.

Secundus hunc præſefert titulum.

Doctrina Chriſtiana, & expoſitio præcipuorum noſtræ S. Fidei Catholicæ Myſteriorum. Adjacet Tractatus de Confeſſione ſacramentali, ſeu de Pœnitentiæ Sacramento pagg. 128. in quarto. Nuper dictis formis Angelopolitanis & eodem anno 1729.

Tertio demũ hoc nomen dedit,

Confeſſionarium, hoc eſt, pro inſtituendâ ſacra exomologeſſi compendium idiomate Mixeo & Hiſpano. Accedit Vernacula Orationum ad Chriſtianam Doctrinam ſpectantium Interpretatio. Demum, Summa Mixearum vocum in quarto, pagg. 148. Angelopoli in eâdem Typographia 1733.

483 M. F. AUGUSTINUS DE LOS REYES ET RIBERA, Natione Mexicanus, Patria Angelopolitanus, Regalis Ordinis Beatiſſimæ Virginis MARIÆ de Mercede Sodalis, multâ fuit conſpicuus

eruditione, & gestis muneribus clarus. Lector Philosophiæ & Theologiæ statutis in Familia curriculis, Magisterij suo tempore laureâ donatus, Studijs juxtà & Collegio Mexiceo à S. Petro Paschasio nuncupato, præfuit. Cœnobia & Goaxacense & Mexicanense, quod Primarium est Provinciæ, Commendator administravit; ipsique Provinciæ primùm Vicarius, dein Provincialis præpositus fuit. A Censuris Theologicis, titulo functus & munere, apud Novæ Hispaniæ Tribunal multi habitus est. In Episcopatu Goaxacensi Examinatorem egit Synodalem. Edidit à se habitam in Metropolitana Ecclesia, coram frequentissimâ & gravissimâ coronâ, pro S. Cruciatæ Bullâ publicè expendendâ, Concionem hispanam, cui titulum dedit

Copiosa pro vivis & defunctis Catholicis à S. Cruciatæ Bulla redemptio. Mexici, typis Lupercianis 1728. in quarto.

Conciones ejus reliquas, & Tractationes Philosophicas ac Theologicas à Socijs hìc addendas relinquimus.

484 P. AUGUSTINUS ROA, cujus Natio & Patria nobis est in ambiguo, certum tamen in America Mexicana Domicilium, Societatis JESU alumnus, apud Taraumaram gentem sacris instituendam christianis deductus, eximio pro Dei gloria & animarum salute zelo & labore, pro ijs qui ipsorum invigilaturi religiosis institutionibus & politicis sunt, scripsit

Artem pro Taraumarensi idiomate nanciscendo,

Quam se vidisse dum inibi ageret, testatus est R. admodum Pater Joannes Antonius Balthasar, ejusdem Societatis Mexicanæ Provinciæ, dum hæc scribimus, Præpositus, vir Clarissimus.

485 D. AUGUSTINUS DE SALAZAR ET TORRES, Natione Hispanus, Numantiæ antiquissimâ præque nobili & fortissima Civitate ortus, genitoribus longâ majorum clarissimorum serie conspicuis, triennis in Americam nostram ab avunculo Illmô. D. D. Marco de Torres, Jucatanensi Episcopo abductus, Domicilio & Studijs Mexicanus evasit. Nam, si non fallit, quę Libris præfixa Nostri est, de ejusdem vita Commentatio, natus est anno 1642; avunculus porro Hispania excessit Jucatanensem versus Provinciam anno 1645, nisi delusus est Ægydius Gonzalez Davila; ut proinde quinquennis Augustinus, erratâ facile numerorum putatione, ab memoratæ Commentationis Scriptore dicatur. Biennio post, scilicet anno 1648 Illmûs. D. Marcus in Gubernatorem Novæ Hispaniæ à Catholico Rege destinatus, Mexicum petijt, secumque Augustinum, id certè temporis quinquennem detulit, quem, fato ipse concedens citissimè, nimirum proxi-

ximè sequenti annò 1649 propinquis forsan aut amicis commendavit Mexicanensibus, ejus qui curam in se & institutionem susciperent. Puerulus indole ad litteras paratus aptissimâ, & prævivido ingenio ac felici memoriâ, ubi primis rudimentis imbutus fuerat, Latinis ornandus Rhetoricisque ac Poeticis disciplinis, Maximi SS. AA. Petri & Pauli Societatis JESU Collegij Gymnasia adivit, à quibus gloriam pro ætate illa, imò pro longè grandiore, maximam reportavit. Duodecim enim annos natus, in publicâ Collegij luce, coram delibatissimo sapientum flore constitutus, & recitavit abstrusiori conscripta stilo & recondita scatentia carmina eruditione inclyti Cordubensis D. Ludovici de Gongora, Hispanos inter vates acclamatissimi; & quod eruditissimis etiam negotium faceret, quæ OEdipo egent plurima extricavit appositè, nullisque non satisfecit difficultatibus, ab ijs illi propositis, qui multam in eo excolendo Poeta operam, & studium posuerant. Scilicet tanta jã inde erat eruditione, ut Græcos, Latinos, Italos, & Hispanos vates multa familiares sibi lectione & meditatione fecisset, atque floridissimam segetem comparasset.

486 Quo autem uberiorem longè conquireret, imbibitâ primum inibi Philosophiâ, mox se in Academicas utriusque Juris Aulas recepit, Theologiam coluit, nec prætermittendam sibi Astronomiam duxit & politiores quasque litteras, quibus dein subsidijs uteretur & in ætate futura, Poesimque excoleret, cui in primis natus, suopte ferebatur numine, Mexiceo, quem incolebat, solo genium mirè juvante, adblandienteque Americano cœlo pronæ in amœniores cogitationes menti. Exploratum enim à Sapientibus est, quantum loci feracitas, perpetuo florentis vere, & ad innoxias delicias compositi, delicatiora instillet cogitata, quasique inspergat pulcherrima excolentibus litteras politiores; ut sub inde memoriæ tradiderit in de Magnalibus Mexiceis libro, Illmûs D. Bernardus de Balbuena, nulli in Poetica facultate secundus (quam illi laudem attribuere non est veritus emunctæ naris Criticus D. Nicolaus Antonius) jam inde à dimidio fere supra integrum seculum, institutâ Mexici solennissimâ Vatum concertatione, nihilo tercentis pauciores & cultissimos comparuisse, quorum singuli amico inspirante Apolline, Musisque gestientibus, de lauro adstrictâ numeris oratione certaverint.

487 Noster eos inter qui sua ætate florebant, nulli concedens, & Sapientibus viris, & ipsis Principibus acceptissimus, laudatorem cum primis habuit Excmûm. Ducem Alburquerquium D. Franciscum Fernandez de la Cueva, Regis nomine id temporis rerum Me-

Mexicearum potientem, qui ut erat in litteratos homines comes & humanissimus, deque Universitate nostra benemeritus, Augustino sic adhæserat, ut redux in Hispaniam inde illum evocaverit, & in suam demum sententiam & Regionem perduxerit. Apud Mantuam Carpentanorum eruditissimis scatentem viris & Hispaniæ Primoribus, Augustinus præstò egregium sibi à doctrinâ, & potissimum à Poesi, nomen peperit, consuetudine jũctus eximio laudatissimoque ab instructis Comædijs viro D. Petro Calderon de la Barca, cujus usu profecisse opulentamque supellectilem ulterius ditasse, is qui res ejus memoriæ prodidit, attestatur, subjungens, jam inde Magnatibus Regum gustui blandientibus, procurantibusque, profectas ab illo Comædias in theatrum adductas, spectantiumque acclamatione egregiâ susceptas. Matrimonio præclaræ nobilitate Fœminæ junctus, Imperatricem Germaniam petentem comitatus est, cujus & Itinerarium conscripsit, & Epitalamium cecinit, & festivos delicatissimo auditui numeros insinuavit, delectus à Mecœnate suo faventissimo Alburquerquio Duce, qui & ipse officij adversus gradientem Principem causâ Germanos invisit Pro-Regiâ jam auctus Dignitate in Scicilia, in quam reversus, militaribus Augustinum insignivit honoribus, cohortibusque præfecit, Martem Musis associans, oleisque palmas inserens.

488 Ea apud Siculos provinciâ defunctus, Matritum repetens, pristinis pacatius studijs incubuit, non invidiâ minus illustris quam laude multorum, obtrectātibus nebulonibus huic cui sapientes acclamabant, cujusque laudi & gloriæ applaudente manu favebant. Auram certè plurimam honoris excepit, quam tamen, Philosophiæ licèt peritus, nullâ in aurum Chrisopæiâ vertere potis fuit, vitamque subinde divitijs expertem transegit. Præproperis fatis extinctus est 29 Novembris anno 1675, ætatis 33, immortalis dignus nomine, quod ut edacissimæ rerum oblivioni subduceret statim curavit Amicus fidissimus, poeticâ quoque laude conspicuus D. Joannes de Veratasis & Villaroel, schedas quantas potuit Augustini undique conquisitas typis committens voluminibus duobus comprehensas, quibus de actis & studijs Commentarium præposuit, inedita etiam, quæ mox indicabimus, Opuscula exhibens, quiritatus de ijs qui nullo plagij rubore suffussi, Salazarij Poemata pro suis edidissent. Hercle, is Noster fuit, qui Primarios inter Hispanos Poetas Eruditorum calculis fuerit adscriptus, in quem scilicet Musę omnes & Charites evolaverint, ut excogitaret inveniretque felicissimo numine, & perinde ac suadâ labris insiden-

dente, dulcia juxtà pangeret & elegantissima, perspicuaque, tropos inter & figuras, carmina funderet, in queis si juvenilem non numquam audaciam Lector offendat, ætati tribuet petulantiori, quæ suggerere non gravissima plerisque insueverit. Edita ita habent Opera.

Appollinis Cythara, varia poemata, sacra profanaque. Matriti, apud Antonium Gonzalez de Reyes 1694. Tomis duobus in quarto.

Ejus Extant etiam carmina & elogia in *Concertatione poetica* ab Scholaribus Mexiceæ Universitatis habitâ, descriptaque à D. Joanne de Guevara, atque edita Mexici Typis V. Bernardi Calderon 1654.

Inedita verò, de quibus extat in Monito ad Lectorem 1. parti præfixo, index, hæc sunt.

Itinerarium Imperatricis Germaniam petentis, unàque ejusdem Epitalamium.

Scenici actus sacri duo.

Comædia in jocum scripta.

Tractatus cui titulus,

Venustatis speculum.

Gemina Jocoseria fabula, altera majoribus, Octavas Hispani dicimus, numeris; minoribus altera, quos Romance vocamus.

TransformationumMexicanorum, seu Ovidianarum Metamorphosis imitatio.

Præludium in Tethis & Pelæi Comædiam. Varia in tripudium Carmina.

Nonnullæ Poetarum Græcorum versiones & Latinorum.

489 D. AUGUSTINUS SANCHEZ DE LEON, Natione Mexicanus & Patria, absolutis Latinitatis tyrocinijs, Philosophiâque imbutus, Medicinæ excolendæ animum adjecit, Doctorque inauguratus, quotidianis in theoria & praxi incrementis, primarios inter Apollineæ Facultatis Professores est habitus, cùm in MexicanensiUniversitate, in qua Perpetuum multis annis Vespertinum egit Antecessorem, optimumque Academicum, sive è Cathedra propugnator & Patronus adesset, sive è subsellijs argumentaretur; tum etiam in Urbe pro afferendâ ægrotis ope frequenter quæsitus. Vir erat admodum studiosus, reique quã profitebatur intentus, adeo, ut coram fœminis etiam & idiotis colloquia de occurrentibus languoribus texeret longa, non quidem ut fucum faceret, aut gloriolam captaret ab illis vanissimam, sed ut quos secum deferebat Discipulos, de illis instrueret, seque assiduitate discurrendi amplius exerceret, & medica apotegmata memoriâ refricaret. Palæstram verò Scholæ tam adibat ex genio, ut libenter arguendi ergo, his se consultationibus quandoque subduceret, è quibus stipẽ haud vulgarem lucrari posset, quæstuosiorem sibi reputans institutam minervalem concertationem. Scripsit

De Methodo medendi Tract. varios.

Varias item in selectos Aphorismos observationes.

Alia mittimus, quæ è suggestu licèt tradiderit, libros tamen Academicos annuos casu vel nos exquirentes fugerunt

490 P. AUGUSTINUS DE LA SIERRA, Natione Mexicanus & Patria, clara majoribus stirpe genitus, germanis item fratribus claruit, Societatem JESU in patriâ amplexatus Provinciâ, à litteris probatus & moribus, quatuor Professus votis fuit. Grammaticam tradidit & Rhetoricam apud Maximi Collegij Mexicani Gymnasia. Triennium quoque in edocendâ Philosophiâ strenuè posuit. Mox Antequeræ Goaxacensium Theologiam è suggestu non sine plausu aperuit. Varijs, quæ Familiæ instituta ferunt, munijs incubuit, & à Secretis Provinciæ fuit. Quanquam libèns domi contineretur, vixque non nisi coactus inde prodiret, ut erat tamen ad negotia quæque agendum aptissimus, Procurator Romam destinatus fuerat à Congregatione Provinciali: quo autem ne defungeretur officio mors citatiori ipsum gradu præveniens, in causa fuit. Scripsit anno 1683.

Poeticum Certamen pro Jesu Christi Assertoris nostri natalitio colendo, Leonis unà & Agni Symbolo dato,

Ut legere est in Volumine argumenti hujus Opuscula complectente, quod extat in Bibliotheca Collegij Maximi Mexicani.

Cursum Philosophicum.

Tractatus Theologicos varios.

Amœniora quædam Opuscula.

Ubi autem isthæc delitescant Mss, an verò penitus interciderint, ignoramus.

491 D. AUGUSTINUS DE VERDIGUEL, Natione Mexicanus & Patria, postquam Latinis dedit operam litteris, Philosophiam excoluit atque Theologiam, Laureasque in Academia Mexicanensi tulit. Sacerdotio initiatus, & pro Confessionibus excipiendis, Sacramentisque alijs administrandis publicis litteris approbatus, Vicarium multos annos Parochialem egit in Mexiceâ Metropolitanâ Ecclesiâ, ad quam Primarij quatuor Urbis Curiones resident. Mox nocturnus, ut dicitur, Parochus Æditu usque major electus, huic in præsentiarum muneri strenuè vacat. Hæc inter, frequentissimos, cùm alibi, tum etiam in Cathedrali Ecclesia habuit sermones, ingenio juxtà & eruditione ex arte conditos. Vertente autem anno 1752, indictoque Mexici celeberrimo Jubileo anni sancti Apostolicis Benedicti XIV Litteris, & eximiâ in Hispanos & Americanos beneficentiâ, ut auxilio Fidelibus esset Indulgentiam sacram & reliqua Pontificia lucraturis indulta, prævia Sacramentali confessione, hancque facili negotio expediret, Libellum edidit hispanâ linguâ

Dialogum pro addiscenda methodo instaurandi Dei gratiam, tuta Sacra-

cramentalis praxi confessionis, mediaque offerentem pro nactâ amicitiâ divinâ servandâ. Mexici Formis D. Mariæ de Rivera 1752. in 16.

Ineditos habet *Sermones* publicâ luce dignos, nec uno tomo comprehendendos, aliaque *Opuscula.*

492 D. AUGUSTINUS DE VERGARA, Natione Peruanus, apud Urbem S. Fidei, quæ Novi Regni Granatensis est caput, ortus, in ejusdem Civitatis clarissimâ Universitate infulam Doctoralem in Theologiâ assequutus, Mexicum deinde petens, Academica frequentavit Gymnasia, Jus utrumque, Canonicum & Civile hausturus, queis altissimè imbibitis, laureas emeruit, proque capessendâ Fori praxi institutâ cum optimis & exercitatis Patronis & Causidicis consuetudine, ipsis adscriptus Regij approbatione Auditorij, nulli postmodum concedebat. Insigni erat in arduis quibusque negotijs peritiâ, dicendi facundiâ, & in defensandis clientibus diligentiâ, à quibus sub inde quærebatur, egregium in eo sibi augurantibus patrocinium. A Judicibus alijsque sapientibus viris maximi ducebatur, in primisque à Societatis JESU Patribus, qui ejus in gravibus forensibus causis uti operâ & scriptis voluere. Opes sibi è rostris non exiguas paravit, quibus clanculum egentibus subveniebat, residuisque in obitu piè utens, postremis tabulis amplissimos Fidei Quæsitores Mexiceos rebus ut curarent suis voluit rogatos, qui ea optimè in Dei gloriam provinciâ funguntur. Edidit Librum verius quam Allegationem

Pro Societatis JESU Provinciâ Novæ Hispaniæ in causâ legati ad Missiones, ut dicimus, testamento relicti à D. Francisco de Orosco, Episcopatus Vallisoletani apud Michoacanenses Presbytero ab eximiâ pietate charitateque admodum claro, æquè & opibus abundante. Angelopoli, typis Viduæ Michaelis de Ortega Bonilla 1729. in fol.

Pro Marchione de Villapuente personam agente Marchionissæ Tunium de Rada, &c: Allegationem juridicam, occasione datâ pijssimæ utriusque actâ, egregièque gesta expendentem. Angelopoli eisdem formis anno 1741. in folio.

Multas præterea scripsit *Allegationes* non paucis tomis comprehendas, & publici juris fecit non nullas alias, quarum exemplaria nos in præsentia fugiunt.

493 ILLMUS. D. M. D. F. AUGUSTINUS DE ZERRALDE, Episcopus Auxiliaris Seguntinus, Natione Mexicanus, apud Tochimilcum, prope ignivomum in Archiepiscopatu Mexiceo montem nobilibus Parentibus genitus, Regulam S. Francisci in Cœnobio Mexiceo 6 Novembris anno 1649 nuncupatis votis fuit amplexatus. Postquam litteris operam dederat Philosophicis & Theologicis, Præfecturas aliquot ges-

gessit, Procuratorque primùm Mexici renunciatus, dein idem pro Americæ nostræ Provincijs ejusdem Instituti munus acturus, in Hispaniam amissus est. A Supremo S. Inquisitionis Consilio Sacris adscriptus Censoribus fuit, à Catholico Rege pro Concionibus institutus coram se habendis. Tum, auxilio ut esset in pastoralibus curis Pontifici Seguntino, Episcopus electus & consecratus, Diœcesim perlustrans, febrique correptus diem vidit postremam 22 Julij anno 1679 ætatis 46. Scripsit

Conciones varias.

Ejus meminit Betancurtius, post Menologium, in Tractatu de Illmis. Provinciæ S. Evangelij Episcopis pag. 136 n. 8.

494 F. AUGUSTINUS DE ZEVALLOS, Natione Mexicanus, cui natale solum Goatemala, Ordinem S. Francisci in Provinciâ patria à SS. nomine JESU dicta, quæ Observantium est, amplexatus, egregio cùm à doctrina, tum à vita fuit nomine. Theologiam ubi aliquot annis Sodales suos docuit, atque è sacro suggestu ad populum dixit, Sapientibus insipientibusque multis ipsum elogijs & laudibus prosequentibus, auræ se subdixit blandienti, & in cella abditus, uni Deo, sibi ac religiosis vacare institutis intra claustra decrevit cõtemplationi cœlestium deditus, jugique propriæ mortificationi. Huic, quoad vixit, proposito hęrens, perinde in amplissima Civitate se gessit, ac si in remotam ab omni commercio solitudinem contendisset. Edoctus in Schola orationis, & abnegationis palæstra, uberius quam olim in Minervæ Gymnasijs, divina, duos in quarto tomos reliquit scriptos, qui in Bibliotheca servantur Cœnobij Goatemalensis Primarij PP. Franciscanorum: Primus est de Mystica Theologia, ab ijs qui eam callent & excolunt habitus multi, cui titulus

Animæ in Deum volatus.

Secundus autem ita habet:

Notæ prò familiaribus concionibus ad sacras Virgines & spiritualem vitam agentes.

Ut Author nobis est F. Antonius Arochena in sillabo ad nos dato de Scriptoribus Provinciæ suæ n. 10. eorum qui idiomate hispano scripsere. Nostri præterea meminit F. Franciscus Vasquez in Chronicis dictæ Provinciæ Goatemalensis tom. 2 lib. 4. cap. 74 pag. 352.

B

495 M. F. BALTHASSAR DE ALCOCER ET SARIÑANA, Natione Mexicanus, Mexici ortus est ex gente clarissima, Illmî. Antequerensis Episcopi D. D. Isidori de Sariñana ex sorore nepos. Ab ipsa ineunte ætate avunculum ingenij & doctrinæ laude cum primis

mis famosum, ac si imitandum in animo haberet, totum se excolendis litteris dedit. Sacrum Regiumque Beatissimæ MARIÆ Virginis de Mercede Ordinem professus, Mexicanæ Provinciæ, cui se addixerat, ornamento fuit & decori eximio, Mexiceam juxtà Academiam, Parentem itidem sibi dilectissimam, præclarè adornans. Sodalibus Præceptor Philosophiæ datus, mox etiam Theologiæ, Magisterij lauream emeruit, primariasque Familiæ clarissimæ Præfecturas. Collegium à S. Petro Paschasio nominatum Mexici rexit, quod extructis officinis, multisque operibus instauravit, ejus propterea incolumitati prospiciens, quòd insigne sit Provinciæ Seminarium suæ, è quo celebres doctrinâ & religione viri prodierint, prodeantque quotidie. Cœnobio Primario Mexiceo Commendator præpositus, strenuam in eo augendo expoliendoque operam navavit, addito deinceps, egregijs sumptibus, amplo Cavędio, quod laboratis strenuè lapidibus, clathris ferreis, & pictis sacris Imaginibus perpulchrũ evasit. Provincialis consentientibus declaratus suffragijs, omnium se exhibuit Patrem Religiosorum; quibus comitate acceptissimus & humanitate, facilè studia litterarum, Ordinis que præscripta, ut animo usuque tenerent, pro ut solenni ipsis fuerat in more, pergerentque ex animo, injunxit.

496 In Universitate Mexicanensi Doctoralibus utriusq̃ Sophiæ infulis fuit insignis, Cathedrisque præfectus, Vicennium in eo posuit suggestu, qui Summulis Logicæque tradendæ matutinis horis est destinatus, donec in Primarium Theologiæ Antecessorem Perpetuum (si quidem hanc pridem ad tempus spartam ornaverat, priusquam Philosophiæ Moderatoribus adscriptus fuisset) octo virorum calculis fuit evectus. Porrò Academicis natus exercitationibus, frequentissimus erat in Minervæ atrijs, sive pro thesibus propugnandis, sive pro impetendis scholastico ritu, sive pro quibusque alijs Gymnasia concernentibus alumnosque & tyrones, quorum accommodatus captui perspicuè semper agebat & perhumaniter. Adhæc alijs incumbebat muneribus, quæ egregium decebant Theologum, Censoremque S. Inquisitionis, atque EvangelicumOratorem. Fato tandem concessit męrentibus non Sodalibus modò Mercedensibus & viris Academicis, sed Religiosis etiam Familijs, Jesuitarum in primis, queis fuerat multa addictissimus consuetudine, Nobilibus que hominibus, & infimæ sortis, quos urbanitate sibi & benevolentia devinxerat. Extant ab ipso edita quæ sequuntur hispano sermone.

Funebris Oratio habita Antequeræ Goaxacensium in exuviarum translatione quatuor ejusdem quondam Ec-

Ecclesiæ Antistitum M. D. F. Thomæ de Monteroso: D. D. Nicolai del Puerto; D. D. Isidori de Sariñana & Cuenca: M. D. F. Emmanuelis de Quiros. Mexici, typis H. V. Francisci Rodriguez Lupercio 1702, quam habemus in Collectaneis nostris in quarto. tom. 30.

Panegyrica Oratio pro Sacra B. Joannis de Deo apotheosi in Sanctorum censum relati solennissimo à Fratribus de Hospitalitate ejusdem Divi octiduo celebrata. Mexici, mox indicatis litteris Lupercianis anno itidem 1702. Extat in Libro id argumenti Conciones cæteras Mexici habitas, Poeticosque lusus complectente, de quo cum ad Joannem Ramirez de Santibañes devenèrimus opportunus nobis sermo recurret.

Festivum triduum, seu Historica enarratio Lectorum exhibens oculis Epinicia ab Academia Mexicana triduo instituta plaudendi ergo relatum ab Catholico Rege nostro Philippo V Hispanorum armis apud Villaviciosæ campos eximium de potentissimis hostibus triumphum. Mexici, formis Joannis Josephi de Guillena Carrascoso 1712. Habetur in Collectaneis nostris in quarto. tom. 24.

Inedita verò, quæ ex Academicis monumentis rimari potuimus, ita habent.

Tractatus de Summulis.

Tractatus in Universam Aristotelis Logicam.

Reliqua autem, quæ ad Philosophici perfectionem Cursus spectant, quamvis ab insinuatis Gymnasij libris non habeamus, quippe ea duntaxat signantibus quæ singuli annuatim Professores pro suo quisque munere docent, Nostri autem præter Summulas & Logicam, pro suggestu suo non intererant alia; omnia tamen discipulis intra religiosa exhibuisse claustra non dubitamus.

Tractatus de Scientia Dei.

Tractatus de SS. Trinitate.

Reliqua hactenus nos fugerunt, scientes esse non pauca, & Scholastica & Concionatoria, tantoque haud indigna Magistro. Meminit ejus Sodalis admodum eruditus M. F. Joannes Antonius de Segura & Troncoso in Seneca suo de Mercede, Mss.

Ejusdem etiamnum viventis elogia texuere D. D. Petrus Ramirez del Castillo, in Nuncupatoria quam Concionibus suis pro petitione Canonicatuum Vallisoletanæ Ecclesiæ Michoacanensium præfixit Mecœnatem sibi Nostrũ salutans: Et M. Ferdinandus Toro Altamirano Dominicanus, haud absimili Balthasarem honore prosequutus in editione Panegyrici de S. Petro Martyre à se habiti.

497 F. Balthasar de la Campaña, cujus Natio & Patria nos fugiunt, Domicilio saltem Mexicanus, Ordinis S. Augustini in Provinciâ S. Nicolai Tolentinatis, quæ apud Michoacanenses floret, alumnus, dum Conven-

ventum incoleret Oppidi de Tangamandapio, Tomum ſcripſit

De Morali Theologia,

Uti ab graviſſimis ejuſdem Familiæ viris accepimus, opinamur que Mss apud memorati Tabularia Cœnobij aſſervari.

498 F. BALTHASSAR DE LA CARRERA, Natione Mexicanus, Patria Angelopolitanus, S. Franciſci Regulam in Provincia Obſervantium S. Evangelij profeſſus, litteris & muneribus clarus fuit. A S. Inquiſitionis Triumviris Cenſoris titulo, & à Sodalibus ConcionatorisGeneralis gradu, pro eximijs in ſacro ſuggeſtu laboribus, jure inſignitus, Parochum ſupra 40 annos egit induſtrium Civitatis de Toluca, quæ ad Diœceſim Mexicanam ſpectat, atque è plurimis à ſe habitis ſermonibus edidit,

Euchariſticam Orationem pro Triumphis à Catholico Rege noſtro Philippo V apud Villavicioſam reportatis, atque in Parœcia ſua egregio Urbis plauſu, laudeque Virginis Deiparentis ſuſceptis. Mexici, typis Viduæ Michaelis de Ribera 1712. in quarto. Legitur tom. 98 Collect. noſtræ.

Panegyricam Orationem à ſe dictam in ſolenni Sacrarij ejuſdem Parochiæ Dedicatione. Extat cum alijs in idem Collimantibus, in Libro cui titulus, *Manus religioſa.* Mexici, mox dicta Typographia 1730. in quarto.

499 F. BALTASSAR DEL CASTILLO, Natione Mexicanus, Mexici ortus, Ordini Minorum de Obſervantia in Provincia S. Evangelij nuncupatis votis ſe adjunxit, & Magiſtrum nactus doctiſſimum F. Auguſtinum de Betancurt, non modò Philoſophiam didicit & Theologiam, ſed verò etiam Mexicano altè fuit imbutus idiomate, dignus quem Magiſtrum plenis buccis nuncupaverit Præceptor ipſe, editoque elogio cohoneſtaverit ipſum loco infra dando, & in Cenſura Opuſculo, quem mox dicturi ſumus, præpoſita. Prædicatoris titulo fuit inſignis, & Parochiam de Huexotla canonico titulo adminiſtravit. Edidit idiomate hiſpano itemque mexicano Librum in quarto cui titulum dedit,

Lux unà duxque pro Evangelicis Indorum Miniſtris. Mexici, ex Typographia Joannis Joſephi de Guillena Carraſcoſo 1694.

Pro Agonizantibus Librum unum. Mexici 1677.

De quibus meminere citatus Betancurtius in de Illuſtribus Provinciæ S. Evangelij viris pag. 144. n. 46 tomo. 4 Theatri Mexicani: Bibliotheca Franciſcana tom. 1 pag. 176. & D. Antonius de Leon Pinelo in Bibliothecâ Occidentali tom. 2. col. 732.

500 P. BALTHASSAR CERVANTES, Natione Mexicanus, apud Goaxacenſes ortus, Societatem JESU amplexatus, tanto fervore tyrocinium aggreſſus eſt, ut Sodalibus à Præfecto ſuo velut imi-

imitandùm exemplar virtutum proponeretur. Studiorum palęstram adivit, dimensusque strenuè, eos tulit honores, qui non nisi eminentioribus decerni Scholaribus in Familia Jesuadum solent, universâ per diem integrum Theologiâ publicè defensatâ. In Cinaloæ Missiones dimissus, barbarâ imbutus Indorum linguâ, totum in eis Apostolico zelo juvandis septennium, egregiâ rerum omnium inopiâ & molestiâ posuit, donec Mexicum avocatus, tradendæ in Maximo Collegio Philosophiæ Magister fuit institutus. Ubi hac per triennium functus provincia fuerat, Angelopoli sistitur, Theologiam Moralem in recèns structo S. Ildefonsi Gymnasio frequentissimis auditoribus è suggestu dicturus. Inibi agens, acceptissimus fuit Illmô. D. D. Alfonso de la Mota, ejusdem Collegij Fundatori, qui vix non omnia ejus consilio negotia & decreta committebat. Dein reliquum vitæ in Maximo Collegio Mexiceo transegit, Præfecti spiritus, ut dicitur, titulo, eximijs virtutum exemplis & Sodalibus percharus & exteris, quorum ut saluti, Indorum in primis, consuleret, Mexicanum idioma studiosissimè comparavit. Paupertatem sic coluit, ut ne minimum quidem dare aut accipere ausus fuerit citra expressam Superioris licenciam. Castitatem ad mortem usque illibatam servavit, non semel & iterum sed tertiùm etiam ab impudentissimis provocatus mulierculis, quas ipse seriâ & acri animadversione deterruit, atque ad meliorem frugē traduxit. Insigni floruit vel in durioribus & abjectioribus obedientiâ, patientiâque simili, & ab hominum commercio abstractione ac recessu: nam toto ultimo ætatis decennio ægrâ & molestissimâ valetudine divexatus, uni Deo ferventissima deditus oratione vacabat, vixque è latebris cubiculi exibat, nisi mane alieno deductus auxilio in Sacellum interius rei divinę adfuturus, & Sanctissimâ depascendus Euchariſtiâ. Tandem annos natus 70. & ab inita Societate 55 in cœlum, ut pie credimus, evolavit 2 Julij anno 1649 ut à Menologio Provincię Societatis JESU Novæ Hispaniæ, addito operâ P. D. Joannis Antonij de Oviedo, editoque anno 1747 acceptum habemus. Scripserat Noster

Cursum Philosophiæ,

Et

Moralis Theologiæ Tractatus.

Quorum tituli latent nos, pariterque scrinia ubi Mss servantur, quorum fuere exemplaria multa pro auditorum, quibus ea tradiderat, numero.

501 ILLMUS. D. M. D. F. BALTHASSAR DE COBARRUBIAS, Natione Mexicanus, nepos Clarissimi viri, summi Hispaniarum Consilij Pręsidis, à litteris & vir-

tu-

tutibus Illmî. D. D. Didaci Cobarrubias & Leyba, Mexici Parentibus claris genere Joanne Antonio de Cobarrubias, & Catharina Muñoz natus, Ordinem S. Augustini in Provincia SS. nominis JESU amplexatus, ad Imperiale Mexicanum Cœnobium 15 Augusti anno 1577 professus est. A doctrinâ commendatus & moribus, quibus Patriæ & Provinciæ decori fuerat & ornamento, Episcopalibus infulis redimitus, tribus succesivè præfuit Ecclesijs, se postquam Paraguaiensi regendæ subduxerat, ad quā à Catholico Rege destinatus, & Pontificijs Clementis VIII litteris 10 Septembris 1601 fuerat electus. Ad Novam Geræam in Philippinis Insulis anno 1603. die 13 Februarij conscriptus Pastor, biennio post, scilicet 6 Junij 1605 vitâ functo Illmô. D. M. D. F. Bartholomæo de Ledesma Episcopo Goaxacensi successor est datus. Hinc 4 Februarij 1608. ad Michoacanensem promotus sedem, in hac procurandâ Ecclesiâ annos posuit quatuordecim, & verò sanctè ipsam & prudenter administrasse Author est, qui ejus habet memoriam in ejusdem Ecclesiæ Theatro, Ægydius Gonzales Davila pp. 122 & 123. Vitam clausit 27 Julij 1622, uti ipse scribit Ægydius, cui noster suffragatur Balthassar de Medina eruditus admodum Provinciæ S. Didaci Mexicanæ nudipedum Frācíscanorum Chronographus folio 240. n. 9, opportunèque notat æquivocum passum fuisse F. Bartholomæum de Letona in Statu Philippinarum Ecclesiastico n. 74. emortualem Illmî. Cobarrubias annum 1507 signantem, subjungentemque obijsse priusquam Pontificia inauguratus esset unctione. Graviora quāvis lateant nos edita & inedita Nostri monumenta, unum, cujus copiam lectoribus fecit D. Antonius de Leon Pinelo in Epitome Bibliothecæ Occidentalis additæ tom. 2. col. 602. subjungimus patrio datum idiomate, scilicet

Testimonium ad Catholicum Regem de Episcopatus Michoacanensis Rebus, Urbibus, Civibus, & Gubernatione, die 20 Augusti 1619 Mss. Autographum in Bibliotheca Clarissimi D. Andreæ de Barcia asservari Pinelus ipse ibidem est testis. Reliqua tanti viri & Acta & Opuscula hactenus nos fugerunt.

Meminit quoque Nostri F. Alphonsus Franco in Mss Historiâ Provinciæ Dominicanorum Mexicanæ S. Jacobi Libro 2. cap. 35. fol. 224. col. 1. qui cùm testetur Balthassarem anno 1611 quo V. P. F. Petrus Galarza, Prædicatorum Ordinis decus, ad plures abijt, Mexici fuisse; statuenti quadriennio ante P. Letonæ extremam Nostri diem necesse est refragetur. Demum, ejus texuit elogium Remesalius in Historia Provinciæ S. Vincentij de

de Chiapa & Goatemala lib. 11. cap. 17 n. 5.

502 D. BALTHASSAR DE ECHAVE, Natione Hiſpanus, in Zumaya Oppido Guipuſcoanæ Provinciæ natus, Domicilio Mexicanenſis, Pictoriæ artis cultor egregius (cujus & uxor perita) multas æternitati telas optimis lineamentis, diſpoſitis opportunè coloribus, umbrisque & receſibus uſus, atque omnibus ex præſcripto facultatis, gratijs refertas dedit, è queis geminas inſigni ſtaturâ domi à majoribus acceptas habemus, alteram S. Eliſabethæ Luſitaniæ Reginę, alteram S. Roſæ Viterbienſis Imaginem, multis ad rem alijs circunſeptas capitibus, exprimentes. Adhæc eruditione minimè prædicus contemnendâ, Argumentum ſcripturo ſibi propoſuit, quod noſtra etiam tempeſtate famoſum eſt, præſertim elucubrationibus, ſiquis ullis, eruditiſſimis Patris Emmanuelis de Larramendi, Societ. JESU Theologi ſapientiſſimi, eximiâque & amœſſinimâ celeberrimi eruditione, cujus extant monumenta clariſſima editi Libri quos inter *Dictionarium Cantabrici idiomatis* elaboratiſſimum. Noſter Opuſculum edidit hiſpano ſermone

De Cantabricæ Linguæ antiquitate. Mexici 1607. in quarto. Cujus meminere D. Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hiſpaniæ Nova tom. 1. pag. 142. & Henricus Martinez in Tabulis ſuis Hiſpanicis Repertorium temporum dictis, editisque Mexici proprijs litteris anno 1606. in quarto.

503 P. BALTHASSAR GONZALEZ, Natione, ut conjicimus, Mexicanus, cujus incomperta nobis eſt Patria, Societatis JESU inſtituta ſecutus, Philoſophicis & Theologicis ornamētis tam egregiam in Mexicano idiomate peritiam adjunxit, ut ejuſdem *Cicero* à doctis ejus linguæ viris audierit. Ea functurus in favorem Indorum, Collegium Mexiceum à S. Gregorio nuncupatum incoluit, confeſſionibus audiendis deditus & ipſorum piæ inſtitutioni. Adverſus Chriſti Domini Paſſionem egregiæ erat devotionis affectu, nec diſſimili SS. Euchariſtiæ Sacramentum religione proſequebatur: Puriſſimam Deiparentem Virginem & Cœlites deperibat, ac ſuas in oratione delicias habebat. Illuſtrationibus à Deo hauſtis inſignis, pluſquam 30 annorum tempore, ubi Sodalis Provincię quivis exceſſerat, ſtatim à pulſatâ cubiculi januâ vel lectuli capite, certior factus, Collegij Patribus Socium aliquem obijſſe in Provincia nūntiabat, cujus non multo poſt funeris nuncius veniebat. Nec porrò ſuæ ipſum mortis dies latuit, qui Collegij Rectori, ipſum in extremis agentem monenti, ne mereretur abſentibus Patribus in Domum Profeſſam abeuntibus pro excipiendâ ſolenniſſimâ Corporis Chriſti, quæ ea die agebatur, ſuppli-

plicatione, reposuit, se non ante crastinam moriturum, qua veniente, felicissimè obijt in Domino, Sanctitatis famâ conspicuus, 19 Maji anno 1678. Funus ejus frequentissimo Indorum cōcursu fuit actum, adventantibus non modò ipsorum Mexiceis Parçcijs, sed etiam circum Urbem Pagorum innumeris incolis, qui atratis vestibus & vexillis, quæstubus & lacrymis defunctum carissimum sibi Patrem lamentabantur. Scripsit pereleganti stilo

Historiam admirabilis Guadalupanæ Imaginis Deiparentis Virginis idiomate Mexicano.

Ut testis est qui hactenus à nobis narrata edidit P.Doct.Joannes Antonius de Oviedo in Menologio Provincię suæ edito anno 1747.

504 D. BALTHASSAR GONZALEZ DE OLMEDO, Natione Mexicanus, apud Goaxacenses natus, Theologicisque litteris eruditus, atque Indorum, quibus præfuit, imbutus idiomate, Parochiam de Tehuacam perpetuo rexit titulo, Vicarium item agens Judicemque Ecclesiasticum. Adhæc S. Inquisitionis Officij Commissarius, & eodem pro S. Cruciatæ Tribunali nomine in ditione sua insignis, edidit à se dictum in Ecclesia Antequerensi, quæ Provinciæ caput est & sedes Episcopi, die Apostolorum Principi devota,

Sermonem de glorioso Proto-Parente Divo Petro. Mexici, typis Joannis de Ribera 1680. in 4. Extat in Collectaneis nostris tom. 5.

Sermonem de S. Agnete à Monte-Policiano Angelopoli dictum. Mexici, eisdem litteris Joannis de Ribera 1680. in quarto.

505 FR. BALTHASSAR A S. JOSEPHO ET PEÑA, Natione Mexicanus & Patria, Seraphici Patris Francisci Instituta sequutus in Provincia Goatemalensi, ejusdem Cœnobijs varijs præfuit, atque in Europam Pro-Ministri titulo dimissus, Censores inter Theologos à Fidei Quæsitoribus Mexicanis electus, edidit habitam à se vernacula lingua

Panegyricam de S. Petro Apostolorum Principe Orationem. Mexici, Formis H. V. Francisci Rodriguez Lupercio 1714. in quarto.

In Schedis relictos *Sermones Socij* ut hîc addant optamus.

506 P.BALTHASSAR LOPEZ, Natione Mexicanus, in Villa S. Michaelis, quæ ad Diœcesim Michoacanensium spectat, estque admodum frequens & pulchra, natus anno 1620, undevigesimum agens ætatis Societatem JESU in Provincia Novæ Hispaniæ petivit, tenuitque nuncupatis, quæ tyrocinij biennium consequuntur votis; quatuor suo tēpore emissis Professis aggregatus Patribus fuit, qui superiori in Familia gradu donati sunt: talem que se litteris & moribus præstitit, ut Bibliothecæ Author Societatis numerandum ipsum scripserit

rit à sapientiâ & religione primos inter Provinciæ, maximis certè & plurimis utroque nomine viribus scatentis. Porrò, quòd litteras concernit, multos ille annos posuit in amœnioribus tradendis, regendisque Cathedris Philosophicis & Theologicis, vulgari neutiquam dives eruditione, cùm in humanis, tum etiam in sacris, qua latissimè patent doctrinis.

507 Dei autem gloriæ in animarum salute curanda avidius inhians & vehementiùs, Missiones, ut dicimus, apud Cinaloæ gentes peregit longissimè dissita loca incolentes, & ab Hispanorum commercio multis parasangis disjuncta. Demum à Provincia sua Romam dimissus Procuratoris munere, quod non nisi lectissimo cuique committitur, Oceanum navigans, ad cœlum, ut pie existimamus, appulit 17 Augusti 1750. Ediderat latino sermone

Orationem à se habitam in Collegio Maximo Mexicano Societatis Jesu pro studiorum instauratione. Mexici, apud Viduam Bernardi Calderon 1646. in quarto. Quæ multoties recusa est in *Florilegio Oratorum ad usum studiosæ juventutis per Congregationem B. M. V. Anunciatæ Mexiceam in lucem edito*, è selectissimis, cùm Ciceronis, tum gravissimorum aliorum Rhetorum Orationibus compacto, in octavo.

Nostri porrò tam ipsa est omnibus absoluta numeris, Romanique elegantiâ sermonis, sententiarum pondere & amœnitate florens atque tornata Oratio, jure ut ijs compaginata fuerit, quæ delicatioribus & politioribus sunt probatę Magistris.

De Jure Societatis Jesu, quo immunis est à Decimis solvendis: Opus multa eruditione refertum, Hispali primùm, mox Cesaraugustæ recusum 1648 in folio, ut Author est in Bibliotheca ejusdem Societatis P. Sotuelus pag. 102.

De Potestate Judicis conservatoris Societatis Jesu. Mexici 1647 apud Sotuelum ipsum. Addimus

Quinque Libros Rhetoricæ. Mexici, apud P. Robles 1632. in 8.

Cursum itidem Philosophiæ, Theologiæque Tractatus ab Authore è suggestu dictatos insinuare non prætermittimus, qui hactenus nos fugiunt quærentes, certosque, pro hujus Mexicanæ Provinciæ perpetuo more, ab Nostro profectos. Et de Philosophiæ Cursu memoriam habet unàque elogium Nostri P. Joannes Ochoa, in Vita P. Pauli de Salceda fol. 5 & 6. edita Mexici, litteris D. Mariæ de Benavides 1689.

508 D. Balthassar Lopez de Castro, cujus Natio & Patria nobis est in ambiguo, Domicilio, ut minimum, Mexicanus, Scribaque publicus apud Regium Hispaniolæ Auditorium, edidit idiomate hispano

Libellos supplices pro rebus ad eamdem Insulam attinentibus, in primisque methodo Indos in ipsam iterum inve-

invehendi. Editos esse annis 1598. 1603. 1604. 1605. 1607 in folio tradit D. Antonius de Leon Pinelo in Epitome Bibliothecæ Occidentalis novissimæ editionis col. 810. Meminitque ipsorum Joannes Diez de la Calle in Monumentis Indicis fol. 10. col. 2. ad marginem.

509 F. BALTHASAR DE MEDINA, Natione Mexicanus & Patria, nudipedis Franciscanis Mexicanæ Provinciæ à S. Didaco nuncupatæ Professione se junxit, quam, si quis ullus, illustravit egregiè, cuique simul & Patriæ fuit in delicijs. Philosophiam & Theologiam Lectoris functus munere Sodales docuit annos 15, bonisque & amœnissimis, queis pollebat, litteris erudivit, tanto in Libros conatu studioque incumbens, ut multas quotidie horas, duodecim frequentius, eis evolvendis daret, quas somno quietique subtrahebat, ut lectioni scriptionique deditus nullas sacris meditationibus regularibusque strictioris Familiæ institutis suffuraretur. Nec enim minori erat in religiosâ perfectione tenendâ, quam in excolendis scientijs studio, proptereaque & à Provincia sua Deffinitor fuit constitutus atque Guardianus, & à totius Familiæ Præsule Visitator in S. Gregorij ad Philippinas Insulas Provinciam dimissus. Vastissimo, quod Americam interjacet & Asiaticas Insulas, pelago enavigato, ad propria revertitur, Provinciæq; suæ instituitur Chronographus, quam felicissimè adornavit spartam, sive fidem in narrandis observes, sive in disponendo methodum, sive elegantiam in scribendo & perspicuitatem opportunę junctam eruditioni. Ut verò scriptis etiam benemereretur de Patria, multa ejus totiusque Novæ Hispaniæ decora sparsim, oblata occasione, historiæ suæ inseruit.

510 Quòd autem Mexicanorum ornamentum eximium fuerit Beatus Philippus à JESU, excalceatorum memoratæ S. Gregorij Provinciæ alumnus, Mexici natus, & apud Japonienses Proto-Martyris gloriâ illustris, proptereaque in Beatorum album ab Urbano VIII relatus, ut conscriptis 14. Septembris 1627 Apostolicis litteris cernere est, incipientibus: *Salvatoris & Domini nostri*: Hac de causa Balthassar, pręter ea quæ in Chronicis suis Libro 3 toto cap. 12 brevius pro instituto suo de Actis, Martyrio, & Beatificatione Philippi scripserat, ejusdem altero Volumine plenam Historiam condidit, quam itidem publici juris fecit. His alijsque scriptionibus, quas mox dabimus, insuperque sacris concionibus, & cæteris religiosis officijs vacantem, molientemque id temporis, à se dicendam ad Capuccinas Virgines de Immaculata Deiparentis Conceptione Orationem, mors, uti piè credimus, felicissima invenit an-

no 1697 mense Novembris an Decembris ambigimus, scientes penes eos dies denatum, ex his quæ Sodalis ejus sapientiâ & cæteris dotibus equalis F. Petrus Antonius de Aguirre, opportunè juxtà eloquenterque insinuat in Concionis exordio, quam, suffectus in defuncti locum, habuit apud easdem Moniales, edidit que anno sequenti. Noster ediderat

Chronicorum Provinciæ S. Didaci Mexicanæ nudipedum Religiosorum S. Francisci in Novâ Hispania Libros quatuor, uno comprehensos tomo. Mexici, apud Joannem de Ribera 1682. in folio.

Ad Calcem id operis nempe cap. 26 lib. 4. *Centuriam Scriptorum qui è Reformatis Familiæ suæ Religiosis varijs elucubrationibus inclaruerunt.*

Constitutiones Provinciæ suæ suis adornatas curis, eisdem typis Mexicanis exhibuit 1698.

De Vitâ, Martyrio, ac Beatificatione Proto-Martyris Japoniensis B. Philippi à Jesu tomum in quarto. Mexici, mox dictis formis 1683. Prodijt rursus Matriti ex Officina H. V. Joannis Garcia Infanzon 1751. in quarto.

Vitam F. Bernardi Rodriguez Lupercio, ejusdem S. Didaci Provinciæ Sodalis. Mexici, ex Typographia item Luperciana 1688. in octavo.

Concionem de Immaculata Deiparentis Virginis Conceptione in Cathedrali Ecclesia Manilensi, quæ Metropolis est Insularum Philippinarum, à se habitam. Manilæ, apud D. Gasparem à Regibus 1672. in quarto. Quam & Authorem elogijs cohonestat P. Vincentius Lupecius Societatis JESU, Opere suo de Seculis Conceptionis Marianę, Seculo 18 pag. 840. Mss. Ineditorum Operum extant

Miscellaneorum volumina duo in folio & tertium in quarto apud Bibliothecam Cœnobij S. Didaci Mexicani, quod primarium est & caput Provinciæ.

Meminere nostri Bibliotheca Franciscana F. Joannis à S. Antonio tom. 1. pag. 177. P. Franciscus de Florencia S. JESU, in Historia Servatoris nostri Imaginis, quæ ad Sanctuarium de Chalma nuncupatum, ab Augustinianis Patribus asservatur, quotidiana que & insigni colitur religione cap. 53. D. Antonius de Leon Pinelo in Epitome Bibliothecæ Occidentalis editionis novissimæ col. 753 & 836, ut prætermittamus Betancurtium sępe ipsum in Theatro Mexicano laudantem, multosque in monumentis Mexiceis varijs, hominis erudítissimi unà ac religiosissimi elogia texentes.

511 M.F. BALTHASSAR ORTIZ DE CARABEO, cujus Natio & Patria nobis sunt in incerto, Domicilio equidem Mexicanus, Ordinem Prædicatorum in Provincia S. Crucis Indiarum solenni ad S. Joannis in Laterano Cœnobium Habanense, emissâ pro-

professione anno 1675 amplexatus est. A Sanctitate vitæ haud minus commendatus quam à doctrina fuit, cujus affluentem sibi copiam ex Angelici Doctoris Libris hausit, quibus deliciarum causâ utebatur, proptereaque Cathedris in eodem Conventu regendis admotus, & Philosophiam docuit & Sacram Theologiam, gradu subinde Magisterij ritè insignitus. Rure licet donatus, pristina nullus tamen ipse studia dimissit, imò vehementius perscrutandis S. Thomæ quatuor Summæ Theologicæ partibus incubuit, è quibus extracto industriè succo Librum scripsit cui titulum fecit,

Medulla Angelici Doctoris,

Quique Mss extat in Bibliothecâ ejusdem Cœnobij, ut datis ad nos litteris testis est M. F. Joseph Gonzalez à Fonseca, ejusdem Ordinis, eo multoties degustato Opere, ingenium, studium, & doctrinam Authoris miratus.

512 F. BALTHASSAR A REGIBUS, Natione Hispanus, ad Castra Vitelliana forsitan natus (nam qui ejus nobis exhibet Vitam M. F. Didacus Bassalenque Augustinianus, in Historia Provinciæ ejusdem Ordinis Regni Michoacanensis fol. 157. ambiguus de natali solo est, id certum habens situm in Beturia fuisse illum) adolescens Mexicum petijt, brevìque Clarissimo S. Augustini Ordini nomen dedit in Conventu Mexiceo, qui, indivisâ tum temporis SS. Nominis JESU Provinciâ, omnium caput erat, etiam Michoacanensium, in alteram deinceps à S. Nicolao Tolentinate nuncupatam Provinciam abeuntium. Exacto cum observantiæ laude tyrocinio, emissisque votis, studijs incubuit egregio profectu. Quòd verò avidiùs longè regularibus institutis cæteris & strictiori disciplinæ inhiaret servandæ, eximiè probatus senioribus perfectiora cupientibus, & ad unguem retineri, ut fiebat, optantibus, primùm Rectoris vices agere in Pauliano Collegio, Prioris item Cœnobij Maximi jussus est: mox prior alijs, Zacatecano, videlicet, Atriscano, & Vallisoletano Conventibus præfuit, austeriori vitâ cùm subditis, tum etiam extraneis imitandum ac verendum exemplar exhibens: Deffinitor etiam Provinciæ electus, eo quoque, quod è primarijs est munere, sanctè & prudenter est usus.

513 Tanta erat modestiâ & pudicitiæ amore, ut sua nunquam sponte fœminas visitaret; si quando verò ipsas, coactus munere Superioris, inviseret, homo cæterà eloquens doctusque Prædicator, atque in virorum consuetudine humanus, eis de more salutatis, pisce, ut dicitur, taciturnior mox erat, ut pro inde, quem secum deferebat, Socium præmoneret, ipse ut urbanitatis ergo colloquia intexeret. Tempo-

poris nullam passus jacturam, à confabulationibus inutilibus abhorrebat, cellâ perpetuo clausus, legendisque & scribendis deditus Libris, nisi, vel Præsulis, quod gerebat officium, egredi eum cogeret, aut aliò evocarent religiosæ instituta observantiæ, quibus obeundis promptè omnibus vigilabat. Nec verò articularis morbus, quo cruciabatur, ipsum ut laboris & studij tæderet, erat in causa; cujus tandem morbi molestia nimis à 60 ad usque 73 annum ætatis divexatus, Sacrisque munitus Sacramentis, ad plures abijt in Cœnobio Cuiseano. Concionatoris egregiè functus munere multos propria manu Libros scripsit videlicet,

Sermonum volumina 23.

Quorum singula quadringentis circiter folijs constare testis est de visu V. P. Bassalenque, addens, totidem à se numerata fuisse, quadriennio Nostri obitum præcedente, quo rursus tempore alia elucubrasse non dubitat.

514 D. D. Balthassar de Tovar, Natione Hispanus, Domicilio Mexicanus & munere, quod gessit in Regio Novæ Hispaniæ Areopago, cum primis insigni, Regij videlicet Fiscalis, Supremi Hispaniarum Indiarumque Principis jura & consulta sarta tectaque propugnantis. Genere satis clarus, & utriusque peritiâ juris conspicuus, ac varia præterea dives eruditione claros inter Mexiceos Togatos efulsit. Opus admodum utile, imò etiam pro America necessarium elucubravit, publica dignum luce, quam non dum aspexisse dolemus, scilicet

Compendium Apostolicarum Bullarum Indicum Mss in folio spisso volumine, ut testes nobis de visu homines eruditi testati sunt, insuper expendentes, præter Constitutiones Apostolicas ab initio detectæ Americæ res ejus concernentes ad usque Scriptoris tempus, extremos videlicet proximè lapsi seculi annos, emanatas, Notas in eo libro Historicas, Juridicas, Eruditas, & ad Authores pro illis elucidandis appellationes citationesque plurimas inveniri. Authorem Librum que allegat D. Joannes de Urizar in Opusculis à se editis, de quibus in loco sermo erit, rursusque de Nostro recurret, ubi ad D. Ludovicum de Mendoza devenerimus.

515 D. Barnabas Diaz de Cordova Murillo, Natione Mexicanus, Angelopoli natus claris parentibus, ibidemque Latinis, Philosophicis & Theologicis litteris eruditus, Mexici Doctoratum in Sacrâ Facultate suscepit, quo insignis honore Lares repetens proprios, sacris interpretandis Biblijs destinatus Professor fuit in Regio SS. AA. Petri & Joannis Collegio, quam ipse totos annos 20 spartam ornavit egregio juventutis, ad ejus Aulam quotidie concurrentis, emo-

emolumento. Adhæc, Parochias & Canonicatus petiturus, litteraria multoties pericula subijt prælectionibus idque genus alijs Gymnasij exercicijs, donec à Catholico Rege pro Ecclesiâ Metropolitanâ Mexiceâ donatus Præbenda, dein Universitatis Rectorem egit, & ejusdem Ecclesiæ Sacerdotium Lectorale, ut dicimus, pro sacris Codicibus expendendis, prævia Scholæ concertatione, tandem obtinuit. Suo defunctum munere virum à sapientia & virtute famosum, multa pro Sacrorum elucidatione Bibliorum scripsisse non nescimus,

Commentaria in selecta Sacræ paginæ loca,

Quæ autem illa fuerint nos fugit, forsanque ad Angelopolitanum mox dictum Collegium asservata Sodales invenient, atque hisce addere lineis nostris humanissimè dignabuntur. Memoriam ejus habet Plaza in Chronicis Academiæ Mexicanæ Libro 5. cap. 26.

516 D. BARNABAS DE HERRERA, Natione, ut videtur, Mexicanus, cujus nos latet Patria, Ecclesiæ Vallisoletanæ Michoacanensium, quæ Episcopalis Sedes est, Præbenda, ut dicitur, insignitus, qua erat eloquentiâ, atque in Poesi, cùm Hispana tum etiam Latina, facilitate & copiâ dicendi, emortuo Magno Hispaniarum Regi Catholico Philippo IV tumulum ab Ecclesiâ suâ magnificè erectum, natis pro re symbolis & carminibus adornavit, moxque Historicâ narratione funestissimam pompam descripsit, edito vernaculo idiomate Opusculo, cui titulum dedit

Solennissimæ Exequiæ à S. Cathedrali Ecclesiâ Vallisoletana Provinciæ Michoacanensis ductæ pro inclyta grataque memoria Catholici & Magnanimi Regis D. Philippi IV cognomento Magni. Mexici, typis V. Bernardi Calderon 1666. in quarto. Extat ad Oratorianam Bibliothecam Mexiceam.

517 FR. BARNABAS PAEZ, Natione Mexicanus & Patria, Ordinis S. Augustini in Provincia SS. Nominis JESU alumnus, Philosophia non modò doctus atque Theologia, sed verò etiam insigni idiomatis Mexicani peritiâ, pro eo publicè in Academia Mexicana tradendo destinatus est à pleno Doctorum Consessu Professor, alijsque prælatus, qui Minervæ genio in palæstra contenderant, dicto coram delibatissimo sapientum flore Sermone eâdem linguâ concepto, Evangelij themate pridie sortito. Scripsit, ut ex Academicis Libris pro annuis Lectionibus destinatis, habemus,

Artem pro Mexicano idiomate comparando.

Quatuor Evangelia eodem idiomate explicata, ad moresque expensa.

Methodum pro Sacramentali Confessione eâdem quoque dialecto agenda.

S. Athanasij Symbolum eodem item

item sermone donatum & opportunis monitis.

Meminit ejus Plaza in Chronicis ejusdem Academiæ Lib. 5. cap. 39 n. 592.

518 D. Barnabas Perez et Turcios, Natione Mexicanus & Patria, insigni vir ingenio, multumque subinde commendatus ab erudito Carmelitano F. Petro à S. Simone in Censura præfixa Operi de S. Rosa, quod statim dabimus; ludi Magister non modò ut pueri curis suis demandati graphicè depingerent litteras, easque syllabatim addiscerent pro instituto satagit; sed & ipse quoque litteris & carminibus ludere, ut erat in Hispanis numeris pangendis facilis nec ineruditus, egregiè que pius, ac sacris propterea argumentis poeticè deducendis natus aptus ut dicitur. Edidit

Vitam Beatæ Rosæ à S. Maria Virginis Limensis dimetris hispanicis alternis versibus aßonis compendio clausam. Mexici, Formis V. Bernardi Calderon 1670.

Utilitates ab auditâ Missa plurimas reportatas, hispanis majoribus numeris, vulgo Octavas rimas, expensas, acrosticè ductis litteris orationem Dominicam adornantibus, è Sanctis Ecclesiæ PP. & DD. palam dedit. Mexici, ex Typographia Joannis de Ribera 1684.

519 D. Barnabas Ruiz de Venegas, Natione Mexicanus & Patria, triplici ornatus laureâ in Academia Mexicanensi pro strenuè navata opera Philosophiæ, Theologiæ, & Canonico Juris Præsbyter factus, insignem se in Diœcesi præstitit, cùm ab litteris & moribus, tum etiam ab administratis ritè Parochijs varijs, alijsque muneribus gestis. Illmûs. Archiepiscopus D. D. Franciscus Manzo & Zuniga Vicarium ipse provincialem constituit Zimapani Curionem agentem: Ecclesijs succesivè dein præfectus de Tarasquillo & Hueguetoca, Indos ceterosque suæ curæ mandatos erudivit & juvit, ut Pastorem decet animarum minimè inertem. Quòd verò aliorum etiam in votis eruditionem haberet, tyronum præcipuè in Ecclesiasticis ministerijs, geminam pro ijs instruendis Moralis Theosophiæ edidit Summam, exiguâ quidem mole, exsuccam minimè vel jejunam, imò doctrinæ plenam. Alteram latino totam sermone conscripsit, cui titulũ dedit:

De Institutione Sacramentorum, de Peccatis ac Censuris Ecclesiasticis liber unicus. Mexici, apud Franciscum Salbago 1631. in octavo Illmô. quem nuper diximus Archipræsuli Mexiceo dicatam.

Et hujus quidem Summæ & editionis meminit D. Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Hispaniæ Nova tom. 1 pag. 146. Quòd vero anno 1646 exemplaria pridem edita rarissima essent, alteram editionem adornavit & Summam, Latinæ tantundem ferè vernaculo idiomate superaddens, om-

omniaque perſpicuâ quidem methodo, & opportuna inſtituto ſuo eruditione, cui hiſpanum pręfixit titulum:

De Inſtitutione Sacramentorum, Peccatis, & Cenſuris Eccleſiaſticis, alijsque rebus ſcitu dignis & intellectu cùm pro ſacris hominibus, tum etiam pro viris prophanis. Mexici, litteris Joannis Ruiz 1646 in octavo, Nuncupatam civi ſuo Clariſſimo D. D. Joanni Saens de Mañozca, tum temporis Quæſitori Fidei Mexiceo, dein Goatemalenſis Eccleſiæ Antiſtiti.

520 D. Barnabas de Vargas, Natione Mexicanus, ambigua nobis Patria, Præſbyter Secularis, idiomatum Mexicani & Othomienſis admodum doctus, utrumque profeſſus eſt in Academiâ noſtra, pręhabitâ ad examen duplici concione, alterâ idiomate Mexicano ſortitum ſibi Evangelicum textum elucidante ſemihoræ ſpatio, alterâ Othomienſi expendente dimidiam itē horam ſecundum ſortem item præoblatum Evangelij locum, atque utrâque 24 horarum ſpatio adornatâ. Cathedræ poſeſſionem tenuit bilinguis die 11 Februarij anno 1651, & pro commiſſo ſibi munere ſcripſit

Opuſcula Mexicanâ linguâ mane tradendâ.

Opuſcula idiomate Othomienſi dictanda veſpere.

Ejus meminit Plaza in Chronicis Univerſitatis Mexiceæ lib. 4. cap. 23 num. 201.

521 D. Bartholomæus de Alva, Natione Mexicanus, cujus Patria nobis eſt in ambiguo, Parochiam de Chiapa de Mota Mexicanæ Diœceſis perpetuo rexit titulo; atque ut erat ſacris ornatus litteris, & in Mexicano idiomate callēdo eminebat (quod magnopere decus teſtantur, Operis, quod mox dabimus, Cenſores graviſſimi Doctor Hyacinthus de la Serna, Archiepiſcopatus Viſitator, & PP. Joannes de Ledeſma, Primarius Societatis JESU Theologus, & Antonius de Carbajal, ejuſdem Familiæ doctiſſimus, omnes Mexicanâ etiam celebres eloquentiâ) juvandi ergo Indos atque ipſorum Miniſtros cauſâ, Opuſculum edidit Mexicano itemque Hiſpano ſermone pro excipiendis Confeſſionibus, proque familiaribus concionibus ad Chriſtianam Indorum inſtitutionem, dictum Latine

Confeſſionarium majus. Mexici, typis Franciſci Salvago 1634. in quarto.

522 F. Bartholomæus de Anleo, Natione Mexicanus, Goatemalæ equitum Urbe ortus, Inſtituta S. Franciſci in Provincia ejuſdem Regni à SS. JESU nomine nuncupata ſequutus, hanc actibus ſuis laudem promeruit, quæ omnium ferax virtutum, & eximiæ perfectionis compendium eſt: *Regulam ſuam ad unguem & litteram obſervaſſe.* Inſigni Linguarum peritiâ donatus, earum quæ gentibus Regionis ſunt

ſunt uſui, Præceptorem egit, quibus multos imbuit Sodales, Indis christiana ſacra publicè privatimque inſtillaturos. Nec verò vivâ tantum voce illis auxilio fuit, ſed tribus etiam conſcriptis Libris, qui hodieque non ſine multo fructu teruntur.

Primus continet *Pro integra Quadrageſima Sermones*, Mss qui à Miniſtris Doctrinæ circumfertur.

Secundus *Effectus peccati deteſtandasque ejus conſequentias expendit*, Mss item aſſervatur in Bibliothecâ Primarij Cœnobij Franciſcani de Goatemala.

Tertius majori volumine, eximia ſtili perſpicuitate atque eruditione ponit ob oculos *Servatoris noſtri Vitam, Paſſionem, & Mortem*: Quem Librum varijs tranſcriptionibus propagatum Indi multi cuſtodiunt, quorum non nulli Populi, antiquo uſque adhuc more retento, id ſolenne habent, ut ſacris majoris Hebdomadæ diebus in Eccleſias convenientes, legentem è ſuperiori loco egregiæ pietatis ſenſu excipiant, ut ab accuratiſſimo viro prædictæ Provinciæ alumno P. F. Antonio Arochena in Catalogo Scriptorum ejus ad nos perhumaniter tranſmiſſo didicimus.

523 D. BARTHOLOMÆUS DE ARANDA CIDRON, Natione Mexicanus, &, ni fallimur, etiam Patria, Cauſidicus fuit nemini ſua ætate ſecundus, propterea que in majoris momenti negotijs conſultus, & à clientibus, ipſorum ut implicatiores cauſas protegegeret, inquiſitus, queis ipſe ut conſuleret, multa & docta quidem elucubravit. Extant edita ineditaque etiam quæ ſequuntur Opuſcula ſermone vernaculo.

Pro D. Eliſabetha Picazo in negotio Officinæ rei monetariæ. Mexici, anno 1690 in folio, tacito Typographi nomine, ut id temporis uſus in his ſcriptionibus obtinuerat. Extat tom. 4. Coll. Mendozianę.

Pro Religioſarum Virginum à S. Bernardo dictarum Cœnobio, adverſus Patroni ſucceſſorem ſui agentium de perficiendâ Eccleſiâ alijsque Monaſterij Officinis. Mexici, anno 1699 in folio. Habetur apud Oratorianam Mexiceam Bibliothecam.

Pro Medicinæ Profeſſoribus litem adverſus Confraternitates trahentibus, tranſactionis cujuſdam gratiâ factæ ut ægrotis ipſarum Sodalibus illi ſubſidio eſſent atque levamini. Mexici, tacitis anno editionis, & Typographi nomine, in folio.

Appendix ad juris Allegationem pro D. Emmanuele Souſa de Caſtro editam in cauſa Majoratus de Villanueva dicti, cum Caſtellæ Tribuno militum contendente. Mexici, in folio tacitis anno & Typographo, habeturque tom. 15 Collection. Mendozianæ.

Pro D. Franciſco de Villanueva Cervantes Altamirano, in cauſa itidem Majoratus. Mexici, in folio. 1683. Extat apud eundem D. Ludovicum de Mendoza inter Opuſcula non dum compaginata.

Pro

Pro D. Gabriele Antonio Guerrero Davila, Primogenia item bona petente extant Mss Defensiones geminæ tom. 47. Collectionis mox dictæ.

524 ILLMUS. D. D. BARTHOLOMÆUS DE BENAVENTE BENAVIDES, Natione Hispanus, Matriti natus, Parentibus ea laude, ut alias prætereamus, conspicuis, quòd è primis fuerint Expugnatoribus Novæ Hispaniæ. Domicilio Mexicanus & munere, scilicet Antequerensis Ecclesiæ Goaxacensium Episcopus, eidem ab anno 1643 præfuisse scripto mox laudando compertum habemus, emortualem diem annumque nescientes. Sacræ Theologiæ Doctor, & in Juribus Licenciatus, apud Limensium inclytam Academiam Cathedras rexit annis, ut minimum, viginti, qua nempe tempestate Antecessorem juris ibidem agebat Archiepiscopus postmodum MexicanusClarissimus D.D. Felicianus de la Vega. Noster Metropolitanæ Ecclesiæ Limensis Præbendis defunctus & Sacerdotijs, ad Decanatus usque apicem evectus, ad infulas inde Goaxacenses vocatus, totum se pastoralibus curis tradidit, Cleri totiusque Diœcesis boni solicitus. Cœnobium Monialium (ut credimus, nam quod illud fuerit tacitus ipse præterit) vetustate collapsum proprio ære restituit, Collegium erexit, conditum que juxtà Sacrosancti Tridentini Concilij decreta Seminarium inductis alumnis non infrequens esse curavit. Alia triennio peregisse testatur, quæ referre citra faustum posset innanemque gloriam, imitatus Apostolum, queis tamen narrandis supersedere maluit, nobis in præsentia silentium dolentibus, nec aliunde tanti viri gesta alia venantibus. Quòd attinet ad ejus scripta, indicare multa non possumus quæ Academico ritu condidisse persuasum habemus, omnium destituti nominibus, una contenti, quæ nobis est in promptu, Hispano sermone, ad Mexiceum Pro-Regem missâ

Consultatione de rebus ad Parochias à Regularibus ministratas pertinentibus,

Quæ extat in Libro in folio *Allegationum pro Clero Angelopolitano* à fol. 112 in qua obiter ea enarrat, quæ nos hactenus de ipso scripsimus. Quanti porrò virum hunc Clarissimum fecit Excellentissimus Comes de Salvatierra, qui id temporis ad Mexiceum clavum sedebat, palam fit ex subjuncta ibidem Epistola ad ipsum data Mexici 16 Junij 1646. Author autem ejusdem Libri, nisi fallimur, Illmûs. D. D. Palafox, subdit, Nostrum è doctioribus esse hominibus, quos in Hispaniarum atque Indiarum Cathedralibus Ecclesijs id temporis Catholici, quem alloquebatur, Regis curâ florerent. Meminit ejus Ægydius Gonzalez Davila in Theatro Ecclesiæ Goaxacensis p. 232.

232 quem tamem Ægydium plura hîc à nobis enarrata fugerunt, interque ea Opusculum mox insinuatum.

525 F. BARTHOLOMÆUS DE BURGUILLOS, Natione Hispanus, apud Beturiam natale solum habuit in Opido unde ipse cognomen. Ordinem Excalceatorum S. Francisci in Provincia à S. Gabriele nuncupata suscepit, unde in Mexiceam S. Didaci, conversionis Indorum avidus commigravit. Hæc ubi illum 27 Aprilis 1612 adoptaverat, biennio post Novitijs instituendis Angelopoli abhibuit, quos pro votis & expectatione ad virtutem regularemque disciplinam formavit. Mox varijsque temporibus & Grammaticæ tradendæ juvenibus, & legendæ Morali Theologiæ, & verbo divino ad populos prædicando à Superioribus destinatus, onera isthæc omnibus numeris ritè strenuèque explevit. Quòd vero & in Scholastica itidem doctissimus esset Theologiâ, & in Juribus non parum versatus, multoties consulebatur de difficilimis, & à Fidei Quæsitoribus Censor institutus, Librorumque Revisor, voluminibus expurgandis, expediendisque cõmissis sibi à S. Tribunali negotijs frequentius incumbebat. Adhæc præfecturas gessit in Familia, non sine laude, varias, Provincialisque ornatus munere, religiosè juxtà ac sapienter rebus invigilavit.

526 At enim his priusquam officijs defungeretur, Regia præclarus Legatione jam fuerat egregioque merito. Scilicet anno 1613 F. Ludovicus Sotelus, Franciscanus, è vinculis, quæ prædicati causâ Evangelij patiebatur apud Japonienses, eductus ab (id quidem temporis) Amico suo Mazamune, Boxij penes easdem nationes Rege, Romam ad Paulum V Pontificem Maximum, Hispaniamque ad Philippum III Catholicum Regem, unà cum Philippo Francisco, gente Japonio, mittitur, ut de amplectendâ à subjectis sibi populis Religione Christiana seriò agant, colenda que cum Hispanis, præcipuè Septentrionalem Americam incolentibus, amicitiâ, atque commodo utrimque instituendo commercio. Legatis cùm in Romana, tum etiam in Hispana Curia, ut par erat, honorificè & gratanter exceptis; Philipus III è re sua & Catholicæ Fidei duxit Nuntios item ad barbarum illum Regem solennissimè destinare, cujus ut genio obsecundaret & votis, Prędicatores è Franciscanorum gremio poscentis, ab eadem quoque Familia geminos immissit Legatos, Nostrum videlicet, Mexici degentem, & F. Didacum à S. Catharina, qui & ipse postmodum Mexicanæ Provinciæ S. Didaci nomen dedit. Paruere Regio uterque mandato conscensâque Japoniensi nave, quę pridem anchoras jecerat ad Por-

Portum Acapulcanum Americæ nostræ notissimum, Japoniam anno 1616 appulère.

527 Scenâ tamen mutatâ, quòd hęterodoxi Batavi Boxij Regis auribus instillassent, caveret benè sibi ab Hispanis hominibus, qui sub Religionis pallio atque humilis obtentu vestitus Regna sibi aliena prætenderent, potentissimoque subjugarent Monarchæ suo; Catholici Regis Legati vix non inurbanè recepti & auditi, repulsisque egregijs à Philippo III honoris ergo & amicitiæ ad Japonium Principem paratis donis; jussi sunt quamprimum excedere Japoniensium Imperio, atque unà secum Religiosos qui aderant omnes navi asportatos revehere, postliminioque in Americam restituere. Factum id tandem decumanis fluctibus superatis, nec minus quadraginta tempestatibus, iniquissimis ventis sus deque propellentibus navem, quę tandem, Deo auspice, litora primùm Acapulco proxima, in quæ Noster cum majori vectorum & nautarum numero exscendit, dein Portum ipsum tenuit in pervigilio S. Mathiæ anno 1617. Nec porro nullum dificillimæ & præmolestæ navigationis atque operę extitit pretium, Nostro socijs que Religiosis nisu toto conantibus Japonios, navi vectos eâdem, de salute pluries humanissimè monitos, veræ Fidei mysterijs imbuere, eosque salutaribus aquis intingere, qui in maritimas undas proximè conjiciendi supremum agebant spiritum, ac demum sic ad unum omnes cum supremo Duce sacris nostris aptare, ut Christianis deinde ultro se aggregare voluerint.

528 Interea loci, suum Noster Mexiceum Cœnobium repetijt, postquam unà cum Sodalibus, multa pro Japonijs atque Hispanis Acapulcum appulsis beneficia impetraverat à Mexicanarum rerum potiente Marchione de Guadalcazar D. Didaco Fernandez de Cordova Novæ Hispaniæ Pro-Rege, cui & suæ Legationis rationes dedit transmittendas ad Regem, & acceptissimus inde fuit. Venienti autem post quadrienninm Marchioni de Gelves D. Didaco Carrillo Pimentel & Mendoza, in proximè memorati Pro-Regis locum suffecto, gratior longè fuit & acceptior, ut subinde conscientiæ moderatorem sibi illum adsciverit atque intimum consiliarium. Carò ei tamen id necessitudinis & muneris stetit, multa duraque perpetienti, & graviora longe casso neutiquam formidanti timore, nefasta quidem die quæ *Quinta decima Januarij* etiamnum audit, apud exteros etiam Scriptores notissima ab excitatis Mexici turbis anno 1624 dissidij ergo Pro-Regem inter & Archiepiscopum Ecclesiasticæ immunitatis causâ, quod alibi commodius insinuandum dimittimus.

timus. Quòd enim Pro-Regis acturus negotium, habito ad id cætu, tenuisset, Archiepiscopum sacris Pro-Regi interdicere neutiquam posse, aut si forsan in lata à communi Jure anathemata lapsus esset, palam id datis Edictis facere pariter non valere: isque Nostri sensus in ea rerum catástrophe lateret neminem, vulgares & è plebe, qui tumultuaverant plurimi, gravissimè offensi, in absentis Archiepiscopi Palatium, ijs sociatum qui ipsi opinando adhæserant, violenter detrudunt, deteriora longè in ejusdem caput molientes, ni suas Regium Auditorium partes interposuisset, atque inde eductum populari subtraxisset indignationi.

529 Rebus tandem pacatis Gelvesio Principe in Hispaniam Regijs litteris revocato, Archipræsuleque Illmô. D. Joanne de la Serna Ecclesiæ Zamorensi præfecto, & Legato Regis Mexicum transmisso D. Martino Carrillo de Alderete, apud Supremum Hispaniæ Consistorium Quæstore Fidei, post Archiepiscopo Granatensi, qui in præteritam nuper tragediam inquireret; Huic Noster editum à se Libellum exhibuit, invidiam ut longe propelleret, quam sibi opinio illa consciverat, ab idiotis perinde accepta, ac si, quæ insita est Pontificali Dignitati facultas ferendi Ecclesiasticas Censuras, in dubium vocaretur & negaretur; Doctis autem viris etiam ingrata, non ignorantibus, quo illam Author sensu condiderit & coarctaverit. Ut ut illa fuerit (cujus ad historicos crisis non attinet) totam seque Noster Judici Ecclesiasticâ juxtà Regiâque præpollenti jurisdictione, dimissit, eximijs in Opusculo illo argumentis datis, non modò egregiæ, qua dives erat, eruditionis, sed verò etiam christianæ virtutis, Catholico-Romanæ fidei tenax, humilitatis & charitatis cultor, qui acceptas haud ita pridem injurias æternæ oblivioni mandasset, & quam longissimè ab animo disjecisset. Secundum hæc Provincialis, ut dicebamus, electus, triennio Familiam ubi accuratissimè rexerat, rursusque Mexiceo Conventui Guardianus, ut dicunt, præfuerat, prælongâ divexatus ægritudine, unum ei levandæ auxilium nactus librorum studium (quibus Cœnobij Bibliothecam pro diversis Facultatibus locupletem reddiderat) multis religiosæ vitæ documentis exemplo Sodalibus fuit, donec, Sacramentis munitus, è vivis excessit 9 Maji 1638. Doctissimis hominibus fuerat in pretio, à quibus Academicis juxtà Religiosisque sæpe consulebatur, signatimque ab eorumdem Antesignano P. Doctore Petro de Ortigoza Soc. JESU, quo cum familiaris erat ipsi necessitudo. Clarissimus F. Balthassar de Medina è cujus Chronicis lib. 3. à cap. 27 ad 30 hausimus hactenus enar-

enarrata, ibidem n. 579. testatur; Nostrum edidisse quem mox diximus

Libellum supplicem.

Inedita verò & publico utilia bono reliquisse addit num. 584. isthæc Opuscula

De Magistratibus & Prætoribus Indorum.

De Contractibus in Argentifodinis usu frequentibus.

De Emptione Venditioneque Argenti & similibus.

De varijs Mercatores Navigantesque concernentibus.

De multis ad Regulares spectantibus.

Constitutiones Provinciæ Mexicanæ S. Didaci unà cum Apostolicis privilegijs. Mexici longè post funus Authoris 1698 in quarto, typis H. V. Francisci Rodriguez Lupercio.

Meminere ejus Fr. Joannes à S. Antonio in Bibliotheca Franciscana tom. 1 pag. 184. D. Antonius de Leon Pinelo in Occidentali t. 2 col. 803. Et Dr. Samaniego in Panegyri Archiepiscopi D. D. Manso à se contextà fol. 27 Nostrum consummatissimum & in Morali Theologia & in utroque Jure Magistrum cognominat. Illmûs quoque Augustinianus M. D. F. Josephus Sicardo, in Christianitate Japoniæ lib. 1. cap. 13 pag. 65. ejus in Legatione memorata gesta recenset, non sine elogio viri.

530 ILLMUS. D. M. D. F. BARTHOLOMÆUS DE LAS CASAS ALIAS CASAUS notissimus laudatissimusque Chiapæ Episcopus, Hispaniæ, quæ natale ei solum dedit Hispalim celeberrimam Beticæ Urbem, decus eximium, Americæ nostræ ornamentum, & pro Indis tuendis murus atque præsidium, Cleri Secularis, cui cooptatus doctrinâ & virtute præfulsit, honos, Prædicatorum Ordinis, quem apud Insulam Hispaniolam amplexatus fuit, fulgentissimum sidus, multas jam diu paginas, imò Libros etiam actibus suis & elogijs implevit, quibus subinde delibatis à nobis, ne recoctam lectoribus crambem videamur apponere, uberioris cupidos & fusioris sermonis ad Authores mox signandos remittimus, quorum ad delicias usque pasci narrationibus poterunt. Parentem clarissimâ stirpe virum è Gallis ductâ, Franciscum, in Americam recèns à Columbo detectam inclytum Argonautam anno 1493 insequentem, comitatum fuisse admodum puerum, D. Nicolaus Antonius, non sine locupletissimo teste Augustino Salucio Dominicano, in de monetis Hæbreorum Mss dicit. In Patriam redux anno 1498 Sacrorum Canonum studijs ibidem incubuit, uti mox laudato arrisit Nicolao Antonio; Remesalius verò, qui solennius omnibus Nostri vitam elucubravit, Salmaticensia illi pro Canonico Jure imbibendo Gymnasia designat, subjungens, Licentiatus gradu,

du, à quo insignis & nominatus tandiu fuit donec regularibus se Institutis devovit, Academico more donatum fuisse.

531 Ut ut id fuerit, non à doctrina tantùm, sed à virtute egregium sibi peperit nomen, ut subinde Sacerdotio initiatus, unus fuisse dicatur è duodecim Clericis, moribus juxtà litterisque conspicuis, quos secum in Hispaniolam Apostolicus Nuncius F. Bailus pro gentis christiana institutione detulerit. Cui & si alij placito reffragentur, collatitia tamen omnes tenent suffragatione, è primis Nostrum fuisse Præsbyteris in primatem illam Americam commigrantibus. Neo Sacerdos primum in Urbe de la Vega dicta, quæ Insulæ caput erat, sacrum solenni pompa fecit, propterea frequentiore Hispanorum & Indorum coronâ, gestientiumque significationibus celebratum, quòd nullum adhuc in occiduæ plagę Indijs Neomystem ad aras facientem exceperant. Inde in Cubam Insulam evocatus ab ejusdem gubernatore Didaco de Velasquez, ut eo pro justitiæ negotijs uteretur ministro juris equidem peritissimo, ipsam ubi lustravit, atque in Jamaicam non longè sejunctam divertit, multis consilio suo & industria ad gentis juxtà Hispanorumque bonum gestis, Indos in clientelam, ut dicebatur usus que ferebat, recepit, quorum officij & obsequij mox ipsum pœnituit, intimo, quoad vixit, dolore percitus & amaro sensu.

532 Cogitanti enim & animo sæpe volventi viro pijssimo & docto, egregia, quæ hoc nomine, nec una tantum larvâ, miseris Indis mala non imminebant modò, sed verò etiam passim & agmine facto occurrebant; se illis tempestivè alumnis subduxit, cæpitque in eos & longè deteriores abusus concionibus invehi, ut avaros injustosque homines ab illis perpetrandis cópesceret, divinoque ac naturali atque hispano etiam juri parerent. Quòd tamen frustra & in cassum laborare se experiretur, ceu qui citharam surdis pulsaret; è re sua bonoque communi Hispaniam se repetere existimavit, nervis omnibus & lacertis Indorum causam procuraturum. Et anno quidem 1515 eò quamvis appulerit, obitu tamen Catholici Ferdinandi Regis mox subsequuto 2 Januari 1516, quo minus his posset insistere præpeditus, Hispaniolæ rursus sese commisit, sperans fore, uti acrioribus repetitis minis atque concionibus, auro inhiantes expertes que humanitatis in officio contineret & cicuraret. Postquam verò ea monendi increpandique defunctus provinciâ, Hylam tamen, ut est in proverbio, inclamare cognovit, iterum anno 1517 in Hispaniam remeavit, opportunum à Catholico Rege unàque Cæsare afflictis Indis petiturus remedium,

dium, quod tandem anno 1519 constitutis sanctissimis legibus, anno proximè consecuto in pristinam Insulam secum unà portavit. Intimare Regia decreta cœpit, diuque ut in mores inducerentur ac multum institit, quibus nihilo magis proficiens, Mundi pertæsus, nuntium ipsi dare constituit, reque cum eximio viro F. Petro de Feria Prædicatorum Ordinis micantissimo lumine serio consulta, eidem se Instituto nuncupatis votis addixit.

533 Annos octo dein moratus in Insula, studijs incumbens religiosisque ministerijs, Sodalibus quandoque Prior datus; audiens novas in America, quæ ad meridiem est, ab Hispanis fieri conquisitiones, veritusque impendentia à Belliducibus & militibus alijsque genti mala, ardor ille inextinctus multò refervuit Indos juvandi, quo circa anno 1530 Carolum V allocuturus in Hispaniam trajecit, è qua obtentis Catholico Rege dignis sanctionibus, in Americam evolavit, Goatemalæque & Mexici quietius & pacatius Theologiam excoluit (quod Illmûs Padilla Davila & alij scripsere) ut scilicet Jurium scientiæ, qua erat imbutus, subsidium Theosophiæ & robur pro instituto suo superadderet. Hinc ad Peruanos se contulit, cùm monendi Conquisitores gratiâ, Regiasque Schedulas pro Indorum libertate & favore aperiendi, tum etiam Prædicatorum Ordinis Provinciam extruendi unà cum ijs qui inibi agebant Socijs. Rebus tamen multo Martis pulvere adhuc turbatis, subindeque, quod moliebatur, operi fundationis non opportunis; ad nostros revertitur, atque in Urbe Verępacis conquiescit Sodalibus aggregatus, quibus cum instituendis christianè Indis, non minimo fructu, invigilavit.

534 Ab Antistite Goatemalensi, cui auxilio fuerat in grege pascendo, virisque alijs de neophitorum incolumitate solicitis anno 1549 iterum in Hispaniam dimittitur, uti à Carolo V Leges demum postularet & Ordinationes Novi Orbis regimini, in re præcipuè Indorum libertatis, atque hanc consequentibus, obtentu eludendas nullo, citraque dolum omnem servandas. Cæsarem per id tempus extra Hesperiam agentem, triennio præstolatus, domi reversum, invisit tandem, & colloquijs cum eo habitis, tum etiam oblatis ei libellis, de rebus Indicis ac multorum in eis Hispanorum abusibus certum reddidit. Ægrè quidem errata illa nostrùm Carolus tulit, nævisque immortalem Hispanorum gloriam fœdè ab his deturpari, qui ipsam cœteris ornamentis caducisque bonis ante ferre debuerant, pro eaque Cræsi ac Midæ divitias nihili ducere, in primis autem Dei, cujus egerant causam in Novi Orbis con-

conquisitione, mandatis nutibusque libentissimè obtemperare.

535 Id circo, Vallisoleti in cœtum evocare jussit Viros divini humanique juris doctissimos, ut gravissimis undique ventilatis rebus atque discussis, quo opus esset remedio ipsi docerent, Cæsarque, ut in votis habebat, longissimè dissitis & innumeris subjectis sibi Populis ac Nationibus subveniret atque consuleret. Evocatos inter Doctores adfuit Joannes Genesius Sepulveda Cordubensis, Theologus, & Cæsari à Chronicis, vir ab eruditione, doctrinâ, & eloquentiâ maximi habitus, Antagonistæ Nostri partes acturus, qui quamvis extra rationis orbitam à sævis non paucis Hispanis nullus ipse decurrentia excussaret iniquè gesta; duriuscula tamen emollire aggressus & propugnare viva tunc voce, deinceps etiam scriptis datis; repulsam jure passus est, Nostro ex adverso illum Libris etiam & verbis quatiente, iterumque atque iterum arietante Theoremata æquitati & humanitati non admodum consentanea. Vicisse tandem obtinuisseque Nostrum causam, argumento sunt, præter alia, & editæ anno 1543 sanctissimæ Leges (quarum Author haberi debet Casas, ut Nicolaus Antonius scribit, quasque mox cũ alijs Americæ regiminis negotium attinentibus, compaginatas Mexici edidit D. Vascus de Puga) & Genesij Sepulveda Liber de justis belli causis contra Indos suscepti, ab Hispano suppressus Consilio, postquam, negatâ illum typis cudendi facultate, Romanis furtivè typis prodierat: itemque D. Bartholomæi Frias de Albornoz Opus non absimilis argumenti à Quæsitoribus Fidei Mexicanis proscriptum, uti monet Padilla Davila, nosque in loco dicemus.

536 Ovans, nec tam sibi lætus, quam Indis, quorum patrocinium susceperat, proximè erat in Americam ut regrederetur anno 1544 cum ad infulas Ecclesiæ del Cusco destinatur à Rege, queis tamen subductus, ad Chiapensem nostram dimittitur. Et verò honorem hunc pariter recusantem, eo tantùm nomine Pinciani Sodales ut admitteret compulère, quòd Episcopali insignis dignitate, auxilio longè facilius atque potentius suis cæterisque Indis futurus esset. Ea de causa anno eodem Dominica Passionis Hispali in majori Basilica publicè inauguratus, sequenti Julio navem conscendit, Missionarios secum Ordinis sui in Americam deferens, in quam demum appulsus, nec nulla perpesus ab his qui ipsorum obstitisse cupidati, reffracturumque etiamnum noverant; Ecclesiæ suæ sistitur anno 1547. Hîc dius pernoxque & commissos sibi & cæteros Indos volvens cogitatione, omnium ut auspicatius provideret incolumitati, atque adversantibus oppor-

portunius occurreret, Ecclesiæ abdicari suæ, bona cum Romani Pontificis venia, ad obitumque usque Vallisoleti Hispaniarum apud S. Gregorij Collegium subsistere, decrevit quidem, & exequutus est anno 1551. Et ibi quidem annos quindecim ad extremum usque diem suum commoratus ita est, ut Indorum negotijs eximiâ deditus charitate tractandis, animæ item suæ & Dei gloriæ, queis nil habuerat antiquius, totus invigilaret, orationi diu incumbens, cæterisque christianis virtutibus, quas in longissimè traductâ ætate sanctè coluerat. Ergo 92 annos natus, circa finem Julij 1566 ad optatam, ut par est credere, gloriam, post tot exantlatos labores migravit.

Scripta ejus, quæ plurima sunt, & è queis exteri Hispanos criminandi sugillandique occasionem passim arripiunt; ante quam recenseamus, operę pretium duximus, illustrium è nostris Criticorum sensus monitaque præmittere, Gallorum post ab eruditione juxtà & crisi commendatorum, testimonium subnectere, & coronidis instar argumento huic apponere exteri Authoris notissimi fragmenta aliquot P. Thomæ Bozij Eugubini, è Congregatione Oratorij, de Romana Catholica Ecclesia præclarè meriti Libris de *Signis Ecclesiæ Dei* ab Eruditis plurimi habitis, nec sanctitate vitæ minus conspicui, Sancto Philippo Nerio perchari, cujùs acta Thomæ jam diu legimus in Monumentis Historicis dictæ Congregationis à P. Joanne Marciano Neapoli editis, voluminibus quinque in fol. Principio quidem, vir Clarissimus atque in paucis doctissimus unà & amœnissimus M. F. Michael à S. Joseph Excalceatorum SS. Trinitatis in Hispania Generalis Superior, volumine 3 Bibliographiæ criticæ sacræ & prophanæ pag. 114 articulo *Joannes Michael Pius Italus Sacri Ordin. Prædicat.* hæc paulo post initium habet. *Seorsim quoque edidit anno 1618 Vitam Bartholomæi de las Casas, sive Casaus, Chiapensis in Novo Orbe Episcopi, de quo ab exteris Scriptoribus multa passim jactantur, neque vera, neque vero similia. Eorum falsitatem & jam pridem Nicolaus Antonius, & alij post illum detexerunt. Videri potest Epitome Bibliothecæ Occidentalis Titulo 1. à pag. 566 ubi plura cumulantur circa genuina præfati Bartholomæi scripta, & alia ipsi falso supposita, atque in odium Hispanorum invidiosè conficta.* Hæc ille. Nicolaus verò Antonius in Bibliotheca Hispaniæ Nova tom. 1 pag. 149 ubi Genesij Sepulvedę & Bartholomæi Albornocij scripta in Episcopum nostrum malè audijsse testatur; de gestis ab Hispanis, quæ Noster impetiverat, verba faciens subjungit: *Excusari quoque multa posse rei necessitate atque bellico jure ab Hispanis gesta, quibus crudelitatis reatum atque enormitatis Bartholomæus*

tributi, aut exaggerata alia in malum, quibus non ipse interfuit, simile vero est, ac notat non semel Bernardus Perez (lege *Diaz*) *del Castillo in Mexicanæ Historiæ* cap. 7 & 83 & 125 &c. Hactenus ad propositum Nicolaus. Epitome autem Bibliothecæ Occidentalis D. Antonij de Leon Pinelo editionis novissimæ Madritanæ col. 566 ad usque 572 Nostri Opera exactè omnia recenset, & postquam initio Paulum Freherum, in Theatro illustrium eruditione virorum part. 1. sec. 3. fol. 163. Nostrùm in invidiam Episcopi laudatorem, de multis manifestè convincit erratis; col. 568 velle aliquos, inquit, Bartholomæo de las Casas Tractatum illum abjudicare, qui hoc hispanè titulo circunfertur: *Brevissima destructionis Indorum relatio*, qui que exteris plurimis id circo egregio est in pretio, quòd dedecora Hispanorum complectatur & patefaciat. Huic suffragari placito addit M. F. Joannem Melendez Dominicanum Peruviensem in de *Veris IndiarumThesauris*, & in præfixa his Libris censura Doctorem D. Franciscum Antonium Montalvo, existimantes, Librum illum ab Gallo profectum Authore, larvâ Episcopi Chiapensis personatum exijsse, atque ut ementitis typis, Lugdunensibus que pro Hispalensibus venditatis, ita etiam pro arbitrio confictis rebus & narrationibus. Adhæc subjungit Pineliana Occidentalis Bibliotheca, PP. Echard & Quetif mox dictam impugnantes sententiam loco inferius à nobis signando; id enim verò negare nunquam posse, quod Author scripsit Apologetici adversus Navarrete fol. 22, scilicet, malè tinctum Chiapensis Antistitis zelum, nigrum coram Universo theta Hispanę præfixisse Nationi. Cui tamen in Nostrum censuræ non ita Pinelus adhæret, quin statim imminuat emolliatque illis usus verbis queis Cardinalis Baronius tom. 1. Annalium anno 48 n. 12. pro S. Epiphanio usus est: *Cæterum condonandum illi, si (quod & alijs sanctissimis atque eruditissimis viris sæpe accidisse reperitur) dum ardentiori studio in hostes invehitur, vehementiori impetu in contrariam partem actus, lineam videatur aliquantulum veritatis esse transgressus.* Pro tuendis autem hispanicis Indorum Debellatoribus Pinelus ipse legendum insinuat D. D. Joannem de Solorzano in de Jure Indiarum lib. 2 cap. 19 à n. 22. & D. Gabrielem Daza de Cardenas in Novo ad Historiam Floridæ ab Inca scriptam Proœmio. Dein verò col. 569 memorat D. Bernardum de Vargas Machuca in Apologia pro Indiarum Occidentis Expugnationibus contra Chiapensis de Indiarum destructione Tractatum anno 1552. editum, qui Bernardus Episcopi commentitias esse palam facit enarrationes: quamvis Apologia isthæc, ut Remesalius animad-

vertit, publici juris fieri non est permissa. Et hæc quidem quæ ad rhombum in Occidentali Bibliotheca nobis sunt visa. Ad Gallos Criticos Scriptorum Ordinis Prædicatorum Historiographos accedentes, tom. 2. pag. 194. de Opere, quod lapis offensionis fuit estque etiam modò, tractantes, ita illi habent.

Hoc opus ea ætate quidam Hispani ægerrimè tulerunt, gentilium suorum scelera revelari impatienter ferentes, nec desunt etiamnum qui suppostitium contendunt, & ab auctore Gallo in odium nominis Hispani confictum, ac Lugduni sub ementitis Hispali typis primò editum anno 1552. Sic tuetur Joannes Melendez noster in Historia Provinciæ Peruanæ, cui titulus: Thesoros Verdaderos; cui adstipulatur ejusdem Historiæ censor Franciscus Antonius Montalvo in approbatione eidem præfixa, idque à Gallo quodam desertore & ad Hispanos transfuga rescitum fuisse. Sed si non aliud illis argumentum quam hujus Galli desertoris testimonium, illud certè futilissimum est. Quis enim ille Gallus, quod ejus nomen, ubi natus, unde didicit? Sed hæc missa facio. Opus in oculis ipsius Bartholomæi de las Casas viventis excussum est, si non ejus, cur mox ut vidit, suum non negavit? Præterea eadem charta eodemque charactere ac alia ejus indubitata Opera editum est. Adde quod Scriptores Hispani omnes illi asserunt, & ipse in alijs tractatibus eadem habet. Quæ subnectuntur, valdè notatu digna quidem habemus.

Nec verò dedecus sibi putent Hispani, talia apud eos monstra nata esse, apud quas enim nationes non similia eruperunt hominum portenta? An erga miseros indos æquiores fuerunt, qui eos è suis ejecerunt sedibus, terras eorum invaserunt, earum cupiditate moti Lusitani, Angli, Galli, Sueci, ac præ cæteris in occidente & oriente Batavi? Sed immortale est gentis Hispanæ decus, quod ejus Reges numquam id permisserint, probarint nunquam, imò severissimis legibus prohibuerint, licèt non semper auditi: quòd ubi scelerati illi Conquistadores avaritia excæcati, Indos bestias non homines, non anima rationali præditos sustinere ausi sunt, Consilia Regia id non respuerint modò, sed & exhorruerint: denique, quod viros apud se sapientissimos habuerit, quales Bartholomæus noster & alij innumeri, qui se Indorum Patronos exhibuerint, gentilium suorum errorem non dissimularint, ac in ordinem omnia tandem aliquando reduci obtinuerint. Jam coronidis loco pollicita à nobis supra Thomæ Bozij fragmenta scribamus oportet: Tom. 1. de *Signis Ecclesiæ Dei* lib. 10 cap. 13 hæc habet.

Hinc, ut legimus apud Petrum Martyrem, sæpe inter Christophorum Columbum & Bucilum Catelanum, quem Præsulis Ecclesiastici nomine ac potestate Alexander VI Papa ad Indias missit, contentiones honestæ exoriebantur, quòd Bacilus nimirum sæpè contendebat, ne in gentes illas à nostris aliquomodo sæviretur: belluinis namque factis belluas omnes su-

perabant. Nam quæ bestiæ sui generis bestias devorant ut illæ mutuò se se comedebant? Quæ bestiæ filios suos alunt, ut pinguiores & adultiores effecti, sint Parentibus (horrendum dictu) pro cibo? Hæc illæ, è quibus cætera discas, agebant. Quo circa, ut aliquis Hispanus fuerit aliquando in illas crudelis, tanta certè quidem immanitas erat illorum populorum, ut ad humanæ naturæ studia revocari nullo modo possent, nisi edita fuissent in illos exempla illustrissima suppliciorum atrocissimorum: quæ tamen Episcopi Religiosique nostri cohibuerunt. Non benè igitur quidam Scriptores invehuntur in Hispanos, quòd adeo fuerint diri in Indos. Aliquos ex Hispanos fuisse in aliquos Indos haud negandum. Vix tamen erat ut aliter fieri posset. Peccatum est ab aliquo: non totius est Nationis id crimen. Peius actum fuisset nisi Episcopi Religiosique viri intercesissent, qui semper, ubi opus erat, obstiterunt, rem que ad Paulum III detulere, quo suam authoritatem & ipse interponeret. Libro autem 7 ejusdem tomi cap. 4 ubi Mexicanorum dedecora Idololatrarum retulerat, eorundem christianos mores ab Hispanis imbibitos laudans scribit: *At nunc Populi omnes ad Christi cultum traducti superant vel æquant propè Europæos cunctis humanitatis ac Religionis officijs, ut ex ipsis qui diu per illas Regiones vagati sunt, Romæ audivi, & usu percepi, cum noverim nonnullos ex ijs oriundos & indigenas, eorumque confessiones in Urbe audiverim.* Tandem, ne multi simus, Lectores ad ejusdem remittentes caput 1. lib. 8 paucula hęc delibamus. *Tertium sit illud (* scilicet Hispanorum decus *) Nulla unquam gens, ex quo Adamus habuit liberos, tot Nationes moribus ac ritibus dissimiles ad unius Religionis cultum, vel earundem legum studium perduxit, ut Hispana. Vix enim quisquam possit enumerare gentium varietatem, moresque illarum prorsus inter se dissidentes, quas Hispani sub Imperium suum miserunt, & ad Christi venerationem perduxerunt uniusque Dei cultum. Sunt in promptu Historiæ: legat qui volet.* Sed de his hactenus. Reliquum est, ut Nostri scripta in sillabum redigamus. Atque ut Mss postmodum referenda servemus, ab editis exordiamur. Hispano sermone dedit

Tractatum comprobatorium summi quod in Indias habent Imperij & communis principatus Reges Castellæ & Legionis. Hispali, Gothico charactere Sebastiani Truxillo 1552 in quarto. pp. 160. qua se scriptione ab eo crimine liberavit apud Consilium Regium, de quo accusatus fuerat ab Indiarum aliquibus domitoribus, perinde quasi Catholici in Americam Regis abnueret Imperio.

Hispano item sermone extat *Disputatio & controversia Episcopum inter & Doctorem Genesium de Sepulveda, contendente hoc Indiarum adversus indigenas debellationes licitas esse; illo autem è regione propugnante affirmanteque, fuisse,*

ſe, nec aliter eſſe poſſe, illicitas, tyranidis, injuſtitiæ & iniquitatis labe ſordentes; Quæ habita eſt diſſeriatio coram doctis pluribus Theologiæ peritis & Juris, in Congregatione Regio Caroli V juſsu inita Valliſoleti anno 1542. pp. 112. Quòd autem Apologia iſta pro Indis longior viſa ſit & difuſior, ut in compendium redigeretur operâ egregij Theologi M. Dominici Soto, qui unus erat ex aſſidentibus in eo cætu, Conſilij nutu decretum eſt. In Summam ubi redacta fuerat, & ad duodecim capita revocata, totidem objectiones Geneſius oppoſuit, queis uti tempeſtivè reſponderet Epiſcopus, ſecundam Opuſculi partem adjecit hoc titulo.

Reſcripta repoſitaque ab Epiſcopo adverſus reſponſa à Doctore Sepulveda duodecim parata objectionibus in Summarium Apologiæ ſuæ collimantibus. Opuſculum hoc unà cum præcedenti, ceu prima ſecundaque pars, habetur pp. 112 & quidem Hiſpali, formis Sebaſtiani Truxillo 1552 in quarto. Item Barchinone, litteris Antonij la Cavalleria 1646 in quarto. Utriuſque memoria editionis habetur apud Scriptores Ordinis Prędicatorum pag. 193. itemque Italicæ Verſiones per columnas Italica ad Hiſpanam è regione in eadem pag. reſpondente, ſtudio Marci Gimnani, & ipſius typis, Venetijs 1645 in quarto. pp. 184. Diſſidij porrò hujus finis tam è voto Noſtri ſucceſit, ut inde Leges in favorem Indorum latæ, quas ſuperius memoravimus, emanaverint, Antagoniſtæ Libris ſuppreſſis.

Vernaculo item ſermone prodijt Tractatus alter hoc titulo.

Poſitiones triginta admodum juridicæ, in quibus ſummariè & breviter multa tanguntur jus attinentia, quò Eccleſia & Chriſtiani Principes gaudent aut frui poſſunt in Infideles, cujus illi cùmque ſint ſpeciei: In primis autem verum aſſignatur & validiſſimum fundamentum, cui Regum Caſtellæ & Legionis ſummum in Orbem novum Imperium nititur, quo in Occidentalibus Indijs Domini conſtituti ſunt communes, & Imperatores in multos Reges. pp. 20. Extat in utràque editione.

Latino ſermone habetur Tractatus hoc titulo.

Principia quædam ex quibus procedendum eſt in diſputatione ad manifeſtandam & defendendam juſtitiam Indorum. pp. 20 primę editionis, in qua ſola legitur, ut Galli Critici ſcribunt; Pinelus autem col. 769 alias adjicit editiones anni 1607. in quarto.

Rurſus materna lingua edidit

Breviſſimam deſtructionis Indiarum relationem.

Cui adjecit *fragmentum alterius à quodam ſcriptæ relationis his Indorum debellationibus quondam intereſenti.* Præter memoratas Hiſpanas editiones, plures ſunt aliæ ejuſdem operis in multas Europæ linguas converſi.

Scilicet hoc latinè titulo: *Narratio Regionum Indicarum per Hispanos quondam devastatarum verissima: Hispanicè conscripta, post alibi Latinè excussa, jam verò denuo iconibus illustrata*, prodijt Oppenhi-tonij curis, & sumptibus Joannis Theodori de Bry, typis Hieronymi Galleri 1614 in quarto. Postea Heidelbergæ cum ijsdem iconibus typis Guillermi Uvalteri 1664 in quarto. Preter has editiones apud Scriptores Ordinis Prædicatorum legendas, aliam vidimus apud Avarea in Orbe Terrarum &c. verbo *Indiæ*, nempe Francof 1598 in quarto, aliamque Latino Hispanam. Ibidem 1690 in quarto.

Italicas Versiones ijdem Critici Galli, Nicolaus Antonius, Avarea alijque afferunt: Venetiarum 1626 in quarto, & iterum ibidem Marci Ginammi 1630 & rursus ibidem Hispanicis & Italicis columnis hinc inde pro utrâque dispositis linguâ, Ginammi 1643 in quarto pp. 150.

Gallicæ autem Versionis Jacobi Bigroddi editio est Antuerpiensis Francisci Raphelengii 1579 in octavo, testibus Avarea, Nicolao, & citatis Gallis, addentibus alteram anni 1582. Pinelus verò Editiones recenset alias nempe anni 1598 & 1645. in quarto. & 1648. tomis duobus in 12. Subdit insuper Bellegardum item Historiam hanc gallicam fecisse, teste Dupin in tabula Authorum Ecclesiasticorum, edidisseq. 1597. Germanicam Translationem anni 1597 in quarto citati afferunt Galli.

Tractatus Regij Indiarum Consilij mandato scriptus super negotio Indorum, qui in servitutem à Castellanis abrepti fuerant pp. 71 habeturque in ambabus editionibus Hispanicis. Item Italicè & Hispanicè, ut supra Venetijs, typis Ginammi 1657 in quarto pp. 96 hoc titulo: *Supplice schiavo Indiano di M. Bartholomæo de las Casas, &c.* Quamvis enim D. Nicolaus Antonius in ambiguo fuerit, an sub hoc Italico titulo alterius Venetæ editionis ejusdem Ginammi de anno 1636. lateret is, quem narramus, Tractatus, an alter statim à nobis huic subnectēdus; dubium substulere Critici Galli Dominicani, collatione factâ invenientes Versionem Italicam non sequenti, sed præsenti aptatam Opusculo fuisse.

Remedia inter, quæ Episcopus, jussu Imperatoris ac Regis nostri, protulit in Congregationibus, quas habere Rex ipse mandavit, Prælatorum & Litteratorum, Personarum que illustrium Pinciæ anno 1542 corrigendis Indiarum rebus, octavum ordine est quod sequitur. In quo viginti designantur rationes, quibus probat Episcopus, Indos Hispanis fiduciariam in clientelam committendos non esse, nec in Feudum, aut alio nomine pp. 112. juxtà utramque editionem Hispanam, cui citati Galli Latinam subnectunt, itemque Italicam simul & Hispanicam hoc titu-

titulo: *La libertà pretesa dal supplice schiavo Indiano, &c.* Venetijs, typis Ginanmi 1645 in quarto, pp. 184. Hisce Nostri fundamentis satisfecisse D. Antonium de Leon Pinelo in lib. de Confirmationibus Regijs part. 1. capp. 18. 19. 20: ipse Author est col. 567. editionis novissimæ Epitomes Bibliothecæ suæ Occidentalis alias istius Operis Chiapensis Episcopi editiones subjungens, nimirum Gallicè redditi 1678 in 4. rursusque Jacobi Kilingeri operâ 1623. 1625. in quarto.

Quædam monita & regulæ pro Sacerdotibus Confessiones excipientibus Hispanorum, quorum curæ Indi Indiarum oceani maris traditi fuerint. pp. 32 primæ editionis, nam in secunda tractatulus iste, simul que sequens desideratur.

Additio ad primam & quintam regulas.

Romano sermone extat conditus Tractatus cui titulus: *Erudita & elegans explicatio quæstionis utrum Reges vel Principes jure aliquo vel titulo & salvâ conscientiâ cives ac subditos à Regia Corona alienare, & alterius Domini particularis ditioni subjicere possint? antehac numquam ab ullo Doctorum ita luculenter tractata. Edita quondam cura & studio Wolfgangi Griesstetteri, nunc verò multo correptius recusa curante Jacobo Killingero juris consulto Tubingæ Wildij* 1625. in quarto pp. 47. Quam editionem haberi Romæ in Barber. & Paris. apud Dominicanos ad S. Honorati testes sunt ijdem Galli, qui & alteram dicunt laudari Romæ in Imperiali, Jenæ Joannis Golleneri 1678 in quarto.

Sedecim contra pestem remedia, quæ tunc inchoabat, & nimia serpens festinatione Indias destructum ibat. Octavum typis Authorem dedisse Opusculum hoc Hispali 1552 citati Galli Critici testes sunt folio 195. n. 3, ut propterea miremur, non inter edita recensitum ab ipsis, sed admixtum Catalogo ineditorum Operum.

Indiarum detectio Occidentalium, Italico edita & Hispano sermone 1630 in quarto, itemque Gallico donata 1697 in 12 prout extare in Casanatensi Ord. Præd. in Additionibus & Omissionibus ad ejusdem Ord. Scriptores leges pag. 825 tom. 2. Atque editorum hîc finis esto.

Ad Mss venientibus occurrunt nobis innumera minutiora, nempe *Libelli supplices, testimonia, narrationes, consulta & alia,* quæ omnia Regio jussu ab defuncti Musæo Episcopi, Pincia Matritum translata fuere, & in Tabullarium supremi Indiarum Consilij asservantur, ut Remessalius scripsit, vel in Escuriali, ut Nicolao Antonio propius verò fuit visum. Majoris Opera moliminis sunt quæ subdimus Hispano sermone conscripta.

Historia apologetica summaria que de qualitatibus ac dispositionibus cœli & soli Regionum harum, genio, politica, indole, Rebuspublicis

moribusque, quibus gentes sunt istæ Indiarum occidentis plagæ & meridionalis, quorum summum Imperium attinet ad Reges Castellæ. Magno volumine folijs 830 minutissimo scriptis caractere & sine marginibus Opus hoc constat, atque ut testis est Remesalius lectioni ejus incumbens, eruditissimum, proque Indis tuendis elucubratum, quibus se suaque regendi aptitudo periniquè negabatur à multis. Addit volumen hoc è Bibliotheca Dominicanorum Vallisoletana sublatum, sed tamen sperare se, restituendum.

Generalis Indiarum Historia, tomis tribus comprehensa in folio, è quibus priores duos vidisse se Remesalius affirmat, primum folijs 668 constantem, narrationes que ad annum 1502 perducentem; secundum verò eas ad usque 1510 continuantem folijs 197. Porrò dubium non est Historiam hanc cæteris, quæ prodierant, longis intervallis præstare, quòd & plurima à se visa Bartholomæus diligentissimus scrutatur rerum scripserit de regionibus istis, quas totos quadraginta annos incoluerat & perlustrarat, insuperque ad manus habuerit Christophori Columbi adversaria, initio detecti Novi Orbis gestis aperiendis non utilia modò sed necessaria, ut propterea quam diximus laudem Operi huic Remesalius jure tribuerit, cujus majorem partem in suam Historiam celeberrimus Chronographus Antonius de Herrera contulerit. Nec prætermittendum existimavimus, quod eumdem sequuti Remesalium Galli Critici tradiderunt, Episcopum scilicet Historiam hanc annò 1527 incæpisse, cui finem imposuerit anno 1559, deditq; in mandatis, ne ante quadraginta annos typis excuderetur.

Hujus Historiæ tomos duos Septimancæ in Regijs tabullarijs inveniri testis est de visu Pinelus, qui anno 1626 eò se contulisse supremi Indiarum Consilij jussione pro eisdem inquirendis affirmat. Addit, tribus tomis extitisse in Bibliotheca Comitis de Villa-Umbrosa Opus hoc; cujus tomi duo (transcripti, ut pronum est conjectare) quondam in Bibliotheca fuisse Jacobi Kricij Abstelodamensis, ex ejusdem Catalogo Bibliothecæ eruitur, forte que tertium volumen est, quod in eodem sillabo legitur paulo mutato titulo, pro ut etiam diversum præseferunt duo primi tomi, quibus nomen Chiapensis Episcopi Casaus præfixum est. Ad hanc Historiam revocandi videntur ceu ejusdem fragmenta

Chronici Indiarum quondam in memorata Comitis de Villa-Umbrosa Mss asservati, ut tradit Pinelus col 570.

Latino sermone conscripsit: *De cura à Regibus Hispaniarum habenda circa Orbem Indiarum, & de unica vocationis modo omnium gentium ad veram Religionem* foll 63. Opusculi hujusce transcriptionibus

bus propagati quatuor exempla adduxit Remesalius, quorũ unum Pinciæ in Collegio S. Gregorij ſtare, alterum in Hiſpania Nova, tertium in Provincia Goatemalenſi apud Parochum de Mazaltenango, quartum penes ſe habere, cujus in Hiſtoria Provinciæ Chiapenſis fragmenta dat. Utrum autem exemplum quod ſecundo loco indicat eſſe in Hiſpania Nova tacitâ Bibliothecâ vel Tabullario, idem ſit quod à PP. Dominicanis Goaxacenſibus aſſervatur in Bibliotheca Conventus magni ejuſdem Provinciæ, in medio relinquimus. Id nobis eſt exploratum, extare ibi tomũ in folio bono charactere deſcriptum hoc titulo: *Quintum capitulum lib. 1. cui titulus eſt: De unico vocationis modo omnium gentium ad veram Religionem F. Bartholomæi à Caſaus Ord. Præd. Epiſcopi quondam Civitatis Regalis de Chiapa.* Caput hoc complectitur 36 §§ admodum difuſos. Continuò adjungitur caput ſextum §§ 8 concluſum, ſeptimumque, quod §§ 6 abſolvitur. Certè negotium nobis faceſſit, dificileque videtur, Codicem hunc manu exaratum exemplar eſſe. Libri, de quo nobis eſt ſermo, propterea quòd iſte foll 63 conſtet; tria verò quæ retulimus capita §§ 50, quorum 36 ſaltem latiſſimi ſunt præſeferant, ſubindeque & ipſa tria capita, & quę reliqua ſunt foll 63 capi niſi minutiſſimo charactere non poſſint.

De Servitute Indorum ſecundæ conquiſitionis de Xaliſco dictæ foll 272.

De promulgatione Evangelij, Latino & vulgari ſermone.

De juvandis & fovendis Indis, ſermone Latino, quod grandis molis Opus appellat Illmûs Davila Padilla, foll mille conſtans, nam totidem numeros putabis, ſi viginti chartarum ſcapos ſeu faſciculos philirarum recenſeas. Mexici aſſervari apud PP. Dominicanos idem eſt Author, redditum que latinè à F. Dominico de Anunciatione, qui illud à Sodalibus Chiapenſibus commodatum acceperat.

Latino item idiomate *de theſauris in ſepulchris Indorum latentibus*. foll 192.

Hiſpanicè *Summarium eorum quæ Doctor Sepulveda contra Indos ſcripſit*. fol 94.

Eadem dialecto, *Duodecim Codices Diſputationum ab Epiſcopo Chiapenſi cum Darienſi Antiſtite, & Doctore Sepulveda habitarum.* foll 184.

Latinè: *De Juridico & Chriſtiano ingreſſu & progreſſu Regum Hiſpanorum in Regno Indiarum* fol 61.

Hiſpanicè *Confeſſionario* fol 32. Quod opuſculum non aliud videri à recenſito inter edita n 9 rectè monent Critici Galli.

Teſtamentum & Codicillus duos eſſe hos libellos ab Epiſcopo paulo antè ſuum obitum Philippo II traditos, ijdem cum alijs Doctores animadvertũt, laudarique ab

ab Emmanuele Roderico QQ. Regularium tom. 2. q. 99. art. 4.

His adjicimus *Librum in quarto varia* Nostri *Opuscula continentem* charactere descriptum P. F. Joannis de Cordova, Provincialis Dominicanorum Novæ Hispaniæ priusquam illustris Familia sua in ternas ordinatè Provincias abiret. Extat in Bibliotheca Goaxacensis Conventus magni Ordinis ejusdem, opinamurque transcriptionem esse aliquorum ex his qui numerati manent Tractatuum.

Vernaculo idiomate *Epistola ad M. F. Bartholomæum de Carranza & Miranda de dubijs circa Indorum libertatem occurentibus*, quæ Mss erat in Bibliotheca Comitis de Villa-Umbrosa uti ex Pardo in suo Catalogo fol. 167 scribit Pinelus.

Tandem, Romana Lingua conscriptum à Nostro *Dialogum De in Indias jure*, interlocutoribus Seniore & Juvenio apud Pinelum ipsum col. 572 nobis occurrit.

Jam, ut sub unum omnes, quos legere potuimus Scriptores Nostri acta vel scripta laudantes, aspectum demus, sunt illi quidem Remesalius omnium diligentissimè & fusissimè in Historia Provinciæ de Chiapa & Goatemala à cap. 10 Lib. 2 Davila Padilla in Historia Provinciæ S. Jacobi à cap. 97 ad usque finem Libri primi. Ægydius Gonzalez Davila in Theatro Ecclesiæ de Chiapa fol. 190 D. Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Hispaniæ Novâ tom. 1. à pag. 149 PP. Echard & Quetif in Scriptoribus Ord. Præd. à pag. 192 D. Antonius de Leon Pinelo in Epitome Bibliothecæ Occidentalis Editionis novissimæ à col. 566 Fernandez Dominicanus, in Historia Ecclesiæ nostri temporis cap 7. Dominicani item Lopez p. 4. lib. 2 cap. 16. Pius p. 4 col. 172. Fontana in Theat. & Monum. Altamura ad annum 1555. Torquemada in Monarchia Indica tom. 3 pag. 42 & alibi ejusdem tomi editionis Madritanæ 1723. D. Joannes de Solorzano de Jure Indiarum lib. 2 cap. 1. n. 27. Franciscus Lopez de Gomara in Historia Peruvij cap. 77. Avarea in Orbe Terrarum Scriptorum calamo delineato, art. supra indicato. Cabrera in Gentilitijs Stemmatis Mexicanis, seu de SS. Deiparentis Guadalupia Imagine n. marg. 432. M. F. Joannes de Segura Troncoso in Seneca de Mercede à num. 435 usque ad 439 inclusivè Nostrum à criminatione defendens in ipsum scripta ab eloquentissimo Chronographo D. Antonio de Solis.

537 P. Bartholomæus de las Casas, Natione, nisi fallimur, Mexicanus, Patria nobis incerta, Societatis JESU in Provincia Novæ Hispaniæ alumnus, publicusque Philosophiæ Professor ad Maximum SS. AA. Petri &

Pauli

Pauli Mexiceum Lyceum triennio Ariſtotelis Libros ejuſdem Facultatis interpretaturus, traditurusque auditoribus ſuis, Curſum exaravit, cujus primum volumen in quarto habetur in Bibliotheca Collegij Tridentini Seminarij Mexicei hoc titulo

Diſputationes Summularum & Logicæ magnæ dictatæ à P. Bartholomæo de las Caſas Societatis Jeſu ab anno Domini 1640 uſque ad 1641.

Quæ reſtant pro integrandâ Philoſophiâ elucubrationes, quo ſint in ſcrinio nos latet, ſicut & viri ſcripta alia & acta.

538 P. BARTHOLOMÆUS CASTAÑO, Natione Luſitanus, apud Scalabim notiſſimam Portugaliæ Villam ortus, Mantuæ Carpentanorũ degens anno 1623 ætatis 21. quo tempore P. Ferdinandus de Villafañe Societatis JESU in Provinciam Novæ Hiſpaniæ ejuſdem Ordinis Sodales ſupplementi gratiâ mittendos cõquirebat, hos inter navigaturus, prophanus licèt adhuc, admiſſus fuit, non ſemel à Deo ut ſibi diligentiſſimè inſerviret, nec irrito auxilio vocatus. Inſcenſâ nave, orationi, lectioni, pijsque alijs operibus deditus, Religioſis ſecularis erat exemplo, quibus aggregari diſcupiens, voti compos effectus, Amalucæ cooptatus tyronibus, reliqua probationis tempora Mexicana in Provincia exegit, in qua ita etiam ſtudijs incubuit, ut non ſine plauſu frequentarit Gymnaſia, aleamque Minervæ ſubierit. His abſolutis, jamque Sacerdorio initiatus, atq̃ ab ſpiritus fervore conſpicuus, Angelopolim pro tertia, ut dicitur, probatione dimiſſus, ſtatim eximij animarum zeli ſpecimen dare cępit, habitis in Foro, ſingulis ferijs quintis, ut uſus ferebat, concionibus ferventiſſimis coram Populi frequentiſſimâ multitudine ad Ædiculam ſacram concurrente. Nec verò hominibus duntaxat è trivio vulgique plebecula acceptus, ſed gravibus doctrinâ viris & munere è Capitulo Eccleſiæ Cathedralis, nunquam non ipſum dicentem excipientibus & laudantibus. Tantos porro inde fructus collegit, ut plurimi, antea vitijs fœdiſſimi, expiari totius vitæ exomologeſi curaverint, atque in Numinis amicitiam & gratiam redire.

539 Non ita pridem Cinaloę gentiles in Eccleſiæ ſinum Catholicæ recipi occæperant à PP. Societatis JESU barbariem dedocti & ſuperſtionem, ſacrisque ac politicis inſtituti, atque Noſter eò ut ſe conferret, Apoſtolico muneri vacaturus, Superioribus arriſit, queis ipſe ex animo paruit. Decennium, iniquas, ſole toſtas, & mille ſcatentes periculis plagas excoluit, non his tantùm corporis divexatus incommodis, ſed animi etiam afflictiones perpeſſus, queis chariſſimum ſibi hominem Deus arctius devincire, & ad ulteriora provehere amabat. Ille, Hercle, adeo erąt per-

fectionis religiosæ avidus, ut ne apicem quidem prætermiserit, his quoque minutijs intentus, quas ferventiores novitij usu tenere solent. Apud Saguaripam, & Sigibatanes primùm substitit, mox Sonoræ, quam ipse condidit Missionem, se contulit, nullo præpeditus timore impendentium malorum inermi sibi ac soli barbaros ingredienti, Ministrum licèt Evangelij ultrò & instanter expostulantes. Eos ut lucrifaceret Christo, nullum non movit lapidem, & felici succesu saxea demum corda emollivit. Quòd enim musicis illi numeris delectati, libentissimè audirent motam ab ipso cithatam haud ineleganter, vel quod illud cumque instrumentum fuerit, eâ usus opportunè occasione parvulos apud se bona cum genitorum venia retinendi, eis se ad tempus non inviti abdicantium ut movere fides condiscerent, unam imò verò Catholicam Fidem in primis ab Apostolico hauriebant fidicine, nisi dixeris Orpheo & Amphione, qui & humanas nervorum concentibus feras mansuefecerit, & Thebis sublimiorem Urbem firmioraque longè mœnia construxerit.

540 Nam hac usus arte, primo statim anno initæ Missionis Sonorensis duo millia salutaribus aquis intinxerat, quibus ter quaterve millia grandiorum ætate virorum & fœminarum brevì itidem junxit & parenti Ecclesiæ multa in dies incrementa ibidem locorum capienti. Nec mirum, quandoquidem Apostolum imitandum sibi propositum, omnibus omnia factus, adeo referebat exactè, uti lingua, quam penitissimè calluerat gentilium, cæterisque ipsorum ita usibus œconomicis & politicis (rectius nuncupaveris Barbaris) adaptaret se, facilè ut Indi crederent Indis quoque ipsum genitoribus editum, fermeque subinde haberent despectui, ni Missionum Visitator ab hac illos opinione avertisset, eximio Bartholomæum honore coram eorum cætu cohonestans. Multa porrò apud Sonorenses cæterosque, quibus præfectus fuerat, peregit, Ecclesijs christiano ædificatis ritu & instructis, ethnicisque nuper hominibus ad Dei cultum & pietatem formatis. Nonnunquam viginti integra nocte leucas confecit baptizandi ergo parvulum morti proximum; tandiuque pedes dificillimis & vastissimis perlustrandis institit locis, donec secus in mandatis accepit.

541 Adhæc, propitio sibi Deo, discrimina vitæ præsentissima effugit, miraque patravit. Nam jubentibus Superioribus, Pagos ingressus gentilium Indorum, ut plures ipsis immixtos Christianos parvulos contaminandi se idolis majorum & superstitionibus periculo eximeret, Paganorum id circo exceptus fuit plausu, quòd graviter ægrotantes ipso-

ſorum plures lavacro ſalutari perfuderit, juxtàque ſanitati ad unũ omnes protinus reſtituerit. Quandoque comitatus Sodali, Indum pluſquam centenarium, prope que vitæ finem invenit, cujus cum intimos animi perſcrutatus eſſet receſſus, liquido conſtitit, ætatem ſic duxiſſe longævam, ut naturalis juris præſcripta ad unguem ſervaſſet: tum enim verò chriſtianis, ut par erat, edoctum, Socijque manibus baptizatum, paulo poſt mortuum Indum, plaudentibus, ut remur, Superis, cœlum excepit.

542 Tanta licèt ageret inibi locorum pro Dei gloria & ſalute animarum, Deo tamen ipſum inde evocanti, atque ut ſe Mexici ſiſteret, Superioribus annuentibus, indicenti, illicò obtemperavit. Erat ſanè in divinis decretis ut deinceps Apoſtolica apud Mexicanos munia ſubiret, reſiduamque vitam perageret. Sodalitio, quod à Salvatore nuncupatur in Domo Profeſſa, eſt que antiquitate & multis nominibus celebre, Præfectus datus, totos 26 annos invigilavit, Sodalium eximio profectu, ad quos cœteramque confertiſſimam multitudinem ſingulis dominicis diebus è ſuperiori loco dicebat, promptumque ſe & facilem ſingulis, pro confeſſionibus, conſultationibus, & omni chriſtianâ inſtitutione præbebat. Adhęc cathecheticas multo tempore, quinta cujusque hebdomæ feria, conciones ſui eſſe voluit muneris, quas multo conditas ſtudio Theologicæ Summæ & aliorum, quæ ad Scholaſticam attinent & Dogmaticam, Operum S. Thomæ Doctoris Angelici, auditoribus offerebat. Pro rudiori verò plebecula breviſſimum in unico folio Cathechiſmum conſcripſit, Mexicanis ſæpius typis recuſſum. Inſuper exempla, quæ ineunte nocte, quadragenarij jejuni tempore, enarrari coram multo virorum cœtu ferventi ad mores exhortatione conjuncta, ſolent in Eccleſia Domus Profeſſæ, egregio ſucceſu, demandata ſibi habuit. Tandemque ſermonibus benè multis paſſim, ut ferebant res, chriſtianâ confectis & virili eloquentiâ, auditores cohortatus, mirum eſt quot fructus retulerit.

543 Erat quidem acuto & prænobili ingenio, multaque dives eruditione, qua tametſi opportunè in domeſticis ad Sodales ſuos concionibus uteretur, in cœteris ad populum abſtinens, ſic agebat, ut vitia evelleret, auditores compungeret, atque ad pœnitentiam capeſſendam, & amplexandam virtutem ſolicitaret. In hunc omnia Rhetoricæ ornamenta, quibus inſtructiſſimus erat, vigorem dicendi inſitum, & graviora quæque permovendis animis, ſcopum ut deſtinabat, è voto illi & ſententia ſalutem animarum optanti eveniebat. Quòd tamen vehementiori non nunquam zelo correptus, liberius loqui

qui visus fuerit, imò audatius invehi & insectari, querimonias est passus multas, & acerrimas à Superioribus objurgationes, quas ipse patientissimè toleravit, nulla nominis & æstimationis jacturâ, Apostolicus vir etiamnum audiens, & ab egregijs virtutibus semper multi habitus.

544 Et verò diligentissimè illas excoluit, Fidem in primis, cujus propagandæ gratiâ durissima pertulit, grandiaque patravit; Religioni inde peræquè intentus, cujus argumentum est *Tractatus de methodo Sacras Imagines percolendi*, inferius inter ejus scripta censendus. Spem quòd attinet, tanta erat fiduciâ, uti Deo subnixus, ardua quæque aggredi neutiquam vereretur, opem que ejus & auxilium præsens haberet. Porrò Charitatem ut deperiret dictu est difficile, conjici que ex his potest, quæ fecit, omnibus hactenus anarratis, quibus accedunt quæ prçterimus reliqua, quæque dicemus: Opusculum etiam quod de Charitate concinnavit, itemque aliud de Contritione, Lectorum ob oculos has, quibus exarserat, flammas aperiunt. Adeo quidem hæc publicis in concionibus pertractans ardebat, ut non semel abrumpere cæptam orationem, aliòque tendere opus sibi fuerit dicenti. Eam obrem, nulla præteribat charitatis officia, Sanctimonialibus ducem se perfectionis exhibebat atque Magistrum, ductis ad postremum supplicium hortator aderat & adjutor, egentibus eleemosynas, ut ut potis erat vir pauperrimus, erogabat, totusque in juvandis propter Deum proximis erat, atque ut obviam iret scandalis mali dæmonis suasu in festis solennioribus occurentibus; quæ, nocte Servatoris nostri devota natali, debachantibus per Urbem insanis hominibus, benè moratis offensioni noverat esse, industriè compescuit, invitatis hortatisque elementarijs pueris, dantibusque operam Grammaticæ, ut in suis quisque ædibus curarent, Iconem Virgineam ad fenestram, collucentibus luminibus, palam exponi, rogatoque Archiepiscopo Mexicano, ut suis in hunc propositum Edictis concurreret, cui libentissimè Præsul annuit rogatui. Et certè voti compos efectus fuit, Purissimâ Deiparente ei obtemperante, qui totum se marianis obsequijs & cultui dederat, erga immaculatam Conceptionem in primis, Præsentationemque eximiâ religione conspicuus.

545 Paupertatem, obedientiam, castitatem, patientiam, cœterasque virtutes egregiè adamavit & coluit, quas ad extremum diem usque duxit. Bimestri, qui hunc prçcessit, peracerbis doloribus patientissimè toleratis, ad æternam gloriam se comparabat, bis in die sacrâ animum confessione amplius & amplius expians, quem tamen adeò labis expertem

Sa-

Sacerdos noverat, cui eo ipſo anno, totius, quam in Societate duxerat, vitæ, hoc eſt, annorum quinquaginta rationem ſub Sacramenti ſigillo dederat, ut nullius læthalis culpæ reus haberetur, imò nec venialis quidem deliberato admiſæ conſilio. Tantâ illum Deus gratiâ munierat, cui alia itidem charismata egregia contulerat. Denique, præclaris virtutum exemplis editis, Sanctiſſimi Jeſu-Chriſti Corporis Viatico refectus, extremoque unctus Oleo, animam Deo reddidit die 21 Decembris anno 1672. Statim ut obitus ejus innotuit, homines certatim confluebant, Sancti, quem dicebant, & Apoſtolici viri cadaver veneraturi, quod ſequenti die, multis ex utroque Clero Populoque Mexiceo viris graviſſimis comitantibus funus, elatum fuit celebri pompâ, Religioſis Sancti Auguſtini PP. eam curantibus, qui ultrò ſe agendo funeri Eccleſiaſtico ritu obtulerant.

Vitam ejus conſcripſit P. Thomas de Eſcalante, Doctiſſimus Societatis ejuſdem Theologus, ediditque Mexici, typis Joannis de Ribera 1679. in quarto. Noſtri porrò ſcripta ſunt hiſpano ſermone.

Tractatus de virtute charitatis, quem ipſe Eſcalante Vitæ inſeruit Noſtri à fol. 27.

Tractatus de Actu contritionis, editus ſimiliter à fol. 37. col. 2. ejuſdem Vitæ.

Methodus pro ſanctarum Imaginum religione & uſu, cujus ſpecimen dedit ibidem Eſcalante à fol. 23 col. 2 Opuſculi dicti.

Epiſtolarum Libri tres, quarum aliquas ſparſim in Vita præcitata opportunè tranſcriptas invenies, fol. que 9. col. 1. leges tres hos Libros apud Monaſterium Mexiceum Sanctimonialium ab Incarnatione repertos, unde in Thomæ manus venère; ſingulas autem ſpiritum concernere, & ne quidem unam, quæ in hunc non collimet ſcopum, inveniri.

Aliquot acta Noſtri apud Cinaloas dedit P. Andreas Perez de Ribas in Triumphis Fidei lib. 6. cap. 18. Ejus breve ac ſucculentum elogium texuit P. Julianus Gutierrez Davila Congregationis Oratorij in ejuſdem Hiſtoricis Monumentis part. 1 n. marg. 99. Demum, extat memoria in Menologio edito à P. Oviedo ad diem 21. Decembris.

546 D. BARTHOLOMÆUS FERNANDEZ TALLON, Natione Mexicanus & Patria, florido vir ingenio, quos ab Tempe noſtra, hoc eſt, à Mexiceo ſolo retulit flores, ut in fructus matureſcerent, humanæ documento eſſe pulchritudini ſtudens, Poema hiſpanis amœniſſimis numeris vernans collegit, quod Cenſor ejus P. Mathias de Bocanegra Societatis JESU, Poetices non minus quam Theologiæ cultor, multis effert, cuique titulum dedit Author.

Florida humanæ documenta speciei, e florum ephimerâ venustate ad mores traducta & numeris alloquentibus rosam exhibita. Mexici, ex Typographia V. Bernardi Calderon 1652. Extat in Bibliotheca Collegij Maximi Mexicani Societatis JESU.

547 D. BARTHOLOMÆUS FRIAS DE ALBORNOS Natione Hispanus Talabricensis, postquã rubro Doctoris pileo Ursaone insignis fuerat, Mexicum adijt, cujus Universitatis tunc coalescentis Fundatoribus junctus, Magistralique Philosophiæ laureâ redimitus, tum etiam Legum Doctoribus cooptatus, earum Primarius Interpres & Professor fuit institutus, hac sub inde gloriâ clarus, quòd nulli secundus fuerit in nobilissima Juris civilis professione, quodque Jus peræque ac ceteræ facultates ad miraculum usquè inter nostrates postmodùm efloruerint. Ingenium ejus summum fuisse ac planè monstruosum, Author est D. Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Hispaniæ Novâ tom. 1. pag. 152. testatus, illius similisque memoriæ specimen sæpe dedisse. Tanta apud eruditos id temporis, non Americæ tantùm, sed Europæ plurimos, fuit existimatione, quantum data ad eum Andreæ Resendij Lusitani, Viri Clarissimi, Epistola indicat, nimirum summâ. Nec immeritò, quòd Juris scientiæ, quam profitebatur, ornamenta plurima contulisset, quæ inter censenda est Linguarum perities, quam ei laudem Franciscus Sanctius Brocensis tribuit in *Arte discendi brevi tempore Latinam linguam* hispanicè scriptâ, *Virum Doctissimum atque in Linguis omnibus perfectissimum* appellare non dubitans. Scripsit materno sermone, quò usui Liber pluribus esse posset,

Artem Contractuum. Valentiæ, litteris Petri Huete 1573 in f. Ad Illmûm D. Didacum Cobarruvias, Summi Senatus Præsidem, olimque Præceptorem suum. Ut sunt tamen varij hominum sesus, Opus multi ab doctissimis alijs habitum, displicuit Ignatio Lopez de Salzedo, Complutensi Professori Canonum Primario, uti Nicolaus advertit ex illius additione ad *Practicam Canonicam Bernardi Diaz* cap. 76 § *& memoria idem teneo.*

De Hispanorum Familijs Mss. Nostri Opus laudat Gundisalvus Argote de Molina, quod usui sibi fuerat Nobilitatis Bæticæ Historiam scribenti. Ita quidem Nicolaus Antonius scribit, cui citato non omnino consentit Gerhardus Ernestus de Franckenau, in Bibliotheca Hispanica Historico-Genealogico-Heraldica pag. 58 subdubitans, utrum juris consultus noster, an alius ab eo Author fuerit hujusce Opusculi, ut Pellicerius æquè ac Salazarius expressis verbis ajunt. Nos rem in medio relinquimus.

Tractatum de Conversione & Indorum Debellatione. In quo duriora

ra forsitan docere aggressus & propugnare, quam æquitas mansuetudini christianæ juncta sub-stineat, repulsam est passus, Liberque à Quęsitoribus Fidei proscriptus, ut ex Illmô. Davila Padilla in Historia Mexicana Ordinis Prędicatorum lib. 1. cap. 103. Nicolaus Antonius advertit, nosque supra insinuavimus inter recensendum scripta Illmî. D. Bartholomæi de las Casas. Meminit ejus D. Antonius de Leon Pinelo in Epitome Bibliothecæ Occidentalis col. 742. Item Ægydius Gonzalez Davila in Theatro Ecclesiæ Mexicanæ pag. 32. Nostrum inter Academiæ Mexicęę conditores enumerans. Plaza in Chronicis ejusdem Academiæ lib. 1. cap. 9 n. 51.

548 ILLMUS. D. D. F. BARTHOLOMÆUS GARCIA DE ESCAÑUELA, Natione Hispanus, ignota nobis Patria, Ordinis S. Francisci, Regularis Observantiæ alumnus in Provincia Granatensi, Lector fuit Emeritus, tantique habitus, ut R admodum P. Alphonsus de Salinazes, totius Familiæ Generalis, ipsum unum esse voluerit octo virorum, quos elegit omnium doctissimos, pro severiori efformandâ crisi de mirandis à V. M. Maria à Jesu de Agreda Libris scriptis, priusquam publici juris fierent, ut perdoctus P. Ecija Capucinus nos docuit in *Muro inexpugnabili Mysticæ Civitatis Dei* à se edito cap. 5. fundam. 5 p. 26. Catholico Regi à Concionibus, deinque à Consilijs, Portudivitensis Episcopus destinatus, mox verò ad insulas Durangensis Ecclesiæ in Cantabria Nova promotus, in Americam veniens, sapientum hominum plausus emeruit, qui ipsum è sacro suggestu dicentem excipiétes, præconceptam de egregiâ viri doctrinâ, atque in Oratoria Facultate eximijs dotibus opinionem, palam sunt contestati, quorum indigitare sat est magna nomina Antonium Nuñez de Miranda, & Isidorum de Sariñana. Diœcesi suæ amplissimę, si quæ est toto Orbe ulla, invisendæ & accurandæ deditus, res ejus sic ad normam redegit omnes, ut ejus in Episcopali munere successores nihil ex his duxerint immutandum, ejus quinimo vestigijs institerint. Extant ejus editæ Conciones doctissimæ, quas Bibliotheca Franciscana retulit tom. 1. pag. 186 nos cæteras quæ vidimus adjiciemus ineditas. Et primo laudatæ loco ita habent ex materno in latinum sermonem conversis titulis.

Oratio Funebris in Exequijs Gasparis de Medina Parentis RR. P. ac Illmi D. F. Alphonsi de Salizanes. Salmanticæ formis Josephi Gomez 1666 in quarto.

Oratio Funebris in Exequijs dictis magno Hispaniarum Regi Philippo IV. Eisdem typis Regijs 1666 in quarto.

Religiosum Exemplar, seu Oratio ha-

habita in funere R. Admodum P. F. Andreæ de Guadalupe Generalis Indiarum Commissarij. Matriti, ex Typographia Regia 1668 in 4.

Panegyrica Oratio habita plaudendi ergo largiores ab Apostolicâ Sede cultus decretos S. Ferdinando Castellæ & Legionis Regi. Mantuæ Carpentanorum, ex Officina Josephi Fernandez de Buendia. 1671 in quarto. Extat in Oratoriana Mexicea.

Oratio funebris pijs manibus V. P. F. Christophori Delgadillo Franciscani, Provinciæ Castellanæ Regularis Observantiæ alumni. Eisdem typis & anno.

His editis jungimus, quas ineditas vidimus Orationes uno omnes tomo compaginatas in Bibliotheca Sodalis nostri doctissimi D. Emmanuelis Antonij de Luyando.

Oratio Evangelica in Beatificatione S. Rosæ à S. Maria Virginis Limensis.

Panegyris dicta, postremâ solennissimi festi die ab Regia Matritana Curia acti pro Canonizatione S. Petri de Alcantara.

Ejus viventis insinuat elogia Discipulus & Socius Fr. Antonius de Escaray in nuncupatoria concionis à se editæ de Servatoris nostri vindicijs. Orationis n. 3. à nobis recensitæ meminit D. Antonius de Leon Pinelo in Epitome Bibliothecę Occidentalis fol. 924. col. 1.

549 M. F. BARTHOLOMÆUS GIL GUERRERO, Natione Mexicanus, Mexici nobilissimis parentibus editus, Ordini Heremitarum S. Augustini in Provincia SS. nominis JESU adscribi voluit, in qua & litteris effulsit & moribus ac muneribus. Traditis è suggestu Philosophiâ & Theologiâ duodecim annis, Magisterij gradum ad Familię præscripta tulit. Primarijs Cœnobijs Angelopolitano, Goatemalensi, alijsque ubi præfuerat, toti Provincia Superior datus, non sine laude fructuque oneri satisfecit. Alia inter religiosa monumenta in Mexicano Conventu Turrim pro ære campano erigi multo sumptu curavit, non ab architecturâ commendatam minus, quam à sublimitate, quæ & intuentibus in arte peritis, imò insicijs etiam plausui est egregio. Ingenij verò, quæ reliquis præstant monumentis, duo breviora subnectimus, majoris alia operæ & moliminis nos fugientibus ad utramque Sophiam Oratoriam quę pertinentia, queis etiam multos annos impendit. Sunt autem illa conciones à se habitæ apud Goatemalenses hispano sermone, altera hoc titulo,

Pyxis ostensoria, seu SS. Virgo Dei Mater in gratia concepta. Goatemalæ, Formis Josephi de Pineda Ibarra 1673 in quarto.

Altera, *Panegyris de Immemoriali S. Petri Paschasij Mercedensis Ordinis, cultu.* Ibidem, extat quę edita cum alijs ejusdem argumenti Sermonibus in Libro à

F.

F. Rocho Nuñez, de quo in loco dicemus.

550 M. F. BARTHELOMÆUS GOMEZ, Natione & incunabulis Mexicanus, ſacri Prædicatorum Ordinis ſidus, quem in Conventu Mexiceo Provincię S. Jacobi Primario amplexatus eſt, ab utriuſque ſuggeſtus munijs pro Inſtituto ſuo expletis, egregium nomen eſt aſſequutus: nam primos inter ea ętate concionatores habitus, Gymnaſij palęſtram docendo Philoſophiam atque Theologiam ſtrenuè dimenſus, Magiſterij lauream promeruit: tum etiam in Academiâ noſtrâ pro tuendâ S. Thomæ doctrina, auditoribusque explicandâ perpetuus Anteceſſor defuncto Clariſſimo Viro F. Ludovico Vallejo ſuffectus eſt 9 Junij 1618. Ejus quoque operâ pro negotijs Fidei uti Apoſtolici Quæſitores voluere, Cenſoris inſigni munere ipſi collato. Religioſis alijs functus in Familia Præturis, ad Provinciæ clavum ſedit ejuſdem Vicariatu potitus, cujus bonis & incolumitati egregio quo erat zelo proſpexit. Hanc obrem ſcribendi Hiſtoriam ejus continuandique editam ab Illmô. Davila Padilla curas ſibi aſſumpſerat, pro quo opere multa paraverat, quod tamen, morte intercedente quo minus procederet, Diſcipulo ſuo ſatis docto & ſtrenuo viro F. Alphonſo Franco reliquit, à quo ſcriptam, quam legimus, Hiſtoriam Provinciæ S. Jacobi Dominicanorum, ſuperius diximus. Noſtri porro, gravioribus prætermiſſis elucubrationibus ad res Theologicas ſpectantibus, quas tempus unàque deceſſorum incuria nobis inviderunt, ſuppetunt

Adverſaria pro Hiſtoria Provinciæ S. Jacobi Prædicatorum Ordinis adornanda.

Quorum meminit citatus Franco Lib. 2. cap. 40. fol. 239. Authoris verò memoriam etiam nobis exhibet Plaza in Chronicis Academicis Lib. 3. cap. 22. n. 113.

551 ILLMUS. D. D. BARTHOLOMÆUS GONZALEZ SOLTERO Natione Mexicanus & Patria, Epiſcopus Goatemalenſis, apud Mexicea Societatis JESU Gymnaſia humaniores excoluit litteras, Philoſophiæque operam dedit: majoribus dein Theologiæ & Canonum ſtudijs in Univerſitate totus incubuit, alijsque præreptis laureis, & doctorali Theologiæ apice redimitus, Academiam non ſemel rexit. Ad multa quidem natura comparatus & arte, ſacris excipiendis confeſſionibus fuit expoſitus, juſſusque ab Archipræſule Mexicano concionatoris munus obire, paruit nec ſine fructu & laude. A Sacro Fidei conſiſtorio auctus honoribus, pro viſitandis Bibliothecis librisque expurgandis fuit inſtitutus, atque ut partes ageret Oratoris pro carceratis tuendis à Quæſitoribus deſtinatus, tum etiam pro Theologicis cen-

 ſuris

Juris ferendis titulo insignitus prænobili, qua erat pietate & eruditione munera explevit. A Supremo Inquisitionis Consilio primùm Fiscalis Mexicei Tribunalis sacri constitutus fuit, postmodumque Apostolicus Inquisitor, quibus strenuè defunctus Præfecturis clarissimis, dignus visus est Regio Indiarum Consistorio ipsique Catholico Regi, qui ad Pontificales eveheretur Goatemalenses infulas. Antequeræ Goaxacensium ab eorundem Episcopo D. Bartholomæo de Benavides consecratus, in Ecclesiam suam pergens, statim plusquam octomille baptizatos sacro chrysmatæ inunxit; ubi verò Goatemalam tenuit, Urbem primariam, 16 Septembris anno 1644 totum se pastorali devovit officio. Non potuit tamen quin Regiæ jussioni obtemperans, rationes exigeret de Præfectura gesta à Marchione de Lorenzana, qui Auditorij Goatemalensis Præsidem egerat: quo ille ita functus mandato fuit, ut æquissimi juxtà ac prudentissimi laudem tulerit. Pauperes ut eleemosynis sublevaret, eorum à Rectoribus Ecclesiarum nomina requirebat, proprijsque collata manibus stipe recreabat, nec erubescentes mendicare, & Religiosas Virgines prætermittebat. Ægrotantibus lueque infectis aderat subsidio spirituali futurus & temporali. Adversus cæteros charitate præcellens & humanitate, in semet flagris sæviebat, mortique proximus cruentata cilicia triginta confessario suo tradidit, queis usus fuerat, clàm habenda. Multis porrò ad Dei gloriam & Diœcesis bonum exactis, bimestri ægrotatione purgatus, pijssimèque ad mortem dispositus, Pontificijs indutus vestibus, obviam venienti Christo Eucharisticis speciebus velato exivit, quo religiosissimè pastus ac præmunitus, christianis alijs exercitijs incubuit. Historiam Passionis Dominicæ & Symbolum Fidei aliaque pro voto suo ab adstantibus recitata ut audierat, Crucifixi complexus Imaginem, accensumque cereum, mortem tandem aspexit die 25 Januarij anno 1650 ætatis 74. Funus ejus, quod egregiâ celebratum à Goatemalensibus pompâ fuerat, instauratum Mexici fuit à Sodalibus Congregationis Proto-Parentis Divi Petri, quam pridem rexerat, assistentibus Quæsitoribus Fidei, & gravissimâ sapientum ac nobilium coronâ, Panegyrimque dicente D. D. Antonio Aldrete, quæ typis prodijt excussa Viduæ Bernardi Calderon anno 1650.

Quòd ad scripta Nostri attinet, cætera nos fugiunt & Theologica & Juridica Opuscula, prçter

Conciones varias,

Quæ ad alicubi maneant nescimus.

Ejus meminere Ægydius Gonzalez Davila in Theatro Ecclesiæ Goatemalensis pag. 167 errara aliquot historica passus. Joannes

Diez de la Calle in Memoriali & Notitijs Sacris & Regalibus Ind. Occid. fol. 116. col. 1. egregio ipsum elogio ab ſtudijs Canonici & Regij juris laudans. Medina in Chronicis Provinciæ S. Didaci Mexicanæ fol. 240 n. 10. Siguenza in Triumpho Parthenico fol. 87 col. 2. Vaſquez in Chronica Provinciæ Goatemalenſis Franciſcanorum tom. 2 lib. 5 tract. 2. cap. 28 pag. 719 multis ipſum efferens laudibus brevì que acta complectens. Leal in Monum. Eccleſ. Goatemal. pag. 48.

552 V. P. F. BARTHOLOMÆUS GUTIERREZ, perpeſſi propter Jeſu-Chriſti Fidem Martyrij apud Japonienſes gloriâ illuſtris, Natione Mexicanus Patriaque fuit, fruſtra reclamante Joanne Fernandez Lechuga, Angelopolitano, ut gentilibus eum ſuis adſcribat, multisque placitum ſuum colorante pigmentis, deluſus certè ab Manilæ edita enarratione anno 1628 operâ & ſtudio P. Martini Claver Auguſtiniani, in qua Familiæ ſuæ Sodalium Vitis & Martyrijs Noſtri acta & perpeſſa, Socij etiam ſui, adjungens, natale ei ſolum Angelopolim dat, errore facilè condonando extero homini, & multis ab America diſſito paraſangis, ſcientique ex Conventu Angelopolitano Noſtrum in Philippinas Inſulas trajeciſſe. Porro, ne res in ancipiti futura olim ſit, Mexicani in acceptis referre debent Illmô Viro Matritenſi natu, Domicilioque noſtratibus addito M. D. F. Joſepho Sicardo, prædicti Ordinis alumno doctiſſimo (de quo in loco dicemus). Hîc veritatis amans & ſcrutator, quo tempore Angelopolitanis velificabat, ejuſdem Diœceſis Viri Ordinem ſuum in laicali ſtatu profeſſi Bartholomæi à Jeſu Maria acta bono in lumine poni, coram Mexiceo Archiepiſcopo Proceſſu, ut dicitur, ad Perpetuam accurans, Noſtri ut incunabula palam fierent Senatum Populumque Mexicanum ſolicitavit, conſtititque ſubinde Inſtrumentis autenticis Bartholomæum Gutierrez Mexici editum, Chriſtianis clarisque Parentibus Hiſpanorum ſanguine ſatis, Alphonſo Gutierrez & Anna Rodriguez de Eſpinoſa, luſtricoque charactere donatum & nomine in Eccleſiâ Cathedrali baptiſmum ei miniſtrante V. P. Franciſco Loza, Parocho à litteris, ſcriptis, & virtutibus famoſiſſimo, 4 Septembris anno 1580, ut legere eſt Lib. 4 fol. 90 ex his qui pro cenſendis Baptiſmo ablutis, in Archivio Sacrarij ſervantur. Atque ut alia ejus rei monumenta prætermittamus in ejuſdem Sicardi Lib. de *Martyribus Japonienſibus* ſecundo, cap. 9. § 1. pag. 240 legenda; Noſtri cætera percurramus. A primis ſtatim annis optimè à genitoribus inſtitutus, animum in virtutes pronum gerebat, & in graviora inclinabat quâ ab illa ſperari ætatula poſſent. Tanto verò ingenio & acumine erat

erat Latinitati hauriendæ incumbens, Rhetoricæ, ac Philoſophiæ, nemo ut Condiſcipulorum ipſum præverterit.

553 Provinciæ Augùſtinianæ Mexiceæ à SS. JESU nomine nuncupatæ, eximiâ obſervantiâ florenti nomen dedit, & Priorem Mexicani Cœnobij agente M. Didaco de Gontreras, poſtmodum Archiepiſcopo Hiſpaniolæ, Indiarum Primate, tria ſolenni ritu vota nuncupavit 1 Junij 1597. Profeſſis adſcriptus viris, ſtudiorum causâ majorum miſſus eſt Jurirapundarum, ut eo in Conventu Michoacanenſis Regni, Provinciæ verò tunc Mexicanæ (una enim id temporis omnes continebantur, in duas inde prociſſi) quietius litteris operam daret: cujus memoriæ gratia anno 1683 Imago Servi Dei coloribus ducta, appenſa eſt in ea, quam incoluerat, cella, atque appendicibus in Bibliothecâ deinceps evaſerat. Litteris ibi ita animum excoluit, ut virtutibus colendis perfectioneque religioſa nil antiquius habuerit, hisque ſe exercitijs ad Sacerdotium comparavit. Eo initiatus, Angelopolim miſſus, cùm inibi ageret anno 1605, tranſeunti M. F. Petro Solier (tunc Manilenſis Provinciæ Auguſtinianæ Procuratori, poſtea ad infulas Portudivitenſes promoto & Hiſpaniolæ) comitem ſe dedit, unà ſecum ducenti ſupplementum in Philippinas Religioſorum, eo ipſe conſilio, ut degentibus in ampliſſimo Japoniorum Imperio infidelibus aliquam olim Evangelij lucem afferret, vitamque Jeſu-Chriſti amore profunderet.

554 Inſulas appulſus anno 1606 menſe Majo, Manilæ, Prælatis jubentibus, ſubſtitit, cùm alijs religioſæ vitæ deditus inſtitutis, tum etiam orationi & penitentiæ ferventius incumbens, quibus ſe idoneum lucrandis redderet animabus. Tyronum præfectus inſtitutioni, verbo eos & exemplo omnibus imbuere virtutibus ſatagebat, eo quidem ſucceſu, ut non unus ex ipſis Martyrio tandem inſignis evaſerit. Hæc inter animo continuo Japonios volventi, proque eorum converſione diu noctuque ſuſpiranti, Prælati annuerunt, atque anno 1612 quibus inhiarat gentibus ſpectabilem ſeſe dedit. Illico, nec multo negotio, earum calluit idioma, quo uti cæpit expeditiſſimè, Priorque Conventus de Uſuki ſequenti anno inſtitutus eſt. Erant ibi locorum & is & de Sanki dictus Conventus Religioſorum S. Auguſtini, qui 14 millia chriſtianorum curam ſuſceperant, aggregandisque ovili Chriſti infidelibus adlaborabant. His noſter intentus officijs, multos per Evangelium filios genuerat, genitisque ſacra, ut adoleſcerent, miniſtraverat, cùm ecce res Japoniæ fere tota Religionis turbatur, Imperatore Xogum, vel Xonguſamate in Eccleſiam ſævien-

viente, mandanteque uti è ſuis finibus cuncti, qui aderant, Religioſi viri propellerentur.

555 Exules inter in diverſa pergentes, Manilam Gutierrez reducitur, iterumque novitijs, ut pridem, educandis præficitur. Triennium in hoc munere poſuit, repetitis precibus, & jugi corporis caſtigatione ſolicitans Deum, ut Japonios ſuos ferè ſacrorum Miniſtris deſtitutos ſolaretur, & lumen Paganis afferet. Sub id tempus, Provinciæ Præſes Epiſtolam à Chriſtianis Japonienſibus, qui ſe Confraternitati à Cingulo S. Auguſtini nuncupatæ dederant, ſubſcriptam accepit, inſtantiſſimè poſtulantibus, ad ipſos ut remittere dignaretur Bartholomæum Gutierrez, vel Anaſtaſium Ortiz, quondam Miniſtros ſuos, quorum alteruter auxilio afflictis rebus eſſet atque ſolatio. Noſtrum Provincialis operi deſtinavit, cui F. Petrum de Zuñiga Socium conjunxit, atque uterque ſequenti anno 1618 unà cum alijs diverſorum Ordinum Religioſis, diſſimulatâ veſte, Japoniam tenuere, ubi ad varia digreſſi, in ſuis quiſque ædibus à Chriſtianis clanculum paratis, Apoſtolica miniſteria redorſi ſűt.

556 Quòd verò ubique Populorum mors immineret nunciantibus Chriſtum atque colentibus, Noſter in abdita montium & cavernas receptus, dies tranſigebat, niſi vocatus à Chriſtianis ſacrorum causâ, aut ſpe allectus Infideles ad Eccleſiam trahendi: etenim ubi hæc affulgebat, nil moratus, diſcrimini ſe vitæ & difficillimis quibuſque objiciebat, hinc inde Urbes Regnaque concurſans, nihilo Japonijs habitu diſſimilis totos quindecim annos. Nocturno tempore ab montanis in Civitatem aut Pagum deſcendens, conveniẽtes clam in Domum Chriſtianos fovebat, & ſi qui erant Cathecumeni, hos puerosque Baptiſmo abluebat, cæteris alia Sacramenta subminiſtrabat: propè auroram ad aras faciens, Corpus Domini porrigebat, nullisque non officijs, pro ut opus cuique eſſet, omnes ſolabatur atque recreabat. Adhæc omnium ſe virtutum exemplar ut daret, cœleſtium contemplationi rerum quotidie vacàbat, cilicijs diſcrucians ſe aſperrimis, & cruẽtis flagellationibus, tantaque abſtinentia, vix ut oſſibus hæreret.

557 Ad Sacrificulos ſæpe gentis Boncios offendit, & quo erat Fidei & animarű zelo intrepidus, ac cœleſti imbutus doctrinâ, argumentis illos convicit; in ſuperſtitionibus tamen ſuis obſtinatos, infenſiſſimos habuit, qui ſubinde ut Tyranis traderetur multis egerunt. Et ceſſiſſet illis brevius ex animo, ni eximiâ eum Deus providentiâ ad deffinitum uſque tempus apparitoribus ſubduxiſſet. Quandoque abditus in angulo domus cujuſdam, qui fugientem exceperat, hominis Chriſtiani, oculos effugit & manus confluentium

tium agmine facto militum, sus que deque omnia vertentium; quòd angulus ille telis aranearum repente coopertus, pro muro ei fuerit, ut quondam S. Felici Episcopo Nolæ: quandoque miris alijs modis quærentes se elusit. Interea loci, ineunte Augusti mense anni 1629 Tyranus nomine Tacanaga, Rex Bungi, rerum potiri cæpit Nangasaquianarum, tanta in Christianos rabie furens & debacchatus, ut celebrioribus immanitate Romanis, cæterisque quódam persecutoribus Ecclesiæ nullis concederet, omnes ad unum Christianos quanta vix cogitari potest inhumanitate ad abjurandã Religionem perurgens. Cujus reliqui Principes exemplo commoti, adblandiendique Imperatori gratiâ (quam ut iniret Tacanaga Fideles quosque diris devoverat) ubique Japoniensis regionis afflicta nimis erat christiana res.

558 Ei ut subveniret Noster, Christi cultores ferventissimis hortabatur concionibus, perque Regna discurrens, auxilio erat conquisitis ad necem, vexatisque omnibus. Id ubi Tyranus rescivit, nullum non movit rudentem, quo Bartholomæum in vincula traheret, egregijs propositis præmijs iniquissimis Fidei desertoribus modò cum proderent. Notior ijs Gutierrez erat, quam ut latere posset homines vafferrimos, queis Christianorum arcana patuerant: facilè subinde apud Isaphaji Regnum Apostolicum virum perditi nebulones è montis latibulo abductum, gemina catena manicisque vinctum unà cum Socio, Doxicum appellant, in Custodiam Nangasaquianam, quæ Tulliano & ergastulo quovis horridior erat, 10 Novembris anno 1629 detulère. Gestiebat ille tripudiabatque, quòd pro ChristiFidei & Amore istiusmodi, fausta sibi sorte, contingerent: gaudentemque strenui comitati fuere religiosissimi atletæ & commilitones, non multo post in carcerem ipsum eâdem causâ detrusi: P. Antonius Pinto, natu Japonius, Societatis JESU Sacerdos, & PP. Franciscus à JESU & Vincẽtius Carballo, aliàs à S. Antonio, Augustiniani nudipedes. Non diu ibi hæsere, Tyrano curante ut in Omuræ ergastulum, pro Religiosis destinatum viris, multo durius ac tetrius, unà omnes quatuor ferreis constricti vinculis abriperentur.

559 Biennium in eo patientissimè egerunt atque sanctissimè: nam ad famen, sitim, & incommoda fœdissimi loci pro Christi amore lubenti animo tolerata, eximia religionis, charitatis, & aliarum virtutum exempla jungebant. Procurantibus siquidem aliquot Lusitanis, ac muneribus custodes subornantibus & capientibus, ne secretè accedentes colloquij gratiâ ineundi & trahendi cum religiosis vinctis, arcerent; venientibus Christianis au-

aures pro expiandis conscientijs Sacerdotes præbebant, salutisque monita dabant; Infideles verò Baptismo inhiantes, initiabant salutari lavacro, imò aliquos à sectis abductos gentilium, sacris adjunxere nostris, ex illisque Bontium, qui Catholicam ita Fidem amplexatus fuit, ut Apostolico eam prædicandi deditus muneri, hanc ob causam jubente Tyrano, combustus obierit. Noster interea & Socij diu noctuque orationi insistere, voluntaria maceratione corpus atterere, Hymnos & Psalmos, nequidquam Paganis frendentibus, canere in delicijs habebant: in primis autem operantes ad aras delectabátur, summo mane Eucharistico depasti epulo, quod Ecclesiasticis ceremonijs cóficere poterant, piè corruptis satellitibus, ut vasa & paramenta sacra clam illùc inducta asservari quidem possent, & in usum traduci. Adhæc, Epistolas pro Japoniensis Ecclesiæ solatio dederunt spiritu plenas & robore, alias que ad Sodales longè dissitos & amicos, idque genus multa pro Dei gloria patrarunt.

560 E vinculis Omurensibus in Nangasaquiana reduci Tyrano placuit, animo meditanti eos crudelissimè Balneis Ungem dictis torquere, qui 42 ab Urbe milliaribus distant, & in eo sordidissimo carcere jacentibus Religionis quoque causâ F. Gabrieli à Magdalena, Laico ex Ordinis S. Francisci viro extatico, & pijs fœminis Beatrici de Acosta, Viduæ, & Mariæ de Silva, natæ ejus, comites se dederunt. Est quidem apud Arimæ Regnum nimium sublimis mons, cujus in vertice perpetuis rigente nivibus, Vallis latè exporrectus multa variaque affluit scaturigine, hinc tepidis, illinc frigidis, alibi algidissimis erumpentibus aquis; aliorsum contrà nimio ardentibus laticibus promanantibus. Medium hæc inter occupat lacus arcæ æqualis, ardentissimâ ebulliens aquâ sulphuri immixta, quæ ubi corpus receperit, confestim dissolvit, nec residuis ossibus parcit. Unguem & Fingo-qui gentili dialecto locum compellant, hoc est, Infernum Acherontiaque Regna, multis illa ostijs patentia, quorum alia fontibus alijs, deterius longissimè omnibus, Christi cultoribus destinaverant.

561 Atque ut Noster Socijque cum alijs terra & mari catenati ducerentur ad isthęc iniquissima, tyranus decreverat, utrum Catholicam abjurarent Fidem tentaturus, igneo illos latice è cavernis hausto non semel balneans, quem peritissimi ad similia lictores, citra proprium discrimen, è superiori loco in scapulas totaque Martyrum corpora, quinque adstricta funibus, pedes, manus, & collum alligantibus, profundebant. Nihil tamen ut crudelissimo se lavacro, haud semel repetito, proficere norunt,

runt, imò solidiores in asserendâ Fide perstare Christianos, tostos quidem diffuentibus flammis, atque inde à capite ad calcem plagatos, unàque incredibili gelu rigentes (incruduerat siquidem hyems) totis triginta diebus & uno; in Nangasaquiana reducunt vincula. At enim, sanctos priusquam viros ibi constituant, vehementiori ipsos in itinere provocant tentatione. Nam hortum offendentes, placidè discurrétibus aquis & in fontem confluentibus amœnissimum, toto nudatas corpore speciosas triginta fœminas intingendas conjiciunt, præsentibus Nostris, qui tamen clausis obfirmatè luminibus, Ulisæoque genio auribus occlusis, Sirenes & Venerem felicius equidem & fortius quam Plutonem nuper contemptui habuere, eximijs, Deo auxiliante, triumphis præclari.

562 In pristino reclusi Tulliano à sexta Februarij ad tertiam Septembris, inedia, plagis, multisque confecti ærumnis atque gravati, vegetioribus tamen animis aucti, pias, ut in Omurensibus caveis usu tenuerant, exercitationes, queis se ad ultimum præpararent agonem, nihilo remisius colebant. De Ecclesiâ autem Regionis soliciti, utut poterant, Fideles hortabantur, Nosterque in primis F. Thomam à S. Augustino Sodalem suum (laureâ quoque martyrij, diverso tamen tempore, illustrem) furtim illùc ingressum de christiana Japoniorum Republica, pro ea qua erat experientiâ prudentiâque, docuit, atque ut in arctissimis posita juvaretur, monitis egit. Interea loci, Tucanaga Curiam adierat, Imperatorem uti certum de agitato negotio faceret, extremumque in Religiosos viros decretum afferret. Id priusquam juberet exequi, fœminis (de quibus memoravimus) pientissimis exilio mulctatis, Religiosis, numero quinque, hactenus vinculatis, sextum addidit Præsbyterum Clericum, gente Japonium, Joannem Hieronymum à Cruce, aliàs de Torres, Tertij Franciscanorum Ordinis, simili omnibus comminato flammarum postremo supplicio, ni à Christi ad gentilium castra transirent. Quòd vero nihil se minis aut suasionibus, quas adjecerat, proficere animadvertit, oleum imò & operam perdere, ad ignem tandem provocat, sensim qui ustos forsan renunciare Christo compellat.

563 Prefinita supplicio die, concurrentibusque plurimis acervatim gentilibus, in Theatrum Religiosi viri ducuntur, singulisque, ad suam quisque columnam, levi nexu constrictis, ut expedire se possent facilè, si à Chisto desciscere mallent, lignis circum aggestis, atque ut morosis incrementis flagrarent arte compositis, flammæ admoventur, quæ tamen ocyus & strues corripiunt, & frondibus constructum umbracu-

cu-

culum juxtàque Apostolicos viros, qui Cruxifixi Imaginem habentes ob oculos, ejusdem amoris propagandæque ac tuendę Fidei causâ (ut scriptis litteris palam omnibus à lictore fieri Tyranus præceperat) alacres ac læti in cineres usque redacti, evolarunt in cœlum, immarcessibili coronâ donandi: die 3 Septembris anno 1632. Nostro 52 ætatis agente, proximaque die totidem à suscepto Baptismate annos computaturo.

564 Illustres sui Confessores Deus non uno tantùm signo conspicuos reddidit, egregio lumine super ipsos, quo patiebantur tempore, in aere, cæterà offusso nubibus, collucente, aveque, columbæ instar, expansis alis circum volante; quæ porro mira Paganis hominibus tam visa sunt rara, ut perciti admiratione, Magnum utique Deum, cujus gratiâ passi fuerant ejusdem Mystę, plenis buccis exclamare non fuerint veriti. Fideles Sanctorum reliquijs inhiantes Tyranus cohibuit, sedulo curans, ut collecti cineres in mare omnes projicerentur; nihilo tamen ipsi animos deponentes, exuvias sacras, vestes, & utensilia diligentissimè conquisitas, religioni fovendæ & pietati asservarunt, Nostrique thoracem Mexicum deduxerunt in Primarium Augustinianorum Cœnobium, ubi ad Oratorium Novitiatus, quantum fas est per Apostolica decreta, piè colitur, unà cum Epistola quam Bartholomæus ad nepotem suum dederat è carceribus Omuranis 30 Augusti 1630.

565 Optandum maximopere Mexicanis certè est, nullisque parcendum diligentijs & sumptibus, ut Beatificationis fortissimi & inclyti Viri causa apud Romanam curiam agatur, S. P. Q. Mexicani excitatis decretis illis quæ 11 Februarij anno 1684 subscripta fuere, innovatisque ad Catholicum Regem nostrum, & ad Generalem Ordinis Divi Augustini Præpositum 2 Maji ejusdem anni datis Epistolis, ut ex umbra in solem prodeant Declarationes super Martyrio factæ Nostri, quæ, editis de ejus Canonizationis negotio Summarijs habentur, in Summario primo n. 67. pag. 284. n. 111. pag. 459. & in Summario ultimo n. 13 littera B, de quibus laudatus Sicardus fidem facit indicando infrà loco. Ante quam verò scripta Nostri recenseamus, placet unum è multis in ejusdem laudem congestis Epigrammatis, hîc subnectere. Habentur edita ante primum Librum à P. F. Petro Gaspare de S. Augustino ejusdem Ordinis, apud Insulas Philippinas Deffinitore Procuratoreque Generali in Europam dimisso, in Conquisitione Philippinarum edita Matriti 1698 typis Emmanuelis Ruiz de Murga. Elogium verò sic ad geminum Bartholomæi martyrium adludit.

 Per

Per flammas, per aquas, per tot
tormenta probaris.
Dignus & es sisti, Bartholomæe, Deo.
Scilicet obrizum ars examinat igne
metallum,
In calidis maculas fullo dealbat aquis.
Hæc sic purificant, simul & purgaris
utrisque:
Te quoque nil merito purius esse
potest.
Ignibus & limphis dum præmia bina
reportas,
Martyrij duplex te diadema manet.

Jam ad ejus scripta venientes, extant materno sermone, hoc est, hispano, sequentia.

Historica narratio Vitæ & Martyrij illustrium PP. FF. Petri de Zuñiga Ordinis S. Augustini, & Ludovici Flores Ordinis S. Dominici, & aliorum Japoniensium natu, qui apud Japoniæ Regnum passi fuere mense Augusti anno 1622.

Authographum Authoris manu exaratum in charta Japonia, datum ad Provincialem Augustinianorum SS. nominis JESU Philippinarum, inde Mexicum deductum, habebat M. F. Marcelinus de Solis Mexicanæ Provinciæ ejusdem Ordinis quondam Præses, Academiæque Rector, ut testis est Illmûs Sicardo, qui varia se exemplaria transcripsisse addit, è quibus alia in Philippinas Historiæ inseranda transmissit; alia ipse Romam detulit, ut usui essent Causæ Beatificationis dicti Patris Petri de Zuñiga; prætereaque typis commissit eamdem Historicam narrationem in memorato Libro suo *Christianitas Japoniæ* à pag. 209 ad usque 219. editionis Madritanæ Francis[co] Sanz anno 1698 in folio.

Historicam aliam enarrationem, Noster scripsit, *De Martyrio quorundam Religiosorum, aliorumque plurium Japoniensium, qui excruciati fuere in Regno Japoniæ mense Septembris anno 1622.*

Quam in eodem Sicardi Libro legesis à pag. 220 ad usque 229 cujus authographum penes se habere propria Bartholomæi manu formatum in papyro Japoniensi ibidem Libri præmittit.

Epistolas aliàs *spiritu plenas* Sicardus ipse dedit in eo Libro ut pag. 249, 250, & alibi, è quibus unam in tabullario Ordinis S. Augustini Manilensi asservari, aliam apud Archivium ejusdem Ordinis Vallisoletanum Michoacanensium custodiri monet, ut & Basalenque testis de visu, loco laudando.

Acta & Martyrium Nostri levi tetigit manu mox nominatus Magister Fr. Didacus Basalenque in Historia Provinciæ S. Nicolai Tolentinatis Michoacanensis lib. 1 cap. 12. fol. 57. col. 3 & 4, qui, ceterà diligens & perdoctus Scriptor, in rebus tamen Bartholomæi minus paratus monumentis, quæ in optatis habebat, nondum perspectis & ad crisim reductis, mirum non est quod rumoribus delusus ab edita Manilæ Vita Nostri, hunc Ange-

ge-

gelopolitanum crediderit; atque inſcius ejuſdem in Conventum Angelopolitanum migrationis è Juririapundaro, ubi ſtudia egerat, hinc in Philippinas commigraſſe non dubitaverit.

Præterea res geſtas Noſtri unà cum Actis aliorum ejuſdem Ordinis Martyrum edidit P. Fr. Martinus Claver, Manilæ anno 1638 licèt errore Typographico legitur in Sicardo 1628, nimirum quadriennio Noſtri obitum præcedente. Vidimus Claverij Opus editum Manilæ 1638 typis Collegij S. Thomæ, legimusque ad Regium S. Pauli Auguſtinianum Mexiceum. Joannes Fernandez Lechuga brevi narratione Mexicanis typis commiſſâ anno 1666. Item Hiſtoria Provinciæ SS. Roſarij lib. 2 cap. 38 pag. 609 & cap. 43 pag. 640. Hiſtoria Excalceatorum S. Auguſtini tom. 2 dec. 5 cap. 2. Herrera in Alphabeto tom. 1. lit. D fol. 110 & alij, quos refert Sicardus, omnium pleniſſimè Vitam & Martyrium complexus lib. 2 citati ſui Operis cap. 9 à pag. 239 ad uſque 264 quibus addimus Balthaſſarem de Medina in Chronicis Provinciæ S. Didaci Mexicanæ pag. 244 & Betancurtium 4 part. Theatri Mexicani in de Civitate Mexicea pag. 27 n. 132.

566 Illmus. D. M. D. F. Bartholomæus de Ledesma, Natione Hiſpanus, in Nieva Oppido prope Ledeſmam Salmanticenſis ditionis Pagum, Bernardo de Ledeſma, & Joanna Martin genitoribus uſus eſt. Ad S. Stephani Salmanticenſe Dominicanorum inſigne Collegium 19 Martij 1543 ſacramentum dixit, ac ſtudijs deinceps intentus, egregiâ doctrinâ evaſit, cui religioſam obſervantiam adjunxit. Ægydius Gonzalez Davila in Teatro Eccleſiæ Goaxacenſis pag. 227 & ab ipſo deluſi, cæterà accuratiſſimi Critici de Scriptoribus Ordinis Prędicatorum benè meriti, credidere, Bartholomæum Mexicum trajeciſſe tum temporis, cùm ad nos appulit Pro-Regis nomine rerum potiturus D. Martinus Enriquez, cui à ſacris confeſſionibus eſſet. Fuit quidem hoc itidem nomine clarus, longè tamen diverſo tempore; & quo anno Martinus Americam petijt, nempe 1568, Bartholomęus 11 totos annos Archiepiſcopatus Mexicanenſis Gubernatorem egerat vice Illmi. Præſulis D. F. Alphonſi Montufar, qui ſenio gravatus, eo uſus adjutore fuit, è ſeptendecim, quibus præfuit annis, duodecim, hoc eſt ad uſque obitum ſuum anno 1569, ut teſtis eſt, utriuſque acta brevì complexus Illmûs Davila Padilla in Hiſtoria S. Jacobeæ Dominicanæ Provinciæ lib. 2. cap. 47; cui præter alia momenta, id circo fides habenda eſt, quòd, etiamnum invivis agente Ledeſma, ſcripſerit, perſpectasque, ſi quis ullus, res ſuorum habuerit, manu contrectaverit plurimas, & viderit,

aut ab ijs acceperit qui ipsi videant. Accedit quod, ut est Chronologis nostris omnibus exploratum, D. Martinus Enriquez successor fuit datus Marchioni de Falces Mexicano Pro-Regi; at enim Marchione ad clavum Mexiceum sedente, Noster Primarius Theologiæ Antecessor Academiæ Mexiceæ, Pro-Rege ipso Comitijs Minervalibus assistente, inauguratus fuit, ut infra dicemus. Propterea sequuti Illmûm mox laudatum Scriptorem, in ancipiti non relinquimus, Clarissimum Montufarem Mexicano Archiepiscopatu in devexâ ætate donatum, duos secum adduxisse Sodales, bonâ cum Generalis Magistri veniâ, qui non modò societati sibi essent, sed etiam in maximarum molimine rerum auxilio, atque ex illis primum delegisse Ledesmam, secundum F. Franciscum de Espinosa egregium itidem dotibus virum.

567 Ubi receperunt se Mexici, suis quisque partibus implendis dedere, Nosterque sic Archiepiscopi rebus intendit, ut Ordinis insimul sui splendorem adauxerit Professorem Theologiæ apud suos amplius quindecim annis agens, pro ut D. Stephanus Portillo, Scholasticus Michoacanensis, in Decretis Licēciatus, Officialis & Vicarius Generalis in Ecclesia & Archiepiscopatu Mexicano, testis est in Monito *ad Lectorem* quod præfixit *Summario* à Nostro edito Mexici 1566, cujusque fragmentum ita habet: *Cum igitur Doctissimus Ledesmius litteris & religione præclarus, Salmantica, ubi divinum Theologiæ flumen præbibit, in hanc Urbem Patriam nostram venisset; postquam in Sacro Dominicanorum Gymnasio per annos quindecim & amplius sine intermissione divinam exposuisset doctrinam, non potuit non aliquam studiorum rationem inire, ut Sacramentorum brachilogum in lucem ibi emitteret. Quod munus christianissimi Archipræsulis nostri in cujus comitatu jam diu consedet, authoritate injunctum suscepit, &c.* Adhæc, Magisterij gradu ab Ordinis Generali Magistro insignis, Universitati Mexiceæ nuper erectę cooptatus, laureâque redimitu Doctoris in pleno Consessu 15 Aprilis anno 1567 habito de more ætatis illius coram Pro-Rege Marchione de Falces, consentientibus suffragijs, Primariæ Sacræ Theologiæ Cathedræ moderandæ perpetuo jure suffectus est Decano Mexiceo D. Alphonso Chico de Molina, qui ea sponte se abdicaverat, gravissimis alijs præpeditus negotijs & curis.

568 Hanc ubi septennio moderatus fuit Cathedram, ejusdem Academici privilegio Senatus obtinuit, sui vice M. F. Petrum de Pravia, ejusdem Ordinis, itidemque Universitatis alumnum, biēnio quotidianas lectiones tradere, donec ipse demandatum sibi Prioris Mexicani Conventus munus absolveret. Venerant Mexicum anno 1572 Societatis JE-

SU Viri litteris æquè ac virtutibus nobilissimi, fundamenta jacturi Provinciæ Ordinis sui in Hispania Nova, qui, ut erant eximiâ modestiâ, alijs animarum saluti propius concernentibus occupati, à Minervalibus abstinuerant, donec Primario nostro theologicis de more thesibus publicâ in concertatione præsidem acturo, cæteri cum ipso Universitatis Proceres obsequij gratiâ & officij erga Doctissimos recèns advectos Societatis Theologos, ut sua quoque in Gymnasio nostro symbola ponerent, invitarunt, argumentantesque in primis P. Doctorem Petrum Sanchez, mox P. Doctorem Petrum Diaz, dein peritissimos Magistros alios eruditè juxtà & modestè, acri & acutissima palęstræ ratione, libentissimè audierunt, egregijs probatos laudibus, quibus & ipsi vicissim Nostrum è suggestu reponentem, qua erat eruditione præditus, extulerunt, ut legere est apud P. Florenciam in Historia Societatis Mexicea lib. 3. cap. 12. n. 166. pag. 157. editionis Mexicanensis 1694.

569 Hæc inter, Noster Vice Cancellarius Academicus creatus est (Cancellario Viro Clarissimo D. D. Sanctio Sanchez de Muñon in Hispaniam delegato, Ecclesiæ Mexicanensis & cæterarum hujusce Americæ pro gravissimis rebus Procuratore) qua ille functus provinciâ fuit ab 24 Martij 1568 ad usque 26 Junij 1572, qua die ei ultrò cessit, forsan, quòd ab 1568 conscientiæ arbiter adscitus à Pro-Rege D. Martino Enriquez, multisque gravatus negotijs, aliquibus se curis subducere in votis habuerit. Postmodum verò, scilicet anno 1580 Martino in Americam pergenti Meridionalem, Pro-Regis quoque honore in Peruviensibus Regnis illustri, non potuit quin comitem se daret optanti; atque apud se nacti Limenses Doctissimum virum, Primariæ itidem Cathedræ Theologiæ Universitatis suæ præfecerunt. Pro infulis Ecclesię Panamensis electus, recusavit tamen illas; queis cum Philippus II Goaxacenses suffectas voluerit, paruit ille tandem, & anno 1583 Episcopus est consecratus. Redux ad nostros, Goaxacæ protinus se stitit, totumque Diœcesanorum bonis curandis dedit. Illustria Antequeræ pietatis, charitatis, & paupertatis monumenta, etiamnum extantia, reliquit.

570 Collegium à fundamentis erexit Divo Bartholomæo Apostolo sacrum propio ære, quo etiam 28 millia uncialium argenti in fundum pro reditibus annuis dedit, 12 Collegis, sexque insuper pupillis alendis, destinatis, ut qui egestate præpediti studia petere Mexicana non possunt, in eo instructi Gymnasio, Ecclesiæ sint usui, quod Illustrissimum pridem audit. Adhæc, Cathedram pro docendâ morali Theologia con-

congruis ſtipendijs conſtituit, ab Ordinis Dominicanorum Profeſſore regendâ, quem Epiſcopus pro tempore Goaxacenſis maluerit, è duobus à Provinciali præſentatis, pro ut hac quoque ætate fit poſt 140 annos, præfixo tandem docendi loco Collegio altero à S. Cruce nuncupato, quod ad Tridentini præſcripta conditum fuit Antequeræ, geminis ex tunc pro ſecularibus Collegijs ornatæ, ex quibus inſtructiſſimi viri prodierunt, in dies que efflorefcunt totius Provinciæ decori & bono. Conſilio ejus, levi que etiam, ut potuit, manu, Cœnobium pro Religioſis à Conceptione Virginibus fuit inſtitutum, expenſis ſuis è Mexicano à Regina Cœli Conventu deductis Sanctimonialibus fundatricibus. Duomillia octo regalia argentea in caput deſtinavit annuæ penſionis pro erogando quotidiano pane ad januam præcipui Dominicanorum Cœnobij venientibus. Atque ut in Eccleſia ejuſdem Conventus duo per annum haberentur ſermones, aliquotque Miſſæ offerrentur, ter millibus in ſortem datis, proviſum voluit. Demum, duo in Patria ſua pro egenis Clericis Beneficia, vulgò Capellanias, opportunè fundavit; nec immemor ſui Salmanticenſis Collegij, quo ad vixit in Epiſcopatu, mille argenteos unciales annuatim religioſis ejus uſibus & neceſſitatibus deſtinaverat. Id verò in primis mirandum, tot potuiſſe Epiſcopum, frugalitate ſuâ & paupertate, egregia condere, Eccleſiâ donatum proventibus neutiquam divite, inſimulque tam à capiendis muneribus abhorrentem, ut ne incivilis Indo videretur doliolum balſami porrigenti, obſtinatèque ut acciperet ſæpius roganti, argenteum pro Paræcia ſua calicem in antidoſim dederit. Tandem annis 21 à Conſecratione, in regimine Diœceſis ſolicitè poſitis, ſanctèque traductis, plenus dierum & meritorum obijt, labente Februario anni 1604, atque in Cathedrali ſua quieſcit, ejuſdem perennante memoriâ. Scripſit, jubente Archiepiſcopo Mexicano Illmô Montufare, Romano ſermone

De ſeptem Novæ Legis Sacramentis Summarium, cum Indice locupletiſſimo. Mexici, excudente Antonio de Eſpinoſa, cum privilegio, 1566 in quarto. Cujus raræ admodum editionis habemus exemplar in theca noſtra libraria. Poſtmodum additionibus locupletius recuſit

De ſeptem Eccleſiæ Sacramentis Summarium denuo ab Authore recognitum, novisque additionibus auctum. Salmanticæ apud H. Mathiæ Gaſtij 1585 in fol. quod ad Maximum Societatis JESU Mexiceum Collegium vidimus.

Ad hoc ipſum Opus tandem illud reduci credimus cum Criticis Gallis, quod *Poſſevinus in Apparatu* laudat *Summarium ad*

Christianam religionem & pietatem spectans.

Plurima scripsit alia, quæ, veniente è Peruvio ad nostros, periere, fluctibus navem invadentibus, multaque subinde abripientibus. Ea inter obvolvi silentio non patimur, quæ Academicis monumentis nota sunt nobis

Opuscula de Justitia & Jure,

E suggestu dictata, tantique à Doctoribus habita, ut dantibus operam Juribus addiscendis injunxerint, aulam Theologicam frequentarent, calamis excepturi proficua etiam ipsis, tum præcipuè, cùm suggestus pro enucleando Jure non dum tot fuerant erecti, quotpostmodum abûdè sunt creati.

Meminere ejus Ægydius Gonzalez in Theatro Ecclesiæ de Goaxaca fol. 227. D. Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispaniæ Nova tom. 1. pag. 153. Critici de Scriptoribus Ord. Pręd. tom. 2 pag. 352. Illmûs Davila Padilla in Hist. Prov. Mex. p. 512. Remesalius in Histor. Prov. de Chiapa p. 717. Melendez in Hist. Provinciæ Peruanæ tom. 1. pag. 527. Burgoa tom. 2. secundę part. Historię Geographicæ Provinciæ de Goaxaca fol. 411. Alva Franciscanus, in Militia pro Immaculata Conceptione, Nostrum quòd pro ea steterit in Summario mox dicto Salmanticæ recuso citans & laudans. Florencia in Hist. Soc. JESU Prov. Mex. loco superius dato. Plaza in Chron. Univ. Mex. lib. 1 cap. 3. n. 11. & alibi.

571 F. BARTHOLOMÆUS DE LETONA, Natione Hispanus, Instituta S. Francisci in Provincia Cantabrica Regularis Observantiæ sectatus, in Mexiceam S. Evāgelij demigravit, in qua obitis Gymnasij laboribus pro Philosophiâ Theologiâque exponenda tyronibus, Emeritus audivit, Præfecturas gessit insignes, & Commissarius Provincialis dicitur à Bibliot. Franciscana. Ab Apostolicis Fidei Judicibus Censor designatus fuit, & à Provincia Mexicana sua Procurator Generalis Romam dimissus agendi ergo Causam V. Servi Dei F. Sebastiani de Apparicio, cujus ut Beatificationi initam viam ornaret, studium posuit & operam suam. Scripsit hispana dialecto.

Perfectam Religiosam, hoc est, *Vitam & Acta Matris Hieronymæ ab Assumptione, primæ Excalceatarum Virginum Abbatissæ apud Manilam Philippinarum Insularum Urbem primariam.* Angelopoli, ubi id temporis Guardianum Cœnobij sui agebat, Typis V. Joannis de Borja 1662 in quarto.

Ne quem verò subeat æquivocatio, monendum duximus, Vitam hanc à Letona conscriptam & editam, Librum esse diversum ab alio in folio ejusdem Sanctimonialis res gestas complectente & ab alio Authore conscripto, Mexicique & Matriti cuso & recuso, quem S. Inquisitionis Tribunal

bunal justis de causis voluit esse proscriptum.

Concionem de S. Clara. Mexici, litteris Francisci Robledo....

Concionem de S. Parente Francisco, ibidem 1644. Cujus memoriam habet eruditissimus Alva in Portento, gratiæ tabula 1. fol. 3.

Vitam V. F. Sebastiani de Apparicio, quæ inedita nobis videtur ex his quæ Betancurtius habet in quarto part. Theat. Mex. Tract. de Illustribus Provinciæ suæ viris pag. 143. n. 39. & Bib. Franciscana tom. 1. pag. 187.

Vitas non nullarum Monialium, quas apud se esse testis est Betancurt. Bibliot. autem Franciscana adjiciens Virgines istas esse Manilensis Conventus, nescimus unde corollarium hoc hauserit, Betancurtio id silentio premente.

Catalogum Franciscanorum Regio genere illustrium, adjectis earum vitis. Angelopoli, formis V. Joannis de Borja 1662 si fides habenda est memoratæ Bibliot. referenti Cantabricæ Prov. enarrationem, è qua itidem addit

Insularum Philippinarum descriptionem, eisdem Angelopolitanis typis excusam, quæ ut & Catalogus proximè recensitus nos hactenus fugit.

His addimus *Vitam Sororis Mariæ Magdalenæ à Cruce Monialis de S. Clara, fundatricis Conventuum Manilæ & Macani,* cui titulum dedit hispanum.

Florilegium Franciscanum; elucidatio Marianæ Conceptionis, &c. Extare apud Mantuam Carpentanorum in Bibliot. Regia Author est D. Antonius de Leon Pinelo in Epitome Occidentalis col. 849, qui in additionibus fol. 922. col. 3. aliorum meminit Nostri, quæ dedimus, Operum.

572 Fr. Bartholomæus Navarro a S. Antonio, Natione Mexicanus & Patria, Prædicatorum Ordinis in Provincia S. Jacobi Mexicea filius præclarus extitit: nam, quas prius altè imbiberat Philosophiam & Theologiam, Cathedris præfectus, alijs exactissimè tradidit, ut subinde litteratorum apud Familiam honores ad usque Magisterij gradum detulerit. Domibus ejusdem insignibus præfuit, totiq Provinciæ Prior datus, quam, ut erat in asserendâ austeriori observantiâ rigidissimus, severâ disciplinâ litterisque perpetuò nobilem, clarius elucescere capereque incrementa curavit. Nec de his tantùm solicitus, insignia admodum eggressus est opera, Sacrarium magnificum, itidemque Sacellum pro Sodalibus sepeliendis, adeò augustum structurâ, spatioque patens, ut postmodum multos annos Templum egerit, omnibus Ecclesiasticis officijs & functionibus gravissimis, à Dominicanis sępissimè habitis, donec vetustate collapsa ab Imperarore condita olim Ecclesia Mexicea, à fundamentis

tis instaurata fuit, & sacrorum usui apta. Adhæc, Doctoratus in Sacra Theologiâ apicem assequutus in Academiâ Mexicanensi, Perpetuus Antecessor Cathedræ Divi Thomæ fuit renunciatus, atque strenuè docendi functus munere, multo fuit in Gymnasijs nomine. Pluris etiam ductus à Supremo S. Inquisitionis Hispaniarum Consilio, pro egregia, qua pollebat doctrinâ, & aviti sanguinis claritate, Censoris perpetui officio cohonestatus meritò efulsit. Edidit materna lingua

Sermonem in Dedicatione Sacelli habitum à se Angelopoli, ibidem typis Didaci Fernandez de Leon 1685. in quarto.

Sermonē in festo Apparitionis Mexiceæ Imaginis Guadalupanæ SS. V. Deiparentis, Angelopoli itidem à se dictum, dum PrimariumTheologiæ Professorem ad S. Ludovici Pontificium agebat Collegium. Eisdem typis 1686 in quarto. Extant in Collect. nost. tom. 18.

Romano autem sermone dedit

Orationem pro justis solvendis Carolo II Catholico Hisp. Regi ab S. Inquisitionis Tribunali Mexiceo. Mexici, apud Typographiam S. Officij 1701. in quarto.

Hispanicè *Sermonem in gratiarum actionem habitum in Ecclesia Metropolitanâ Mexiceâ, pro feliciter deductâ in Habanensia littora Classe, quæ ab Veræ-Crucis Portu non sine multo ab infestantibus inimicis maria discrimine, onerata divitijs solverat.* Mexici, typis V. Francisci Rodriguez Lupercio 1702 in quarto. Habetur in Coll. nostris tom. 9.

E Mss pauca licuit nobis ex Academicis Libris rimari, quæ subjungimus:

Tractatus de Predestinatione & Reprobatione.

Tractatus de Angelis.

Tractatus de Actibus humanis.

Tractatus de Legibus.

Tractatus de Auxilijs.

Ejus etiam curis in acceptis habemus recusum Monumentum oppidò insigne de publicè in Academiâ nostra repentè datis eximiæ eruditionis argumentis ab inclyto viro M. F. Francisco Naranjo Ord. Præd. ejusdem Cathedræ Divi Thomæ Academico Professore, postmodum Episcopo Portudivitensi: cujus certè Monumenti pridem typis commisi, vix exemplar cum inveniretur, Nostri factum est operâ ut rursus prodiret ex Typographia Luperciana 1706 in fol.

573 D. BARTHOLOMÆUS PHILIPPUS DE ITA ET PARRA, Natione Mexicanus & Patria, genitoribus usus est D. Francisco de Ita, nobili stirpe viro, & huic junctâ conjugio D. Teresia Gomez de la Parra claro item sanguine fœmina & insigni pietate conspicuâ, cujus habet memorias P. Julianus Guttierrez Davila, tum in Vita P. Barcia lib. 4 cap. 9, tum in Monumentis Hi-

Historicis Congregationis Oratorij Mexicanensis part. 2. lib. 2. cap. 19. n. 249. quæque non majorum tantùm imaginibus claruit, sed etiam fratre, litteris & virtutibus ornatissimo, Doct. D. Josepho Gomez de la Parra Angelopolitanæ Ecclesiæ Canonico Magistrali, junctisque sibi sanguine P. Joanne Martinez de la Parra Societatis JESU lumine micantissimo, & Doctore D. Josepho Martinez de la Parra Angelopolitano etiam Canonico, de quibus multa suis aptè in locis collocata lectori dabimus. Noster piè juxtà & liberaliter educatus, à primis statim annis egregij dare specimen ingenij cæpit in litteras proni. Latinis apprimè institutus, Philosophicas aggressus est sub Magistro Clarissimo P. D. Joanne Antonio de Oviedo in Collegio Maximo Societatis JESU Mexiceo eas profitente, primosque inter Gymnasij alumnos meritò est habitus, atque in Universitate Laureâ donatus. Theologorum albo adscriptus in ipsa almâ parente Academiâ Mexiceâ, nascenti tunc in ædibusOratorianis,quæ propterea etiamnum audit S. Philippi Nerij, Academię nomen itidem dedit, & jugi studio ac exercitatione cùm in Theosophiæ abditis,tum etiam in amœniori litteratura dicendi que facultate, vulgari minimè laude dignus evasit, quam porrò tulit creatus Artium Magister Theologiæque Doctor.

574 In dies eruditione auctus & famâ, candidatum pro regendis Cathedris egit, quibus potitus, Primariam Theologiæ quadriennio moderatus est in Emeriti D. D. Antonij de Gama octo virorum calculis suffectus quo tempore nos inter Discipulos ejus aderamus: ex inde Temporariæ Philosophiæ, quæ Vespertina dicitur; post, ejusdem Facultatis Primariæ Antecessor Perpetuus incubuit, donec evolutis bis denis annis rure donatus est. Hæc inter, Præbendam in Metropolitanâ nactus Mexiceâ, ubi pro Sacerdotijs, ut vocant, Officij sæpe contenderat, Magistrale pro concionibus sacris habendis multos inter egregij meriti petitores tenuit, proque exolvendo munere totos viginti annos insumpsit, sæpissime è suggestu sacro dicens coram delibatissimo sapientum flore ac nobilium, nec semel ex tempore à subsellijs ad Pulpitum evocatus, ob fortuitos in eo temporis articulo casus, qui dicturi erant, Oratoribus deficientibus. Hac exactâ provinciâ plaudentibus omnium ordinum viris, quibus acceptissimus erat Orator, cùm à natura comparatus & studio, tum etiam ab exercitatione, atque in cogitandis, disponendis, & eloquendis judiciò, acumine, eloquentiâ, gravitate, & cæteris sacri concionatoris dotibus prædítus; jure quidem, à Thesauris ejusdem Ecclesiæ Catholici Regis jussione fuit destinatus. Alijs præ-

præterea titulis clarus, graviſſimis expediendis negotijs ſe dederat, S. Inquiſitionis Officij Cenſor adlectus, Archiepiſcopatus Synodalis Examinator inſtitutus, Vacanteque Sede, aliquot Monialiũ Cœnobijs regendis præfectus. Ut autem pius admodum erat, Eccleſiaſtico dignos viro labores ſpontè ſuſceperat, audiendis confeſſionibus, inſtituendisque in ſpiritu potiſſimum Virginibus deditus, ſua in hiſce obeundis otia libenter ponens. Tandem, gravi ac diuturno probatus languore, omnibus Eccleſiæ Sacramentis munitus, placidè exſpiravit die 20 Auguſti 1748. Edidit hiſpana dialecto Orationes ſequentes.

Dolores oculorum, ſeu de cruciatibus Deiparentis. Mexici, typis H. Joannis Joſephi de Guillena Carraſcoſo 1712 in quarto. Extat in Collect. noſtris tom. 47.

Trinus Rachelis planctus, ſeu declamatio funebris in Academiâ Mexicanâ pro Exequijs Illmi D. D. F. Antonij de Monroy Archiepiſcopi Compoſtellani. Mexici, litteris Lupercianis 1716 in quarto. Extat in citato tom.

Neceſſitates B. M. V. in Servatoris noſtri funere. Mexici, eiſdem formis 1717 in quarto. In eo tomo.

Dolores Deiparentis Virginis in Conſilio voluntatis ſuæ habiti atque perpeſſi. Mexici, ex eadem Officina 1718 in quarto. Extat dicto tom.

Publicum Mercatorum ſignum Mexicanenſium, ſeu, *Panegyris dicta in feſto à negotiatoribus acto pro altaris dedicatione, quod Patrono ſuo omniumque Aſſertori Chriſto dicaverant.* Mexici, ex eadem Calchographia 1718 in quarto. Extat in eodem tom.

Libertas in ſervitute, ſeu, Panegyris de patientibus in Purgatorio animabus. Mexici, è Domo H. V. Michaelis de Ribera Calderon 1720 in quarto. Extat mox dicto tom.

Novum in cœlum iter à S. inſtitutum Philippo Nerio. Mexici, ex Typographia Luperciana 1718 in quarto. Extat t. 6. Coll. noſt.

Oratio in funere Illmi D. D. F. Joſephi de Lanciego & Eguilaz Archiepiſcopi Mexicani. Mexici, typis Joſephi Bernardi de Hogal 1728 in 4. Legitur t. 91. dict. Col.

Poſeſſio ſpei ſociata, ſeu de Patrocinio V. Deiparentis ſub titulo de Remedijs. In Ædibus Joſephi Bernardi de Hogal 1730 in quarto.

Apoteoſis S. Joannis à Cruce viventis. Mexici, typis ejuſdem Hogal 1730. Habetur cum alijs ejuſdem argumenti Opuſculis in Libro cui titulus; *Secunda quinta decima Januarij, &c.*

Sanctus Sanctorum: Panegyris de Proto-Parente noſtro Divo Petro. Mexici, mox datis litteris 1736 in quarto. Extat tom. 6 Collect. noſtræ.

Peccata unica peſtium cauſa, ſeu moralis concio habitâ, morbo, qui vagabatur, Mexicum infeſtante.

 Ma-

Matriti, ex Typographia Antonij Marin 1740.

Salutis Mater Guadalupana SS. Deiparentis Imago. Matriti, litteris Antonij Marin 1739 in 4.

Trinus Mexiceæ Aquilæ gemitus: Panegyricus funebris in Exequijs ductis Excmô. Viro D. Joanni Vasquez de Acuña Marchioni de Casa fuerte Pro-Regi Novæ Hispaniæ. Matriti eisdem formis 1740 in 4.

Monitrix salutis, seu de Lauretanâ V. Deiparentis Imagine sermo habitus, quo tempore pestifera lues Mexicum affligebat. Mexici, formis Hæred. Michaelis de Ribera 1728 in quarto. Extat tom. 47. Collect. nostræ.

Imago Guadalupana Deigenitricis Mexicea, temporum domina. Oratio eo die habita quo ab depicta miraculo Imagine ipsâ, duo secula fluxerant. Mexici, ex Typographia H. V. Michaelis de Ribera 1732 in quarto. Extat tom. 47 nostro.

Imago Patrocinij Guadalupana Mexicea Deiparentis Miraculis clara. Mexici, litteris V. Josephi Bernardi de Hogal 1744. Extat t. nostro 47.

Jeremiæ ejulatus expensus in obitu Excmi Viri D. Petri de Castro Figueroa & Salazar, Ducis de la Conquista, Marchionis de Gracia Real, Mexicei Pro-Regis. Mexici, ex Calchographia V. de Hogal 1744 in quarto. Habetur t. nostro 47.

Amoris circulus, seu *Panegyrica Oratio de florentissima Deiparentis Guadalupiâ Mexiceâ Imagine Americæ nostræ Protectrice juramento solennissimè renunciatâ.* Mexici, typis V. de Hogal 1747 in quarto. Habetur tom. 47 nostro.

Raptus à Deo Philippus. Funebris Declamatio pro justis Mexici solvendis Catholico Hispaniarum Regi atque Indiarum Imperatori nostro Philippo V. Mexici, litteris V. de Hogal 1747 in quarto. Habetur tom. 47 nostro.

Flos Sanctitatis, seu *S. Aloysij Gonzagæ Societatis Jesu Studiorum Patroni Apoteosis: Panegyrica Oratio habita in Collegio Maximo SS. AA. Petri & Pauli Mexiceo.* Hispali, typis V. Francisci de Leefdael 1730 in 4. tom. 105 nostro.

E Mss verò Bibliopegi operâ compaginatos vidimus apud Hæredes Authoris

Sermonum tomos 5. in quarto. Scripsit item

Vitam insignis pietate Monialis Ursulæ à Virginibus, cui ad S. Josephi de Gracia Cœnobium professæ, fuerat à Sacris Confessionibus; servaturque in ejusdem Conventus Archivio.

Vitam Egyptiorum Pro-Regis Josephi Patriarchæ politicis & moralibus animadversionibus illustratam 12 aut 15 Codicibus, quos credimus ab hæredibus custodiri.

Latino sermone rituque Academico concinnavit Lectiones, quas ex ejusdem Universitatis Libris eruimus.

In Aristotelis 8 Libros Physicorum.
In Libros de Anima.
In Libros de Ortu & Interitu.
Tractatum de Actibus humanis.

Tra-

Tractatum de Bonitate & Malitia.

Tractatum de Conscientia.

Tractatum de Peccatis.

Tractatum de Prædestinatione.

Tractatum de Beatitudine.

Meminit ejus egregiâ cum laude P. Vincentius Lopez in de Seculis Marianæ Conceptionis Opere Mss, Seculo 18 pag. 866 & alibi.

575 FR. BARTHOLOMÆUS RAMIREZ, Natione Hispanus, è Granatensi Franciscanorum Provincia Regularis Observantię in Zacatecanorum ejusdem Instituti translatus juvenis, strenuam ubi dedit operam litteris, dignus est visus, qui eas postmodum tyronibus traderet Philosophiæ Cathedris præfectus atque Theologię, quo perfunctus ritè munere quindecim annis, Lector Emeritus renunciatus, deinde Provincialis electus, ac tandem ejusdem Familiæ Custos, ut dicitur, in Europam dimissus cum jure suffragij ad generalia Ordinis Comitia Toletana. Edidit materno sermone

Panegyrim de S. P. Francisco à se habitam in Cœnobio nudipedum S. Didaci Conventus Hispalensis anno 1681, tacito loco editionis nomineque Typographi.

Sermones varios Panegyricos, è quibus sex coram Catholico Hispaniarum Rege Carolo II dixerat, tom. uno Hispalensibus typis edidisse, author est nobis P. Arlegui Zacatecanensis Provinciæ Chronographus in sillabo Mss de Scriptoribus ejus, qui usui est nostro.

Mss Theologica prætерimus, quoniam ea quę fuerint nos fugit.

576 D. BARTHOLOMÆUS ROSALES, Natione Mexicanus & Patria, Præsbyter secularis, Vir in paucis eruditus & doctus, à primis annis in Academiâ nostrâ Mexicanensi, & Maximo SS. AA. Petri & Pauli Collegio Societatis JESU amœnioris ingenij & ad plura comparati specimen dedit, jam ex tunc primos inter Scholæ Poetas conscriptus, atque eo nomine in publicis concertationibus celebratus, ut legere est in ea quam plaudendi ergo immaculatam Virginis Conceptionem ab Scholasticis institutam, prælo commisit Joannes de Guevara anno 1654 apud Viduã de Calderon. Extat etiam latinum ejus Poema præfixum Centonico Virgiliano in laudem Virgineæ Guadalupiæ Imaginis Mexicanæ conscripto à D. Bernardo de Riofrio Canonico Vallisoletano apud Michoacanenses. Laureis insignis Academicis, multus fuit in Theologicarum studio rerum, earumque etiam, quæ ad utrumque Jus attinent, adeò ut sapientissimus Doctor Cardenas, qui id temporis Vicarium Archiepiscopi Mexicani generalen agebat, si quandoque intricatior, ut solet, causa apud eum verteretur, aut abstrusius negotium occurreret, Bartholomæum, quo cum familiariter agebat, ad prandium invita-

vitaret, & veterum ritu sapientum, tanquam aliud agens, inter epulas quæstionem proponeret; qua ille auditâ, opportunè ad rem & scitè dicebat, Authores allegans graviores, & varias, si quæ erant, in puncto sententias, à propriâ ferendâ solenni de more suo abstinens (erat enim timidioris conscientiæ) qua Vicarius industria multos facilè nodos exsolvit, & lucem pro obscurioribus nactus fuit. Noster pro ea qua erat etiam in tabullarijs peritiâ & egregijs dotibus, à Capitulo Canonicorum Mexicanensium destinatus à Secretis, huic exactissimè muneri satisfecit, cui, post traductam Ecclesiastico viro congruentem vitam immortuus fuit. Inter familiares Illmî. D. D. Alphonsi de Cuevas Davalos Antistitis Mexicani admodum venerabilis, olim cooptatus & à Secretis, vita functi colendissimi Domini sui, eximijs ornati virtutibus, Acta conscribere aggressus est, uti ex varijs ad eum datis Epistolis, quas prę manibus habemus, in conscribendam vitam collimantibus, palam fit: eam porro ad exitum deduxisse dubium nobis esse non potest, optantibus licèt Codicem invenire, nec tamen, etiam conquisitione multa, invenientibus, quòd à fide dignis testibus de visu audierimus, legisse edita aliquot ejus Operis folia hispanis typis, frustratâ deinceps editione, quam procuraverat vir Clarissimus D. Joannes de Olivan & Rebolledo, æris defectu, propterea que Authographo Mexicum remigrante. Sanè id ab Hispanis visum hominibus compertissimum est à Nuncupatoria præfixa Libro *Scala mirabilis* nuncupato, seu de vita S. Petri de Arbues, à Doctore D. Salvatore Sylvestre de Velasco & Herrera conscripta, in cujus Nuncupatoriæ ad Majus Collegium Mexiceum Divę Mariæ & omnium Sanctorum fol. 3 col. 1. ad marginem in fine hæc legesis. *De D. Avalos* (cujus scilicet elogium unà cum aliorum laudibus Collegarum in ea Epistolæ parte contexitur) *Siguenza in Triumpho Parthenico, & Rosal in Vita.* Quæ porrò nos etiamnum latens, indicanda est tamen.

Vita Illmî. D. D. Alphonsi de Cuevas Davalos Archiepiscopi Mexicani &c. Meminit ejus multa cum laude D. Antonius Robles in Diario, quod extat in Oratoriana Mexicea fol. 351 ad annum 1700. die 20 Aprilis emortuali Bartholomæi.

577 D. BARTHOLOMÆUS SANCHEZ PAREJA, Natione Peruanus, Limæ Regia Urbe ortus, Mexicumque deductus, Angelopoli Domicilium & sedem sibi constituit. Medicinæ operam strenuè navavit, gradumque Doctoris, non sine egregio plausu, tulit, quam dein spartam multis annis ornavit. Quantus in ea scientiâ fuerit, inde conjectu est facilè, quòd integro ab hinc retro

ſeculo & amplius, Syſtema excogitaverit, quod hac tempeſtate celeberrimè, hinc inde, à Recentioribus agitatur, de quo præ manibus habemus Opuſculum ab inſigni Hiſpanos inter Medicos D. Emmanuele Gutierrez de los Rios Præſbytero, apud Gaditanos agente, Hiſpalenſis Academiæ Doctore, concinnatum, typisque Hiſpalenſibus cuſum Joſephi Navarro 1736 in quarto, itemque extat Friderici Hoffmani tom. 5. Oper. medic. in Opuſculo de Aqua minerali Articulus 8 de Aqua medicina univerſali pag. 201. Noſter anno 1647 Aquam Alexipharmacum eſſe publicis theſibus defendendum propoſuit, & verò etiam ad Hyppocratis Aphoriſmata convenientiſſimè, atque ad Philoſophiæ & Medicinæ dogmata plura ſatis appoſitè verbo juxtà & ſcripto firmavit. Theatrum concertationi dedere graviſſimę Angelopolitani S. Auguſtini Cœnobij ſacræ Ædes, apud quas & è Capitulo Clero que ſeculari Doctores ſapientiſſimi, & delibatiſſimus Nobilium & Equitum flos convenerunt, unà que ex omnibus Regularibus Ordinibus Angelopoli florentibus Magiſtri doctiſſimi, in primis autem Societatis JESU, quorum tunc erant ibi Collegia tria, atque eo præ alijs nomine frequentiori adfuere coronâ, quòd theſium inſtitutus fuerit Mecœnas R. P. Vincentius Carrafa Societatis JESU Generalis Præpoſitus. Octava itaque die Januarij, Noſtro agente Præſidem, Bartholomæus Muñoz Parejo de Aralaz propoſitas 18 numero, prooemij loco theſes ſubſtinuit, principi viam ſternens, quæ in tres ipſa diſſecta fuerat, quam item eſt tuitus, argumentātibus ſeptem ex Eccleſiaſticis Familijs viris eruditiſſimis; rurſusque inſtauratâ, die ſequenti, palæſtrâ Medicinæ profeſſores concluſiones oppugnandas acriter ſuſcepere, propugnatoribus, non ſine multo adſtantium plauſu, ſatisfacientibus. De his porrò theſibus doctum Noſter Opuſculum texuit, quo muniret ipſas atque firmaret, cuique Proluſiones ſolutâ & ligatâ oratione habitas in utroque certamine cum Nuncupatoria adjecit & tabellarij fide. Edidit Opuſculum hoc titulo

Theatrum Apollineum: Triumphales latices Medicinæ: Hyppocratica litteraria Naumachia, Philoſophica, Methodica, Empirica Controverſia, Generali ſtudio, ſtadio publico defenſata, gemina luce, octava & nona menſis Januarij anno Domini 1647. Ad graviſſimum R. P. Vincentium Carrafa Præpoſitum Generalem Societatis Jeſu. Angelopoli, ex Typographia Baccalauri..... in 4. Quod legimus ejus nobis copiam faciente D. D. Joanne Emmanuele de Baeza, Veſpertino Medicinæ Profeſſore Perpetuo Mexicano, itemque Proto-Medico. Nec verò intra Apollineæ ſepta facultatis continuit ſe, imò alio

attinentibus ſcriptis inclaruit, nempe

Vita V. Servi Dei F. Sebaſtiani de Apparicio Franciſcani, ut ejuſdem Familiæ alumnus P. Leiba in altera à ſe condita ejuſdem Apparicij Vita teſtis eſt.

Scripſit præterea

De Nobilitate & origine Civitatis Angelopolitanæ, de quo Opuſculo fidem fecit D. Antonius de Leon Pinelo in Epitome Bibliothecæ Occidentalis col. 700. editionis Madritanæ 1738. Authoris meminit D. Didacus Bermudez de Caſtro in de Scriptoribus Angelopolitanis Mss ad nos tranſmiſſo n. 136.

578 F. BARTHOLOMÆUS A S. TERESIA, Natione Hiſpanus, in Oppido Montealegre natus, Mexicanis ſe Domicilio junxit Carmelitis Excalceatis Provinciæ Indiarum, hoc eſt, S. Alberti Mexiceæ alumnus: Philoſophiam ſuis tradidit, multisque præfectus Cœnobijs, tandem pro Novitiorum inſtitutione Magiſter datus, extremum diem egit Valliſoleti circa annum 1702 uti Fr. Martialis à S. Joanne Baptiſta ejuſdem Ordinis in Bibliotheca Familiæ ſuæ ſcribit pag. 45. Inibi teſtatur Noſtri

Conciones ad Populum extare in Abulenſi Monaſterio plures; & in Pinciano ejus *Collationes*.

579 D. BASILIUS MONEVA DE LA CUEVA, Natione ignota nobis, Domicilio, quod Goatemalæ duxerat Mexicanus, inde ad Catholicum Regem 10 Maji 1644 ſcripſit hiſpano ſermone

De erratis quæ apud Indiarum plagas non rarò admittuntur. Extare Authographum Mantuæ Carpentanorum apud Bibliot. Barciæ teſtis eſt in Occident. Epit. col. 780. editionis noviſſ. Pinelus.

580 M. BEATRIX A VIRGINIBUS, Natione Mexicanenſis, forſanque Patria, Inſtitutum S. Dominici in Cœnobio Monialium à S. Catharina Senenſi Mexiceo profeſſa, rebus Monaſterij ſui olim conſcribendis proſpiciēs, ejuſdem Fundationem, & aliquot illuſtrium, è multis, virtute fœminarum, quæ in eo vota Deo nuncuparunt, in Adverſaria opportunè redegit, quibus materno ſermone exaratis titulum voluit:

Monumenta Conventus S. Catharinæ Senenſis Ord. Præd. aſſervanturque in earundem tabullario Sanctimonialium.

581 D. BENEDICTUS BAÑES, Natione Mexicanus, an etiam Patria definere non poſſumus, Univerſitatis noſtræ alumnus ſtrenuus, Rhetoricâ in ejuſdem Gymnaſijs quadriennio profeſſus eſt contentione inter candidatos optimos ſcholaſticâ præcedente anno 1607, proque munere explendo auditoribus ſuis tradidit

Inſtitutiones Rhetoricas.

Meminit ejus Plaza in Chronicis Univerſitatis Mexiceæ lib. 3. cap. 9. n. 34.

582 Illmus. D. D. Benedictus Crespo, Natione Hispanus Beturiensis, præclara admodum gente & multis insignibus divite satus, litterarium stadium apud Salmanticenses egit Regij & Militaris Collegij Equestris Ordinis Divi Jacobi Ensiferi, cujus rubeâ decoratus fuit Cruce, alumnus, aliquandoque Rector. Doctoratus infulam in Regia illa totoque Orbe celeberrima Universitate merito tulit, & Philosophiæ Cathedræ Moderatorem sapientissimum egit. Supremi Senatus Ordinum decreto Regalis Uclesensis Conventus Visitatoris munus obire jussus, id gessit strenuè, mox in Salmantino S. Spiritus, & S. Crucis Vallisoletaño Conventibus ejusdem militiæ Commendatariarum bis eodem munere functus est. In Americam dimissus Antequerensis Ecclesiæ, quæ Goaxacensium Cathedralis est, Decanus, tandiu ibi substitit egregię probatis nomine, donec à Catholico Rege pro Episcopatu Novæ Cantabriæ Antistes destinatus, litterisque Apostolicis ritè institutus, atque Mexici consecratus, totum se pascendis ovibus in vastissima Diœcesi christianis dedit. Lustravit illam quidem eximio zelo & labore pari, nec minus egentium necessitatibus subvenire, quam salutem animarum curare studuit.

583 Inde Angelopolitanæ præfectus Ecclesiæ, nihilo dissimilis sibi, eisdem exactissimè incubuit muneribus, utrobique semet virtutis exemplar factis, nec verbis solùm, omnibus exhibens. Multas per diem horas in Cathedrali suâ orationi dabat flexis humi genibus. Familiam severiori institutam disciplinâ, Clerumque ac Populum in Numinis obsequia famulatumque dirigebat. Nulla ornatum magnificentiâ Palatium ipsis etiam Religiosis ędificationi & exemplo erat, Præsul que opibus abundans Ecclesiasticis, ne non illas omnes in pauperes erogaret & usus pios, sibi & domesticis subtrahebat, quas aliquanto largius in hisce poterat collocare. Suas in Libris, post sacra, delicias habebat, viceque omnium suppellectilium ipsi Bibliotheca ęrat, quam selectissimis voluminibus, accuratissimisque ęditionibus à gravioribus Criticis adornatas instruxerat. Sanctos Patres assiduè pervolutabat, atque scriptis ad marginem notis, usui suo aliquando futuris, insigniebat: nec de Ecclesiasticâ Disciplinâ & Historiâ agentes præteribat, quibus in regimine pro opportunitate uteretur. Scholares pro litteris imbibendis juvandi solicitus, redditibus Beneficiorum, Capellanias dicimus, ali constituit, quos ad fundatorum mentem eis consignatos voluit. Ut autem benè noverat, agendorum momentum intentionem placendi Deo esse, hanc unam præ oculis observabat, recti tenax & justi, pius & misericors, atque in do-

docendis familiariter è superiori loco fidelibus studiosissimus. Tandem egregiè pastorali defunctus officio, in æternam, ut speramus, quietem emigravit die 19 Mensis Julij anno 1737.

Extant editæ ejus Orationes duæ, altera cui titulum dedit

Rarus è multis, S. Philippus Nerius Congregationis Oratorij Fundator. Mexici, typis V. Francisci de Ribera Calderon 1731 in 4. Habetur in Collect. nostris tom. 1. Hanc dixit Orationem in Cathedrali sua Durangensi fovendi ergo in S. Philippum pietate, cui propagandæ studens Altare inibi erexerat Doctor D. Emmanuel Sebastianus Cano, ejus Vicarius Generalis, Amicus noster, quondamque Socius in Academiâ Mexiceâ ejusdem Divi titulo celebri.

Altera *de S. Ignatio Loiolensi Societatis JESV Fundatore Angelopoli recitata in Collegio de Spiritusancto ejusdem Familiæ,* ibidem que excusa Collegij sumptibus, litteris Prancisci Xaverij de Morales 1735 in quarto. Habetur tom. 69 Collect. nostræ. Prætere edidit.

Ordinationes, Regulas, & Statuta servanda in Cathedrali Ecclesia Angelopolitana pro celebratione Missarum solennium & divini cultus augmento. Angelopoli, litteris Fráncisci Xaverij de Morales ejusdem Ecclesiæ Typographi 1736 in quarto.

584 F. Benedictus Fernandez, Natione Hispanus, ad S. Stephani Salmanticense Dominicanorum Collegium professus Ordinem Prędicarorum, latio, quo jam fuerat imbutus sermoni, Philosophiam adjunxit atque Theologiam, virtutes que non segniter à se cultas in seculo, ferventius longe excolendas in statu religioso suscepit, adeò ut paupertate, obedientiâ, castitate, demissione, modestiâ, orationis studio, & cœteris animi dotibus doctrinæ haud vulgari sociatis, multi fieret à Religiosis viris. Tum verò comes datus V. F. Vincentio de las Casas, qui in Europam conquirendi Socios gratiâ dimissus fuerat à nuper erecta Sanjacobea Provincia, Mexici sistitur, indeque in Mistecam Goaxacensiũ, emendicato victu & pedes secedens, gentis linguam imbibiturus, tanto eam successu calluit, ut non nullis afflante potius Numine quam labore suo & industriâ visus fuerit ipsam edoctus: nam ut testis est Chronographus doctissimus M. Burgoa infra citandus, qui Historiam suam 120 annis edidit postquam Noster Librum suum dialecto Mistecanâ publicaverat, tunc usque ne verbum quidem corrigendum in illo inventum est, nec phrasis ulla spongiæ digna, idiomate licèt à multis quam diligentissime exculto, & abditissimis ejus recessibus exploratis; ut subinde qui addiscendæ Doctrinæ illi dant

dant operam, facilè ſermonis elegantiâ & proprietate alios inter Miſtecè loquentes ſecernantur emineantque. Inibi montium & confragrorum Apoſtolicam duxit vitam Cœnobijs præfectus varijs atque Paræcijs, Vicarius itidem Provincialis.

585 Porro aſperrimę vitæ tenore Apoſtolicum munus fuit auſpicatus, & ad poſtremum uſque halitum conſtantiſſimè tenuit. Cibarijs contentus viliſſimis, quæ pauperibus uſui ſunt Indis, ut ut ipſis tempore placeret & loco, inter eos verſatus utebatur: ſæpe noctes ſubtus arborem ſtratus ducebat pallio involutus: ſæpe, ubi Ædes ſacræ erant, in ſuppedaneo tabulis compacto & altari ſubjecto cubabat; ubi autem ſe in cellam recipiebat, geminis & impolitis tabulis uſus pro lecto, coriaceo cervicali, ipſoque pallio pro ſuperiori ſtragulo, quietem captabat. Sive autem in Conventibus eſſet, ſive in montannis, ſive cum Sodalibus ageret, ſive ſolus, media ſemper nocte pro Eccleſiaſticis matutinis precibus dicendis, alta quidem & compoſita voce, ſurgebat, queis incipiendis ſæva diverberatione cruciabat ſe, iterumque, abſolutis Dei laudibus, mitius nihilo flagellabat.

586 Tanto erat paupertatis amore, ut præter Breviarium & Sacra Biblia, aut Librum pium in cella pretij nihil haberet, ne menſam aut ſedem quidem, nam ſcamno contentus, & pendulâ tabulâ, atque his quæ pro capiendo ſomno memoravimus, alijs ſuperſedebat cæteris. Laneis obſoletisque & laceris veſtibus induebatur, quibus aſperrima obtegebat edomandæ carni cilicia, & ferream, qua præcinctus erat, catenā: atque his alijsque ſubſidijs, cautelâque in oculis, quos nunquam in fœmineos vultus intendit, virginitatem aſſeruit ſuam, cuſtodivitque uſque ad finem illęſam. Dei cultum egregiâ pietate promovit: orationi ferventiſſimè incubuit: ad aras devotiſſimè fecit; ſuasque in Jeſu-Chriſti Corpore ſub Euchariſtico ſipario latente delicias collocavit & robur. Curas ſuas in Deum ejuſque Religionem intenderat omnes; atque ut Indos Miſtecanos plurimis ſuperſtitionibus deditos, & idolis addictiſſimos, ab hiſce peſtibus liberaret, Fideque & pietate inſtitutos Deo afferret, difficillimum eſt dictu, quanto animo & ſpiritu laboraverit, vitæ ſuæ præſentiſſima nil metuens diſcrimina, à quibus Dei ope protectus, evaſit indemnis. Atque ut hujus rei monumenta ſignemus, placet geminum indicare.

587 Ad Pagum Achiutla dictum, ſublimis erat aſcenſuque collis perarduus, ſcopulis & cautibus fermè invius, cujus ad verticem Fanum Indi à majoribus ſuis extructum ſuſpiciebant, latensque poſitos in confinio Religioſos viros, idololatris clam eò ſcan-

ſcandentibus, nec abſque fatigatione, patebat, ut, quem *Populi cor* idolum nuncupabant, obſcœniſſimâ religione percolerent. Erat autem Smaragdus lapis, indici piperitidismagnitudine, hoc eſt craſſus duos digitos, longitudine autem quatuor patens aut quinque; viridi colore pulcherrimus, intusque rutilanti lucernę ſimillimus: inciſa in eo apprimè viſebatur avicula, circumque cœlatus ſerpebat coluber; & hoc tandem idolum *Cor* deluſi à cacodæmone *populi* vocabatur. Id ubi Noſter reſcivit, nil cunctatus, prærupta aggreditur, reptansque conſcendere tentat, Indis ipſum ſequentibus, quorum alij ſacris noſtris devoti, pietate in unum verum Deum agebantur, alij etiamnum diabolo mancipati, comites ſeſe dederant, perſuaſi, teſtes ſe ſtatim futuros infeliciſſimæ, quam ominabantur, ſperabantque religioſiſſimi viri mortis. At enim ille delubrum ingreſſus, undique fœdiſſima circum in loculis offendit idola, quibus & humano ſanguine tinctis, & ab cremato thure fumoſis, inde, ut par erat, in terram abjectis, & proculcatis comminutisque, deſpectui etiam dæmones incolentes ea ducens, perditiſſimos nebulones exagitabat, exprobrabatque invidiam ſuam veteratoribus hominum illis & impoſtoribus. Hæc intuentes antehac decepti idolorum cultores, audientesque imperterritum Sacerdotem noſtrum ſacra eos chriſtiana docentem, ſe ijs dedere cæptarunt, & abditum etiamnum princeps idolum *Cor populi*, affabrè elaboratis involutum telis ultrò ad eum detulerunt. Tam raræ magnitudinis Smaragdum homines Hiſpani ſtupuere, tantique fecerunt, ut ter mille argenteos unciales præclarus ac dives ex eis libèns offerret illi coemendo, quod Noſter pretium repulit, Dei gloriam, atque Indorum documenta gazis & theſauris præponens. Indicto, ut fit, chriſtiano ritu ſolenniſſimo feſto, concurrenteque è plurimis Oppidis confertiſſimâ multitudine, non abſque conatu multo & labore, conquiſitisque pro conterendo lapide præduris malleis & inſtrumentis, pretioſiſſimum longè Smaragdum ita comminuit, uti in particulas redegerit minutiſſimas, pulverique immixtum ſuſtraverit, deſpicatuique habendum docuerit concione ferventiſſimâ, qua inſimul unum omnium conditorem rerum D. O. M. appoſitiſſimè declaravit, cui ſoli litandum eſſe, idque genus alia ſacra pro audientium captu dixit, nec abſque ſucceſſu, mirantibus Indis hominem Dei, cujus deinceps monitis tenacius firmiusque adhæſere.

588 Alterum jam egregiæ fortitudinis monumentum & præfervidi zeli, quo Noſter æſtuabat, afferramus oportet. Pererrabat ille inquirendorum, quos doceret,

ret, gentilium gratiâ, elata aſperrimaque Miſtecanorum juga, ubi ea petens, quæ Chalcatongo (barbarum nomen) audiunt, accepit eſſe, longè ſejunctum, & omnium Regionis faſtigium editiſſimum, quod Pantheonem gentis dixeris, nefandis ſacris & ſpurciſſimæ religioni devotum, immane videlicet ſpelæum, cimmerias inter tenebras conſepultum, Myſtis duntaxat pervium, cæteris interdictum ad januam accedentibus & ſtantibus. Aditũ illud eſſe in Eliſyos campos credebant, in quos à morte corporum deducendos animos ſperabant, olim que etiam rediviva corpora denium trahenda, ut ſubinde Reges & Toparchæ eò poſt funus inferri anaſtaſim præſtolati curarent. Noſter, ſuperatis in itinere arduis ſupra modum ſcabris, uno Crucis ſigno obarmatus, flocci ducens barbaros juxtà ac dæmones, in id antrum, comitantibus infidelibus Indis, opperientibus que capitale audaciſſimi, ut credebant, viri ſupplicium, contendit, donec proximè accedens, & ab ornato frondibus ac floribus veſtibulo Fanum dignoſcens, impavidus, JESU & MARIÆ invocato nomine, ſe in receſſus illos & ſubterranea loca conjecit, Indorum nullo comite, omnibus que foris triſtiſſimum optantibus hominis caſum & ſperantibus. Ille mutuato à feneſtellis quibuſdam lumine, circum adſpectare lapideos cœpit tum[illegible] plurimos, atque aggeſta corporibus corpora, de more gentis, ſingula conveſtita, auro, lapillis, idque genus alijs ornata putidiſſima que. Adhæc, in conclave intimius progrediens, innumera ad loculos redacta, atque ut figuris ſic etiam artificio & materiâ diverſa, tum ſculpta, tum picta circunſpexit idola. Porro dijs emortuis illis ſusque deque latis atque peſundatis, pluribusque contritis, nec mitius graveolentibus cadaveribus pertractatis, & dæmonibus in malam Crucem abire juſſis, dirisque devotis, ovans tandem exceſſit, non ſine egregio Indorum, qui aderant, ſtupore, quique ab audito nuper intus Fani rumore & ſtrepitu evertentis efficta numina, hæc ipſa in illum exarſiſſe fulminaſſeque, ut fuerant ominati, credebant. Ut tamen ſecretiora ipſe Indis pignora ſecum detulit, palam & coram proculcaturus, abjecit illa demum, contemptui que habenda illos edocuit terribili coercitos & longo ſermone de æternis in dæmones ignibus eorumque ſectatoribus, cui adjecit multa concioni de Crucis virtute, cæterisque Chriſtianæ Religionis myſterijs, tantâ quidem energiâ, ut illos ipſos idolorum cultores permoverit, uti ſuis ipſe manibus rogum accenderint, in quem unà cum ſimulacris putrida Procerum ſuorum corpora conjecère.

589 Ex inde ſacris noſtris addicti

dicti seriò, Benedictum ceu Patrem & Magistrum audientes, Deo uni inservire, & propriæ saluti consulere decreverunt. Sanè, tot eos Noster beneficjis sibi devinxit, ut quos olim, prædicandi munus auspicaturus, adversarios habuerat vitæque insidiatores: charissimos expertus postea filios fuerit, ejusque vitæ & incolumitatis cupidos ac solicitos. Quòd enim contineri finibus suis haud posset, in Portus Zurij maris excurrentem docendi ergo gentes curis licèt suis non mandatas, paralysi tactum, quibus poterant pharmacis juvare satagebant, questubusque & gemitibus Deum pro ejus salute rogabant. Ubi verò morbus tandem invaluit, ipse totius vitæ Confessionem instituit, quam religiosissimè duxerat; Eucharistiâ præmunivit se in Viaticum sumptâ, sacroque inunctus Oleo, Crucifixi Jesu dissuaviatus Imagine, ad illa verba *In manus tuas commendo spiritum meum*, obijt in Domino, atque ut promiserat Indis sibi percharis de Achiutla dictis, ibidem Oppidi sepultus fuit, nimium illis de amisso Parenre dolentibus, cujus etiamnum memoria penes gentes illas in benedictione est, corpusque, Cœnobio & Templo excitatis à fundamentis, in sepulchrum pro Religiosis conditum, fuit translatum, quantaque per Ecclesiæ decreta licet veneratione habetur, eo apud Deum precatore utentibus populis illuc devotionis ergo accedentibus, etiam post 178 annos ab ejus funere. Scripsit & edidit idiomate Mexicano

Doctrinam Christianam explicatis præcipuis Fidei nostræ Mysterijs, exordio ducto à primâ mundi conditione, Incarnatione Divini Verbi, Vitâ, Passione, Morte, & Resurrectione Christi Domini: Orationibus itidem Ecclesiasticis: Virtute Sacramentorum & efficaciâ, ipsorumque usu: Adjectis pijs in Deum Deiparentemque precationibus. Mexici, ex Typographia Petri de Ocharte 1568 in quarto. Alteram Mexiceam itidem editionem de 1550. in quarto, memorant Scriptores Ord.Præd. tom. 2 pag. 136, quam videre nobis non licuit, sicut nec aliam de 1564. etiam in quarto, cujus meminit Pinelus in Epit. Bibliot. Occident. col. 726, penes quem habetur Benedictum nostrum Scripsisse item

Epistolarum & Evangeliorum totius anni in Mistecanam Linguam versionem, cujus in præsentiarum usus esse haud poterit, interdictis Librorum Sacrorum in vulgaria idiomata translationibus.

Nostri Vitam omnibus abundantius scripsit M. F. Franciscus de Burgoa Dominicanus Goaxacensis tom. 1. part. 2. Geographicæ descriptionis, seu Chronicorum Provinciæ suæ à fol. 154 col. 3 ad usque 164 capp. 28 & 29. Illmûs Davila Padilla, in Hist. Prov. Mexicanæ lib. 2 cap. 37. Ejusque meminere Scripto-

res Ord. Præd. laudato loco: Nicolaus Antonius in Bibliot. Nova, & Pinelus nuper citatus. Fernandez Dominicanus in Hist. Eccles. nostri temporis lib. 1. cap. 31. pag. 120. Et Franco in Hist. Mss Prov. Mexicanæ S. Jacobi inserens Scriptorum Catalogo Nostrum.

590 D. BENEDICTUS FERNANDEZ DE BELO, Natione Hispanus, in Montannis Burgensibus ortus, Martem sequutus, sub Catholici Regis signis stipendia perplura meruit: nam anno 54 præterlapsi proximè seculi apud Carthaginem Americæ militavit; sequenti verò anno 55 quo tempore Angli Hispaniolam haud contemnenda manu invaserunt, in eam translatus Insulam, fortissimos inter milites censebatur, qui commisso cum Anglis prælio illos abscedere inde coegerunt, amissis vexillis sex, totidemque hominum millibus. Hinc, bonâ Præsidis veniâ, in Hispaniam regredientem Angli ipsi captivum Lódinum deduxere. E littoribus Britannicis in Belgium solvens, iterum Regis sui thesera insignis classiarios inter egit prætoriæ navis. Tandem Mexicum, quo nescimus fato, petivit, atque hîc scripsit ediditque materno sermone libellum hoc titulo:

Brevis Arithmetica, quam jure dixeris *Militarem*, quòd *de supputationibus* agat *instruendis castris perquam utilibus*. Mexici, litteris V. Bernardi Calderon 1675. in quarto, quam inter Codices nostros habemus.

591 P. BENEDICTUS RINALDINI, Natione Venetus, Patria Brixiensis, Domicilio Mexicanus, Societatem JESU amplexatus, conversionis Indorum, qui etiamnum in vastissimis Americæ nostræ regionibus quotidianis incrementis aggregantur Ecclesiæ, & christianis proficiunt institutionibus, Missiones longè dissitas expetivit colendas, quibus streuuam dedit operam, egregio labore parique Dei gloriam augendi zelo. In hunc collimavit scopum quam edidit

Artem pro Thepehuana lingua addiscenda. Mexici, typis V. Josephi Bernardi de Hogal 1745 in quarto.

592 F. BENEDICTUS DE VILLA CAÑAS, Natione Mexicanus, cujus in obscuro nobis est Patria, obscurus ipse minimè, Patriæ, quæ sit ipsa cumque, splendorem dedit egregium, insimulque Dominicanorum Provinciæ de Chiapa & Goatemala, cujus alumnus extitit. Ad exactam Instituti sui & Constitutionum observantiam eximium Indorum salutis zelum adjunxit, pro quibus juvandis multos invictâ patientiâ exantlavit labores, cùm in Provinciâ Zacapulensi, tum etiam in Goatemalensi. Nec instituendis in fide & pietate duntaxat auxilio fuit, Dei cultum in Templo & Sacellis adaugens, sacris vestibus, Musicis viris, & id genus intentus;

rus; sed etiam politicis & rusticis rebus ut efformaret incultos homines diu adlaboravit. Insignem pro trajiciendo flumine Zacapulæ pontem construxit oppidò necessarium. Pro serendo, colendo, & metendo frumento Magistrum egit. Et his quidem ipse uberrimam sibi meritorum paravit segetem multorum annorum curis, donec plenus dierum, superplenam & affluentissimam, ut credimus, accepturus mensuram in cœlum evolavit è Cœnobio Goatemalensi anno 1609. Scripsit

Artem pro imbibenda Lingua Kachiquelensi.

Dictionarium ejusdem Linguæ.

Succesum Fidei Ortodoxæ, seu, eodem idiomate *de Unius Trini que Dei, qui quondam Messiam Patriarchis promiserat, missitque in Mundum: de Incarnatione divini Verbi, Apostolorum prædicatione, Spiritusancti in ipsos adventu, ipsorumque per universum transmigratione.*

Librum Sermones breves de Sanctis & de tempore complectentem.

Librum de miraculis Deiparentis Virginis & Sanctorum.

Et de his quidem Libris & Authore agunt Remesalius in Historia dictæ Provinciæ libro 11 cap. 27. n. 5. pag. 744. & Scriptores Ordinis Prædicatorum tom. 2. pag. 367. col. 2. ad annum 1609. Pinelus in Epitome Bibliothecæ Occidentalis col. 722. Nos verò Catalogum sequuti è Goatemalensi Provincia nobiscum communicatum, alia dictis Opera annectimus.

Vitam S. Catharinæ Senensis.

Meditationes & Orationes de Christi Domini Passione.

Vitam V. Franciscæ à S. Dominico Fundatricis Collegij fœminarum Indarum.

Opera isthæc, supraque memorata, majorem partem penes Sodales esse, aliqua autem authographa in tabullario Goatemalensis Cœnobij primarij custodiri, ab indicatâ ipsorum narratione habemus acceptum.

593 D. BERNARDINUS DE AGUILERA, Natione Mexicanus & Patria, Doctoratus in Jure laureâ insignitus, & apud Regium Senatum Causarum Patronus, edidit vulgari sermone

Allegationem juris ergo tuendi in negotio civili Equitis opibus juxtà & pietate clarissimi D. Stephani de Molina Mosqueira. Mexici, tacitis Typographi nomine & anno editionis. Extat in folio tom 26 Collectionis Mendozianæ.

594 F. BERNARDINUS ALVAREZ, Natione Hispanus, Patria Hispalensis (Quamvis in Utrera natum aliqui scripserint ęquivocum passi ab genitoris natali solo) Domicilio Mexicanus, à virtutibus egregijs insignis, Ordinis Religiosorum Sancti Hyppoliti à Charitate Institutor & Parens fuit. Genitoribus nobili stirpe & christiana virtute conspicuis usus, Ludovico Alvarez & Anna de Herrera conjugio

gio ſociatis, cathechiſmo & ſalutaribus monitis ac primis litterarum rudimentis inſtructus, latinis etiam operam dedit. Vigeſimo ętatis anno, nominis glorię inhians atque divitijs, Orbem novum cogitavit, & militum albo conſcriptus Mexicum petijt. Quòd verò principem Americæ noſtræ Urbem pace & delicijs florentiſſimam, bellicis importunam cogitationibus & congreſſibus cerneret, Zacatecanos verſus iter inſtituit, penes quos & finitimos adverſus Chichimecas, barbaram & indomatam gentem, Martem diceres commigraſſe. Ubi genio indulſerat militari, Mexicum remeavit, ſeque juvenibus ſocium liberioribus dedit & audacioribus, ut propterea luſorias publicè chartas terere, crepare duella, laſcivireque pergeret Reipublicæ ſcandalo, cujus ſubinde Rectorum juſſu in vincula ipſe cum eoque juvenes duodecim miſſi fuerint, inde in Philippinas Inſulas deportandi. Perfracto carcere, ſeſe omnes è vinculis proripuere, in quæ tamen rurſus tres eorum detruſi, ſuſpendio demum mulctati periere. Noſter interea latens, præſentiſſimo ſe ut ſubduceret vitæ diſcrimini, in Peruvium clam, nautis mixtus militibus eò tendentibus, proram direxit, Limamque Regiam Urbem appulſus, atque inde digreſſus, ſexennio ad Cuſcum priſtinam militis profeſſionem novavit & tenuit, lucrandæ ita pecuniæ intentus, ut innoxiè ſupra 30 millia argentea uncialia quæſierit, dataque ſibi à Deo, Deo ipſi reddenda, ad ſe reverſus plenis dicere buccis conſueverit.

595 E Meridionali in noſtram Americam redux, Mexici conſtitit, per ætatem & mores ſibi ita diſſimilis, ut nullam præteritæ vitæ hominisque perditi ſuſpicionem aut timuerit aut moverit. Pius in matrem, eo tempore viduam, Hiſpalique degentem, mille argenteis octo regalibus Epiſtolam junxit, qua ipſam rogabat, vellet Mexicum adire, ut cæteris, quibus ipſe divitijs potiebatur, ipſa in primis pro ſuo victu commodisque frueretur. Nihilo tamen pollicitationibus & precibus addicta jam pridem Deo fœmina, mota, reſcripſit, ſatis ſibi æris eſſe pro vitæ ſubſidijs, opes illum à Deo acceptas in Dei collocaret obſequijs, ſeque in ejuſdem Numinis dederet famulatum. Hæc ut ille monita legit, eis obtemperandum, Deo ipſum ad magna prævenient̃e, conſtituit, atque totius vitæ exomologeſi inſtitutâ, ſævire in ſe flagellis, cilicijs, jejunijs, cæteraque maceratione carnis incæpit: ægentibus eleemoſynas erogabat, & ægrotantibus ut ſerviret, in hoſpitalem Domum non dudum inclyti Ferdinandi Cortezij nomine ſumptibusque conditam, ſe recepit. Inibi, Amicis, honeſtâ licèt conſuetudine ſibi junctis, valere juſſit, abjectâque in-

indutus veste, diu ac noctu infirmis egregiâ patientiâ, humilitate, charitateque ad decennium est famulatus, quorum usui ædificatas ædes, industriâ suâ & operâ ampliavit.

596 Quòd verò ea tempestate, non dum semiseculo expleto ab expugnatâ conditâque Mexico, præter Valetudinariũ, quod mox memoravimus, à Concepta Virgine dictum, unum esset à V. Illmô Archiepiscopo D. F. Joanne de Zumarraga erectum pro ijs qui morbo Gallico laborarent; alterum Regijs sumptibus pro Indis constructum; ęgroti autem multis alijs vexati languoribus, innumeri penè essent in amplissimâ Civitate, illique misetrimi, omnibus ut consuleret, qua erat insigni misericordiâ, Bernardinus Generale Xenodochium aggressus est anno 1567 facultatibus obtentis cùm ab Illmô D. F. Alphonso de Montufar, qui proximè Archiepiscopo primo successerat, tum etiam à Mexiceo Pro-Rege D. Martino Enriquez, annuentibus postmodum & Comite de la Coroña & Auditorio Regio ejus in regimine successoribus. Ut erant Bernardini conatus in pauperes & infirmos omnes intenti, Ædibus opus habuit amplissimis, quas in suburbio molitus est amœnissimo juxtà & civibus proximiori, continentesque Ædiculæ sacræ à S. Hippolyto Martyre dictæ, quam Mexicea pietas Patrono suo ferventissimo erexerat, ceu publicum gratitudinis signum, quòd devota Divo isti socioque Casiano die anno 1521 capta demum Mexicus fuerit, christianumque palam explicatum in ea Crucis vexillum. Hoc nostro suisque, quos brevi habuit, Sodalibus in usus sacros Sacellum concessum fuit, ipso pecunias suas, & quas accepit multas ab pijs, in hospitalis Domus fabricam conferente, in quem protinus locum magno pauperes & ægrotos numero traxit: nam dimissos nuper è Valetudinarijs alijs, à morbo recreandos invitabat & reficiendos: & mentecaptis suos opportunè cubiculos destinaverat: & senio confectis inibi traductis auxilio erat, simulque scholaribus & Præceptoribus indigentibus: & alijs languentibus medebatur.

597 Adhæc plura alia condidit Nosocomia varijs in Novâ Hispaniâ locis & Urbibus, nempe in Oppido de Oaxtepec à S. Cruce nuncupatum erexit, eo etiam famosum nomine, quòd ibi novennium posuerit V. Gregorius Lupezius, Vir ab heremiticâ vitâ egregiâque sanctitate notissimus, quem Noster lubens hospitio excepit & aluit: In Portu Veræ-Crucis Americæ nostræ primario Ædes condidit hospitales pro his fovendis qui hispanis clasibus ad nos deducti naufragium in portu verentur, nec semel patiuntur, vel ægestate vel morbo correpti; quibus refectis

&

& curatis, ut Mexicum adirent, mandram centum instructam mulis paratis ad iter agendum, cibos & pecunias ductoresque è Sodalibus suis præsto esse volebat, Mexicumque ingressis ad S. Hippolyti adesse omnibus officijs pergebat. Per Zurium autem mare navigantes & Acapulcum appulsos similiter conflictatos recreaturus, Nosocomium eo in Portu condidit, Socijs item eò dimissis, quibus nautarum vectorumque cura esset. In deserto dicto Perote inchoatum Valetudinarium operâ Illmi Viri primique Tlascalensium Episcopi D. F. Juliani Garcez Dominicani, qui è vivis excesserat, Bernardinus accepit & auxit. Non longissimè dissitum ad pagum de Xalapa aliud instruxit, jis in primis commodius, qui recèns ex Hispania devenerant, atque ab insalubri Veræ-Crucis temperie illùc convehebantur. Inde, ut iterum quiescere & sedere, ceu in propris Ædibus possent, Angelopolitanum Xenodochium condi curavit, nec pro illis tantùm, sed pro cæteris etiam aut ex morbo recreandis aut etiam medendis. His quę in Nova Hispania pijs erexerat domibus, aliam apud Insulam Habanensem adjecit, queis Sodales sui & Instituti hæredes alias alibi opportune aggregarunt, Goatemalensem, Queretarensem, & Mexicanensem à Spiritusancto dictam, forsanque alias calamum in pręsentiâ subterfugientes. Nam Authore Bernardino instituta Sodalitas fuit Hospitalitatis, Reipublicæ commodis utilissima, cùm alijs nominibus, hoc potissimum, quòd amentium curas receperit, inque Ædes S. Hippolyti helleboro egentes traduxerit: cui instituto Laici multi, Clerici etiam & Præsbyteri nomen dedere, quorum Vitas plurium unà cum Actis Nostri scripsit & edidit Illmûs D. Arže infra laudandus. Atque Sodalitium Summis Pontificibus Gregorio XIII, Sixto V, Clementi VIII, Paulo V, acceptum probatumque fuit, & præscriptæ à Bernardino Regulæ ac Constitutiones, paucis mutatis, Apostolicis litteris confirmatæ: tandemque ab Innocencio XII pijssima Charitatis Congregatio in Ordinem Religiosum Apostolicâ Authoritate constituta est, tribus solennibus & cæteris Religiosis communibus votis adjecto quarto de Hospitalitate, retentâque nuncupatione de Charitate ad S. Hippolytum.

598 Porrò egregij Fundator Instituti pro virtutibus excolendis in Dei gloriam proximorumque salutem, eximijs ipsis christianis dotibus fuit ornatus. Paupertatis amator suis se expoliavit omnibus in pauperum commoda destinatis, votoque paupertatis se religavit. Humilitati autem ita se addixit, ut nihili se faceret, inter operas, ceu eorum unus, pro ædificandis pauperum Ædibus se

ſe immiſceret & laboraret, atque alijs abjectiſſimis dederet miniſterijs, eiſque volens lubens ad extremum uſque vitæ incubuerit. Obedientiâ conſpicuus, patientiâ, caſtitate, pœnitentiâ, oratione, cæterisque ejuſmodi efulſit. Adverſus Puriſſimam Virginem Deiparentem eximio erat amore, cui propterea famulari in delicijs habebat, Noſocomiumque non unũ ſub ejuſdem clientela conſtituit & nomine. Fidem autem, Spem, Charitatemque heroicis plane exercitationibus tenuit. Nullos pro Noſocomijs ſuis perpetuos voluit reditus aut Patronum hominem, uno contentus, cui ſe & ſua crediderat, homine juxtà que Deo, cujus Imaginem ad Cœnobij januam collocavit ſubcripto epigraphe: *Ecce homo: Dominus providebit.* Nec fruſtratus ſpe, largiſſima à fidelibus & opportuna, etiam non quæſita, accepit in pauperes alendos & curandos ſubſidia, quos tanto ſæpe numero recreare prandio cœnâque conſueverat, ut quadringentas quotidie portiones eis diſtribueret, ære campano meridie veſpereque vocatis ijs etiam qui ſuas extra Valetudinarium ſedes habebant, ęgeſtateque aflictabantur: eis præterea qui erubeſcerent mendicare, clam ſubveniebat, nullum que mæſtum ab ædibus ſuis abire ſinebat, Deo nonnunquam miraculo charitatem ejus & fiduciam juvante.

599 Nimirum, paupercula ipſum vidua convenerat poſtulandi gratiâ pro ſuo victu farinam, cui ſucurrere integro ſacco Sodali injunxit horrei curam habentis; hic verò repoſuit ſtatim, granarium penitus eſſe vacuum, pauloque ante ita ſcopis everſum, ut ne pulvis quidem inibi farinaceus remanſerit. Nihilo tamen minus illo inſiſtente ut pergeret, imperataque faceret, mulierem ſecum deduxit farinæ cuſtos, ſuis ut ipſa oculis inane cubiculum cerneret. At enim, ubi januam aperuit, exundare farina cæpit, tantâque effluere copiâ, ut ipſum obrueret. Quòd autem Bernardini primas curas animarum ſalus teneret, ijs potiſſimum juvandis intentus, & Sacerdotes, qui ſe illi junxerant Inſtituto, ęgrotantibus in ſupremo agone auxilio eſſe curabat, & Præceptores rudimentis litterarum & Catechiſmo pueros inſtituere, & id genus alia ſatagebat, nullumque ferme ea tempeſtate Mexici fuit opus illuſtre Dei gloriam concernens, in quod ſuum ipſe ſymbolum non poſuerit.

600 His profectò charus Deo nominibus, eo ut æternùm frueretur acuto vocatus morbo, à primarijs Medicis juſſus eſt Sacramenta ſuſcipere exitum illi poſt tres horas proximum ominantibus. Ipſe tametſi superno, ut videtur, afflatus lumine, ſecus exiſtimaret, nec niſi decima inde moriturum ſe die reſciret, ac

suis exponeret, nil moratus, sacrâ expiatus Confessione, Eucharistia que in Viaticum, qua solebat frequenter pietate, susceptâ, & extremo unctus Oleo ad mortem comparavit se, quam lætus aspexit pomeridiano tempore die 12 Augusti anno 1584 ætatis 70. Lætus quidem ipse diem supremam aspexit, effusique in gaudia Mexicani cives, cæterà de amisso charissimo omnibus Bernardino mæstissimi, funus ejus sunt prosecuti. Quòd enim Ædes suas hospitales maximas ad S.Hippolyti Martyris & Patroni Mexicei Templum construxerit, in quod ea ipsa die & sequenti quotannis universa Civitas confluit, instaurandi ergo anniversariâ memoriâ triumphi, si quis ullus fuit pro Catholica Fide & Hispano nomine,Inclyti & celeberrimi jam inde ab anno 1521 de Potentissimo Mexicanensium Imperio relati 13 Augusti: Hanc obrem paucis à Nostri obitu horis illùc vespertinis precibus solennissimè decantandis ut adessent,præclari quique Reipublicæ viri convenère. Renovatâ, ut fit, sequenti die pompâ, quæ admodum gravis & festiva est, Auditorium Regium, Mexicei Rectores & Nobilissimi Equites, incredibili popularium stipati frequentiâ, iterum inibi sistuntur unà cum Religiosorum Ordinum Sodalibus multis, Metropolitanæ Ecclesiæ Canonicis, & Illmô. D. D. Petro Moya de Contreras, id temporis Regni Visitatore, post Archiepiscopo Mexicano & Pro-Rege, Ecclesiastico ritu festum acturis, mox verò Bernardini corpus elaturis. Dixit è superiori loco Ecclesiastes ea ætate Mexici primus, M. F. Joannes Adrianus Ordinis S. Augustini Provincialis, in Academiâ Mexicanensi Primarius Sacrorum Bibliorum Interpres, & qua erat pietate ac eruditione, ita SS. Martyrum decora Bernardini laudibus innexuit, ut Beatorum ipsorum Ædibus sacris Hospitales ille suas junxerat, quo eum nomine & insignium virtutum opportunè ad merita & tempus Orator dissertissimus extulit. Extulere demortui corpus, absolutis sacris Mysterijs, gravissimi, qui aderant, viri è Capitulo Ecclesiæ, Auditorio Regio, Senatu Mexiceo, & religiosis Cætibus, & prope aram maximam collocarunt. Certè, vivens Bernardinus & mortuus Pro-Regibus, Archiepiscopis, & præclaris quibusque hominibus peracceptus, infimis etiam, quorum curam gesserat indefessè, percharus, à cunctisque ceu Sanctus est habitus, quem totos 40 annos eximium virtutum exemplar suspexerant. Scripsit hispano sermone

Regulas & Constitutiones pro Sodalibus Ordinis Charitatis ad S.Hippolytum.

Quas Apostolicis litteris communitas supra diximus traditis ab Illmô. D. D. Joanne Diaz de Ar-

ze electo Archiepiscopo Hispaniolæ Tom. 2. Proximi Evangelici à fol. 12, rursusque à fol. 35. Seorsim excusas vidimus Mexici apud Didacum Garrido 1621 in 4. Editæ autem fuere Apostolicâ Innocentij XII Constitutione firmatæ, Mexici apud Franciscum de Ribera Calderon 1718 in quarto.

Mox citatus Author Nostri Vitam Tom. 1. ejusdem Operis Libris duobus complexus est, multis & gravissimis ad extremum momentis agens, ut de ejus Apoteosi sacra curetur, jique omnes quorum interest (interest autem plurimum Hispalenses, Mexicanos, Sodales ad S. Hippolytum) Beatificationem ejus & Canonizationem apud Apostolicam Sedem instantissimè postulent. Secundo autem Tomo duobus etiamLibris aliquot Sodalium Ordinis Charitatis acta conscripsit & edidit Mexici, typis Hippolyti de Ribera annis 1651 & 1652 in quarto. Bernardini meminere, nec sine laude, Clarissimi PP. Franciscus Loza in Vita Servi Dei Gregorij Lupezij cap. 8. F. Balthassar de Medina in Chronicis Provinciæ S. Didaci Mexicanæ fol. 11. num. 39. Betancurtius in Tractatu Urbis Mexicanæ f. 93 n. 193 & sequentibus. Cabrera in Gentilitijs Mexici, seu de Guadalupanâ Imagine lib. 4 cap. 4. P. Bonani Societatis Jesu, in Catalogo Ord. Religiosor. part. 1. fol. 60. Ejus præterea vitam scripsit P. Franciscus Garcia Societatis Jesu.

Seculi nostri anno 49 editę sunt Mexici, typis D. Mariæ de Ribera Tom. in quarto *Constitutiones Sacræ Religionis de Charitate & S. Hippolyti Martyris, in Occidentalibus Indijs fundatæ à V. P. Bernardino Alvarez*. Porro istas ab Ordine ipso impetratas, pristinisque Regulis consentaneas, & jubente Eminentissimo Cardinali Gentili, ejusdem Ordinis Protectore, Romæ conscriptas ab admodum R. P. F. Josepho à Matre Dei, Trinitariorum nudipedum generali Procuratore; imprimi & publicari præcepit Apostolicus Delegatus D. D. Franciscus Xaverius Gomez de Cervantes Vicarius Generalis Archiepiseopatus Mexicei, qui dicti Ordinis S. Hippolyti Visitationi incubuit & Reformationi, Litteris & Motuproprio SS. D. N. Benedicti XIV *Pastoralis solicitudo*, datis Romæ 23 Januarij 1743 ad Archiepiscopum Mexicanum, facultate concessâ subrogandi sibi Personam in Dignitate Ecclesiasticâ constitutam, ea Delegatione functuram, qua usus potestate Excmûs unàque Illmûs D. D. Joannes Antonius de Vizarron & Eguiarreta Archiepiscopus Pro-Rexq Mexiceus, suum sibi in id muneris Vicarium generalem suffecit.

601 Fr. Bernardinus de Arevalo, Natione Mexicanus, Patria Goatemalensis, ut à con-

consanguineis ibi degentibus majorum traditione acceptum habetur: Ordinem S. Francisci in Provincia SS. Nominis JESU professus, scriptos reliquit Tomos duos in Bibliotheca Primarij Cœnobij de Goatemala ejusdem Ordinis custoditos, multâ Juris eruditione constantes, ut è Catalogo usui nostro parato ab accuratissimo P. Arochena didicimus, quorum Voluminum alter est

De Immunitate Ecclesiasticâ & Sententiâ Excommunicationis, in 4.

Alter verò

Expositio in illud Regulæ Franciscanæ præceptum: Fratres non recipiant denarios vel pecuniam per se vel per interpositam personam, in 4.

602 F. BERNARDINUS GATICA, Natione Mexicanus & Patria, Sacri Præd. Ord. professor, & Sanjacobeæ alumnus Provinciæ, Lectoris munere clarus, Primarij & Imperialis Mexicei Cœnobij sui instructissimæ Bibliothecæ, quæ plusquam 10 mille voluminibus constat, Præfectus, ut erat studiosissimus, collegit latino hispanoque sermone

Excerpta è selectis Authoribus varia, soluta ligataque numeris oratione, spisso volumine in quarto, quod optimo Mss charactere vidimus in memorata Bibliotheca ad S. Dominici. Extant ibidem Libri multi queis plurimas notas marginales ipse Bernardinus adjecit.

603 P. BERNARDINUS LLANOS, Natione Hispanus, Ocanæ in Diœcesi Toletana ortus, postquam Juri addiscendo operam dederat per quadriennium, Societatis JESU institutis se mancipavit anno 21 ætatis, à Christo nato 1580. Sacris adhuc non initiatus Mexiceam Provinciam adivit, quam ad mortem usque tenuit amplius 50 annis. Ex his quadraginta dedit Mexicanorum in amœnioribus litteris accuratissimæ institutioni, pro qua Opuscula publicavit mox indicanda. Ita verò hanc ornavit spartam, simul ut fidelium confessiones exceperit, magnique virtutis nomine habitus fuerit, & adeo illustratus à Deo, ut creditus fuerit multa cœlesti afflatum lumine prædixisse. Erga Beatissimam Deiparentem egregiè fuit pius, cujus religionem in Discipulos inspirabat, traditumque fuit, ipsam Deigenitricem insigni attestatam Servo suo cuidam fuisse, Bernardinum unum ex eis esse qui sibi in terris gratiores degebant. Tandem Mexici ad cœlum, ut pium est credere, migravit die 22 Octobris anno 1639. Edidit Juxtà Bibliothecam Soc. à P. Sotuelo auctam pag. 114.

Advertentias pro Grammatica addiscenda: & Christianam Poesim.

Christiana autem Poesis extrema pars est *Institutionum* mox indicandarum, incipitque à pag 374 ad usque 512, cui monitum hoc, Præfatiunculæ vice, præmittit: *Omnium hactenus Poeseos generum præcepta tradita sunt, eaque Poetarum*

rum veterum Ethnicorum exemplis confirmata. Quoniam autem Institutionum hic Poeticarum Liber Mexicanis conscribitur adolescentibus præclara virtutis indole atque ingenij laude præstantibus, quorum est ut ad cæteras artes & illustria sapientiæ studia, ita etiam ad hæc mira propensio & cum facilitate fælicitas; quique suam hujusmodi facultatem in Dei præsertim Optimi Maximi ac Deiparæ Virginis & Sanctorum laudibus exerceri gaudent: placuit non nulla Christianorum Poetarum illustrium exempla proponere. Libri titulus sic habet:

Poeticarum institutionum Liber, varijs Ethnicorum Christianorumque exemplis illustratus ad usum studiosæ juventutis: Per Congregationem B. M. V. Anuntiatæ in Soc. JESU Collegij Mexicani Gymnasijs Authoritate Apostolica institutam, collectore ejusdem Soc. Sacerdote, qui eidem præsidet Congregationi. Mexici, apud Henricum Martinez 1605 in octavo. Nomen autem quanquam Author latere suum voluit, P. Petrus Flores ejusdem Soc. ingenioso epigrammate aperuit, alia inter aliorum, pręfixo Operi, quod his numeris Bernardinum Llanos prodidit.

Floribus hunc lustrans varium vernantibus hortum,
Illustris Authoris nomem abesse doles?
Hortum sed lustra, justoque medere dolori,
Hunc & cum reliquis floribus ipse dabit.
Clarius id rogitas? En justis annuo votis.
En omnes, at non ordine reddo notas:
Is si non nardus certè nardinus & ipse
Ver, & nos inter jure la, Sol ve tenet.

Porro instituendis in universa Poesi juvenibus exempla pulcherrima & optima unà cum præceptis ac regulis brevitate & perspicuitate nobilibus si quis optat, hocce in fasciculo ad delicias inveniet, obscœnis procul omnibus amandatis, quibus Ethnicorum scatere Libri solent, & Lectorum animos conspurcare. Extat ejus memoria in Menologio Provinciæ Mexicanę die 22 Octobris.

604 D. BERNARDINUS PINELO, Natione Mexicanus, Angelopoli ortus, Præsbyter Secularis, & Paræciæ de Xalazingo præfectus, Theologicis, quibus erat instructus litteris, egregiam in Mexicanâ linguâ peritiam adjecerat, qua usus scripsit pro Sacrorum administratione

Enchiridion seu *Manuale Mexicanum.*

De quo memoriæ sunt in *Allegationibus* editis, tacito loco & anno, *pro Clero Angelopolitano* pag. 80. col. 2.

605 FR. BERNARDINUS SAHAUNTINUS, Natione Hispanus, in Oppido unde cognomen ipsi inditum, sortitus cunabula, Salmanticensi Universitati Scholares

res inter adſcriptus, Sodalibus Franciſcanis de Obſervantia regulari in Provincia Cantabriæ ſacramento ſe junxit, unde anno 1529 in Mexiceam S. Evangelij, tunc Apoſtolico coalentem ſpiritu, commigravit, atque ad obitum uſque in ea totos annos 61 operarium Apoſtolicum egit. Vicennio primo aliquibus præfuit Cœnobijs, quod à ſe onus deprecatus eſt, ut reliquum vitæ tempus, hoc eſt, 41 annos prædicationi, confeſſionum auditioni, & Librorum ſcriptioni totus vacaret. Erat ille certè non modò in Philoſophiâ & Theologiâ, ſed verò etiam in alijs Scientijs eruditiſſimus, quo nomine, ubi Imperiale S. Crucis Collegium ad Tlatelolcum pro Nobilium Indorum inſtitutione conditū fuit, Lector eſt deſtinatus unà cum alijs duobus & Doctiſſimo Fr. Joanne de Gaona, qui primas in docendo partes tenebat.

606 Ex quo huic traditus Atheneo fuit, omnes ad extremá ferme diem tranſegit docendo, cùm in proximo Templo è ſuperiori loco Indos confluentes ut exciperent verbum Dei (quorum audiendis confeſſionibus ſacris intentus erat) tum etiam puerulos, adultioreſque juvenes in chriſtianis & politicis, qui ſubinde legere & ſcribere,ejus operâ, didicerunt: Grammaticam, Muſicam , Medicinam calluerunt, idque genus ornamentis exculti floruere. In idiomate autem Mexicano penitiſſimè eviſcerando nulli conceſſit, adeò ut eximij ejuſdem idiomatis Præceptores Torquemada Betancurtiusque ad ſuam quiſque ætatem palmam omnibus Mexicanæ ſcribentibus prætuliſſe non ambigant. Egregios idcirco Libros & ſermonis proprietate & omnigenâ atque abditâ gentis eruditione divites condidit, in quibus omnem retro Mexicanorum antiquitatem palam exhibuit, hiſpanum gentis dialecto ſermonem adjiciens exponendi ergo Naturalia, Civilia, Religioſa Imperij vaſtiſſimi, animalia, plantas,foſilia, pulcherrimaque alia quibus feraciſſima terra diteſcit luxuriatque: Leges veterum atque mores pacis belli que tempore,cauſasque bellorum, tempora & exitus: priſcam idolatriam & ſuperſtitionem, id que generis cætera uſque ad expugnatum Hiſpanorum armis Mexiceum Imperium, cujus geographiam minimè prætererat.

607 Porro eruditiſſima iſthęc Volumina, duodecim numero & Regia charta, novercantem perpetuò fortunam ſunt paſſi: nam & vivente Authore obſiſtentes habuere multos, imprudenti propterea zelo eis repugnantes, quòd vererentur offenſioni Indis futura chriſtianis obſcœniſſimæ religionis monumenta illa: quo nomine vetuſtiſſimis etiam Americæ noſtræ Annalibus bellum indixère, politiſſimis ſymbolis & figuris appoſitè ad res quaſlibet con-

concinnatis: & eodem Authore demortuo, immortale plane Opus, aut intercidit penitus & evanuit, aut si forsan alicubi extat, obscuro Hercle & ignoto in sepulcro contectum latet, quod ab Authoris, vix non inviti, manibus ad Chronographum Herreram in Hispaniam transmissum fuit, exiguo futurum usui homini Mexicani idiomatis nescio. Nam & si (quod Betancurtius observavit) Antonius de Herrera multa in Decades suas derivarit à Nostro hausta, perexiguus tandem is fructus est, ejus habita, ut par erat, ratione, quem grandia illa Volumina mole pariter & eruditione, utrâque conscriptâ linguâ tulissent: quæque varias Mexicanensium dialectos, phrasesque & formulas multiplices, quibus Idioma, fœcundissimum certè, abundat, præseferebat, callentibus illud utilissimas.

608 Noster porro cavillos & obtrectationes nihil veritus, alios, nec jejunos, Libros perrexit scribere, cautè tamen obloquentium calumnias declinans, ut in *Dictionarij Trilinguis* Proœmio his verbis effatur: *Grammaticam historicam id circo hispanicè condidimus, ne dedisse videamur ansam Rabbinis: Qui sæpe expugnaverunt me à juventute mea.* Interea loci, prætermittebat nihil, ut idololatriæ reliquiæ ab neophitorum animis prorsus evellerentur, & quo erat insigni Catholicæ Fidei zelo, ut altiores ipsa radices ageret, labori nulli & industriæ parcebat, verbo & scriptis ministros Evangelicos admonens, ut suo optimè munere fungerentur. Ardori Religionis cœterarum exercitia virtutum adjecerat, tanta in illis constantiâ, ut nonagenarius etiam Matutinis & cœteris canonicis horis adesset in choro. Mansuetudine, humilitate, paupertate & comitate erat insigni, omnique religiosâ conspicuus virtute, quam ad extremum duxit; certiorque mortis factus, à Collegio Tlatelolcano, charissimis Indis suis convocatis & valedicens, in Cœnobium maximum ductus, obijt in Domino nonagenario major 23 Octobris anno 1590 ibique sepultus, confluentibus mœstissimis discipulis suis, Collegij S. Crucis alumnis, multitudineque funus lacrymabile omnibus comitante. Scripsit quos memoravimus Libros, jure que nuncupaveris

Dictionarium Historicum Mexicano Hispanum duodecim grandibus, seu in charta Regia, Voluminibus distinctum. Nam & si Torquemada undecim dixerit, vereamur facili prolapsione sui, Amanuensis, aut Typographi mendum irrepsisse, attestante Betancurtio duodecim Volumina fuisse, è quibus nonum Authographum ipse viderat Authoris subscriptum manu, dicentisque ab Mexicano Pro-Rege D. D. Marchione de Villamanrique vix non extorta sibi duodecim Volumina illa ad Regem Catholicum transmit-

mittenda pro edendis ab Antonio de Herrera Historicis Libris Indiarum. Scimus Torquemadam etiam Tomum illum nonum penes se habuisse, nescientes autem, an Authographus fuerit, an exscriptus, alterum verosimilius existimamus, vel apographum historiolam de abductis à Bernardino duodecim Libris non præseferre, quod Torquemada legerit, vel si legit authographum, lapsu memoriæ, calami, aut typographiæ undecim pro duodecim evasisse. Demum, ne hoc prætermittamus, nonus ille Tomus Authoris subscriptione munitus, totus erat in Expugnatione Mexicea exponenda secundis & emendatioribus curis, extabatque penes Auditorij Mexicanensis Decanum D. Joannem Franciscum de Montemaior, qui eum in Hispaniam secum adduxit imprimendum, ut testis est Betancurtius, & cujus vestigium editionis factæ habemus nullum. Exemplar autem quod usui Betancurtio fuerat & forsan Torquemadæ, ubi in præsentiarum sit tam nos latet quã ubi duodecim Volumina delitescant.

Artem seu Grammaticam pro Mexicanâ Linguâ addicendâ.

Dictionarium trilingue, Latinum, Hispanum, Mexiceum; quod vetustate attritum habebat Betancurtius.

Sermones per annum idiomate Mexicano conceptos.

Postillam in Evangelia & Epistolas, quibus Ecclesia in Missis utitur. Quod Opus eleganti juxtà & defœcatissima conscriptum Mexicea dialecto Betancurtius affirmat, unde ipse pulcherrimas periodos imbiberit.

Historicam narrationem venientium primò Mexicum Franciscanorum Patrum, libris duobus distinctam: quorum primus capp 30; secundus 29 complectitur: atque in eis *Collationes* continentur ab Apostolicis viris habitæ cum Sacerdotibus gentis & Sacrificulis, Hispano sermone & Mexicano, de Christianæ Fidei Mysterijs recipiendis, abjiciendisque idolis, piè juxtà & doctè magno cum nostræ Religionis emolumento, quam demum amplexati fuere gentis Magistri. Hos autem duos Libros unà cum sermonibus nuper dictis compaginatos esse testis est Betancurtius.

Psalmodiam seu spiritualia carmina de Christi Domini vitâ, Deiparentis Virginis gestis & gloria, Sanctorumque actis, quibus Indi uterentur in sacris festis. Opusculum hoc unum fuisse è tot scriptis Nostri typis excussum, à Torquemada habemus, quod, ut multa alia minuta scripta à primis Ecclesiæ hujus Doctoribus, nullibi adhuc invenire potuimus.

Vitam S. Bernardini Senensis Mexicano translatam idiomate dedit petentibus Indis Xochimilcanis, qui Sanctum hunc in Parochiæ tutelarem suæ adsciverant, de qua Torquemada & Betancurtius fidem faciunt.

Expositionem paraphrasticamSymboli S. Athanasij.

Expositionem alteram ejusdē Symboli dialogi stylo.

Concionem post Baptisma parvulorum ad circunstantes.

Lac spirituale.

Baculum spiritualem.

Lumen spirituale.

Speculum spirituale.

Cibum spiritualem ac solidum.

Scalam spiritualem.

Fructus spirituales.

Regulam Conjugatorum.

Præcepta ipsorum.

Impedimenta Matrimonij.

Doctrinam pro Medicis.

Tractatum de septem collationibus admodum pro moribus utilem.

His quæ à Torquemada & Betancurtio mutuavimus, eorum neutro omnia in sillabum redigente, adjicimus

Sermones varios de Dominicis & Defunctis idiomate Mexicano pro Indorum captu formatos, è nulloque Sermonario, ut dicitur, traductos; quos Authographos vidimus Tomis duobus Regia charta in Bibliotheca ad S. Jacobi de Tlatelolco Franciscanorum.

Supra memoratis adjecit F. Joānes à S. Antonio in Bibliot. universa Franciscana tom. 1. pag. 214.

Historiam universalem Novæ Hispaniæ in 12 libros distributam. Mss que inquit asservari in Tolosano ConventuCantabricæ Provinciæ Tomis quatuor.

Insuper *Sermones pro Immaculatà Conceptione V. Mariæ*, quorum meminit Alva col. 185. sequutus Marracium.

Præter citatos meminere Nostri Nicolaus Antonius, Wadingus, Arcturus ad diem 23 Octobris Martyrologi Franciscani § 24 & Moreri in Dictionario magno historico. Pinelus in Epit. Bibliot. Occid. col. 715 in eo lapsus quod crediderit Betancurtium asserere duos illos Libros, quorum alter 30 alter 29 capp. constat unà haberi cum tom. 9. Dictionarij maximi in Hispaniam adducti à Senatore Montemaior; cùm tamen Betancurtius Libros ipsos Postillæ in Evangelia & Epistolas adjacere asseruerit. Cœterorum Operum memoriam habet col. 720. 721. 739.

609 D. BERNARDINUS DE SALVATIERRA ET GARNICA, Natione Mexicanus ac Patria, Universitatis Alumnus, & in Poetica Facultate excultus & doctus, patrio sermone hispanisque numeris edidit

Descriptionem spectaculorum queis Mexicana Civitas festissimè lusit plaudendi ergo instauratam Hispanorum armis & Philippo V restitutam Catholico Regi Oranam in Africa bellisedem. Mexici, typis H. Michaelis de Ribera 1732 in quarto.

Metricam Historiam apparentis miraculo Imaginis Deiparentis V. Guadalupiæ. Mexici, litteris D. Mariæ de Ribera 1737 in quarto.

Ejusdem Deigenitricis sub floridæ

Guadalupiæ. Mexici, litteris D. Mariæ de Ribera 1737. in quarto.

Ejusdem Deigenitricis sub floridæ Guadalupanæ picturæ sipario cultæ Mexiceum Patronatum descriptum, præstitumque juramentum carmine celebratum. Mexici, in eadem Typographia 1737. in quarto.

610 F. BERNARDINUS DE VALLADOLID, cujus Natio & Patria incerta nobis est, Mexicanus saltem Domicilio, quod apud Jucatanenses fixerat, Ordinis S. Francisci in Provincia, quæ inibi floret, de Observantia Regulari alumnus, multis jure nominibus à P. Cogolludo in Historia ejusdem Provinciæ lib. 12 cap. 24 pag. 755 laudatur: Quòd scholasticas theses, singulari studio plausuque, Jucatano idiomate propugnaverit: quòd eâdem usus linguâ mirum in modum dicere coram Indis usu tenuerit: quòd Hispanos maternâ dialecto è superiori loco docuerit: quòdque eruditissimum elucubrare, mox recensendũ, Opus aggressus fuerit, magnamq̃ partem solerter ornaverit. A secretis Provinciæ cùm esset, casu præceps actus per gradus scalæ, morbis inde multis vexatus, pelle vix ossibusque hærebat, donec floridissimum litteris & ætate virum (agebat enim annum 35) mors decerpsit sacramentis munitum, & Religioso dignâ præparatione 10 Octobris anno 1652. Scripserat

Dioscorides magnam partem idiomate Jucatanensi, atque, ut erat simplicium gnarus plurium, quæ inibi Regionis nascuntur, de quibus *Dioscorides*, singula expresserat penicillo, Latinæ voci Hispanam adjiciens, &, quæ huic respondet, Jucatanensem, secundum hæc Dioscoridis scriptũ vertens, ut præcitatus Cogolludus testatur, atque ex eo Bibliotheca Franciscana tom. 1. pag. 215. Itemque Pinelus in Epitome Bibliothecæ Occidentalis tom. 2. col. 722. inter Scripta Nostri numerans

Conclusiones de Sacramentorum omnium materijs latino juxtà & Jucatanensi sermone.

611 ILLMUS. D. D. BERNARDINUS VILLALPANDO, Natione Hispanus, Evoræ Talabricæ ortus, Ecclesiæ Cubensis Episcopus 20 Aprilis anno 1559 à Catholico Hispaniarum Rege Philippo II præsentatus, in Goatemalensem promotus anno 1564 inclyto viro D. Francisco Marroquin, qui primus eam rexerat & condiderat, suffectus est. Quòd autem traditas Religiosis viris à Decessore suo curandas Parochias, ad Seculares revocare Clericos vehementius tentasset Concilij Generalis Tridentini non ita pridem absoluti Decretis insistens, administrationibus illis abnuentibus (quæ deinceps Statuta pro Indijs à Pontifice Summo dispensari Catholicus Rex impetravit, uti in *Alphonsus à Vera-Cruce* diximus) turbæ sunt motæ, pluresque ad Regem queri-

 moniæ

moniæ delatæ, quibus Noster postulabatur. Dicitur, eam ob caussam graves ad ipsum litteras Philippum II dedisse, quas ubi ille accepit in Oppido S. Annę dicto, quò declinaverat, testatus se paratum esse Deo rationem reddere de ab eo sibi commissâ Ecclesiâ, illico expirasse anno 1569. Scripsit

Synodum Goatemalensem,

Cujus Authographum nullibi inveniri, temporum injuria deperditum, testis est, qui Goatemalensis Ecclesiæ monumenta in lucem commisit F. Raymundus Leal pag. 43. Nostri Historiam brevì conscribens, quam similiter fecerat Ægydius Gonzalez Davila in Theatro ejusdem Ecclesiæ pag. 153.

612 ILLMUS. D. D. F. BERNARDUS DE ALBURQUERQUE, Natione Hispanus, agnomen juxtà & incunabula ab Urbe insigni Comitatu notissimâ accepit, reticuitque nobiles, quoad vixit, Parentes, censu etiam minimè obscuros: nam Complutum, Academiam toto Orbe celebrem, ab ipsis studiorum caussâ dimissus, tandiu inibi altus est, quandiu humanioribus imbutus litteris, Philosophiam itidem optimè imbiberat & Theologiam. Virtutes interea non minori studio coluisse inde est, quòd egregiæ addictus humilitati solum mutaverit, seque in Salmanticam eo consilio transtulerit, ut ignotus latere posset, perindeque haberi ac litterarum inscius. S. Stephani Dominicanorum insigne Cœnobium adivit, Laicisque professione aggregari toto nisu curavit; ejus ut compos voti fieret Novitijs adscriptus & abjectis Laicorum ministerijs, charus omnibus indole & virtute pergebat, aliquibus doctrinam ejus subodorantibus, quòd lubèns de litteris colloquentes audiret, donec forte duobus coram eo Scholaribus in horto de Theologica difficultatę acriter contendentibus, vixque non iratis nimium & sibi infensis, eos conciliandi gratiâ allocutus, S. Thomæ eorundem Magistri mentem in eo puncto aliorumque sensus aperuit, tam ad rem scitè & appositè, ut mirati eruditionem hominis abditam, statim eam ad Conventus Priorem detulerint, qui subinde reluctantem prius, mox parentem obedientiæ Laicum, ab eo, quem delegerat, statu in Clericalem, resumpto tyrocinio, annuentibus Sodalibus omnibus, retulit.

613 Emissâ solenni professione instauratisque studijs, litteris unà ac christianis virtutibus incrementa dedit egregia, dignus qui Sacerdotio initiatus fuerit. Tum verò, optantibus Socijs pugilem ad Palæstram Minervæ traduci, Cathedrisque pręfigi moderandis, alia ipse omnia cogitans, in recèns detectum Novum Orbem florentemque in eo Sanjacobeam Provinciam migra-

gravit anno 1535 sequutus P. F. Dominicum de Betanzos, Clarissimum sanctitate virum, Sodalesque eodem insignes nomine, ut Torquemada scribit loco inferius laudando. Mexici constitutus, brevi Zaapotecanæ genti, multis dissitæ parasangis, apud Goaxacenses adhuc incultę, Minister destinatus, idiomate imbibendo tam incubuit diligenter atque feliciter, ut Christianam doctrinam eo usus scriptis tradiderit & concionibus, Indorum institutioni ex animo deditus, quos eximia charitate complectebatur, omnibusque Apostolici officijs viri erudiebat, fovebat, curabat.

614 Sunt Zaapotecanis contermini Mixcani, uti prępruptis & asperrimis montibus abditi, sic etiam injucundâ pronunciatuque stridenti linguâ, barbarâque consuetudine formidandi: & his etiam Parentem se exhibuit, mansuetudine & cæteris dilectionis ac benignitatis dotibus acceptissimum. Porro, multos in Apostolico munere postquam annos posuerat catechesi, prædicatione, sacramentorum administratione, exemploque austerissimæ vitæ Indos nuper ab idòlis abstractos in Christo Jesu generans & enutriens, Vicarius Cœnobij Antequerensis primas inter Goaxacensia tenentis, creatus est labente Majo, aut ineunte Junio 1547. Ex inde anno 1552 quo tempore idem Conventus in secundum Mexicanæ Provincię Prioratum fuerat evectus, Prior item fuit institutus, donec 9 Septembris anni sequentis Provincialis fuit renunciatus, quo ille functus est munere, insigni religiosę observantię zelo & emolumento, usque ad 20 Septembris 1556.

615 Interea loci, Antequerensi Ecclesiâ orbatâ Prælato, eidem pręficitur, Catholico Hispaniarum Rege Philippo II designante, & Pio IV anno 1559 ejus in Episcopum electionem probante & confirmante. Renuebat quidem infulas humillimus homo, præcipienti tamen Provinciali, sub censurisque, ut acquiesceret, comminanti, quamvis obluctari prudenter cæperit, eo quidem nomine, quòd nuncupatum obedientię votum ad istiusmodi extra Familiam onera substinenda Religiosos adigere non posse videatur, paruit tandem, atque ejus & Sodalium votis acquievit. Ne verò Ordini se & alterius arbitrio subduceret in Episcopali dignitate, Socium sibi petivit Fr. Petrum del Castillo, cui in Confessarium adlecto, volens lubensque tam demissè semper promptèque obtemperavit, quam in tyrocinio obsecundare & deinceps Superioribus suis consueverat.

616 Erat quidem egregiâ Religiosus ille virtute, praedurio-ri tamen genio, & ad frangendum se & illum aptissimo, cujus proinde disciplinâ Episcopus heroi-

 roi-

roicis planè obedientię, demissionis, patientiæ exemplis eminuit: nam sæpe inter prandium deficiente pane, frustulum illi Socius porrigebat, quo satis provisum esse monebat, oportereque ita compendium facere pro egregio quod cogitabant ac moliebantur opere: sæpe detrito habitu & lacerato, Episcopi ipsius sarciendo manibus, segmentum è veteri panno tribuebat, eandem occinens cantilenam, semper que & in minutissimis tergiversatus homo difficilis, nec nisi gravatè pecunias cæteraque concedens. Eo autem nomine isthæc Nostri patientiam durius vexabant, quòd ut largius subveniret egentibus, clam esset acturus, veritus Socij pedagogique increpationes. Nihilo tamen minus miseris stipem erogabat, qua destitutus, si quid promptum erat, habitum licèt majori pretio, libens tribuebat. Vivebat quidem ille parcissimè, & prętcr Socium duosque ephebos Indos & coquú, nullis familiaribus utebatur; atque hac perpetuo methodo adhibitâ, proventibus tenuissimis reservatis (erat enim angustissimo censu Goaxacensis Ecclesia eo tempore, nec in præsentiarum ditissima est) tandem aliquando Cœnobium extruxit à fundamentis pro sacris Virginibus, quod à Matre Dei & S. Catharina Senensi nuncupatum, Apostolicâ sibi commissâ authoritate amplissimis Bullis, condidit eximiâ totius Antequerensis Urbis gratulatione, seque cum utroque Clero supplicationem comitante, ad aras faciente, & Sanctimoniales religiosè instituente mense Januario anno 1576.

617 Fuerat quidem cunctis gratissimus, Indis autem in primis, qui se ab illo edoctos christianis sacris profitebantur, gestiebantque Parocho suo & Magistro in Pontificem ipsis, ab eo qui Catholicam moderatur Ecclesiam, dato. Quo in genere luculentissimum reverentiæ & gratitudinis Regia dedit fœmina testimonium, Magdalena nomine, legitima neptis Zaapotecani Regis, cujus in ditione florebat Regnum Teguantepeque, gentis multitudine opulentiâque insigne. Erat quidem Mulier egregijs præclara dotibus, cùm christianæ virtutis tum etiam prudentiæ & ingenij, tantaque ab avitis Regibus majestate, ut clientes fiduciarij ejus, coram ipsa transeunte, flecterent genua, in cujus vultum oculos advertere non auderent. Hæc ubi Episcopum, visitandi Provinciam ergo, intra sua consedisse pomæria scivit, primùm intimiores sibi gentisque nobiliores dimisit, ejus qui nomine faustum ac fælicem Pontifici suo adventum auspicarentur; mox ipsa amplissimo comitatu plusquam ducentis Proceribus stipata ac Dynastis, Cœnobium, apud quod ille hospitabatur, adivit, ad cujus januæ aulam multo

to ab Indis ornatu diſpoſitam, NoſterReligioſis,Hiſpanisque viris comitatus proceſſit, Principem fœminam excepturus. Genua hæc religioſiſſimè poſuit, nec aſſurgere prius voluit, quam pontificiam manum oſcularetur eximiæ pietatis indicijs, & chriſtiano ritu benè ipſi ille precaretur. Adhæc, paratum à famulis ſcabellum rejecit, tapete contenta ſuper pavimentum ſtrato; Epiſcopus tamen ſuum illi pulvinar, ut ſederet, apponi juſſit, quem ipſa honorem maximi fecit. Tum urbaniſſimis utrimque colloquijs Zaapotecanâ linguâ inſtitutis, Magdalenæ imperio præventi ejuſdē acceſſere ſervi complures, monilibus, aureisque & argenteis donarijs onuſti,exquiſitis plumis ac pellibus Leonum Tigridumque exuvijs arte concinnatis, idque genus muneribus magno pretio æſtimatis, quæ illa in obedientiæ & gratitudinis teſſeram offerebat Epiſcopo. Is verò magnificentiam gratificatus fœminæ & liberalitatem, pellibus aliquot ſibi ſumptis, quas mox donavit, cœtera ut in pauperes ditiſſima Mulier erogaret, familiari redundantique ſpiritu concione perſuaſit.

618 Adhæc, ipſe perinde quaſi Dominicanorum clauſtris teneretur, agebat, veſtitu, menſâ, obſervantiâque tam ad regulares leges exactâ, ut media etiam nocte ad recitandas Eccleſiaſticas preces ſurgeret, viſitationi quoq̃ue intentus Diœceſis, & in Oppidulis diverſatus, in quibus non nunquam lumen mutuaturus pro legendo Breviario, in focum ipſe ibat concubiâ nocte. Aſpera quæque pedes etiam aggrediebatur, ut Indorum aliorumque provideret ſaluti & incolumitati, nihilque niſi Deum irrequietâ in officio ſolicitudine cogitabat. Deniqueʼ vicennio Eccleſiâ ſua ſanctiſſimè gubernatâ, ſacramentis munitus, ad æternam quietem volavit 26 Julij 1579, ſepultus que in Antiquo Dominicanorum Conventu, qui hodie Soriani aut S. Pauli dicitur, inde anno 1609 in Monaſterium S. Catharinæ, quod ipſe conſtruxerat, tranſlatus, prope aram maximam fuit conſtitutus. Scripſit

Doctrinam chriſtianam, *ſeu de Catholicæ Fidei noſtræ myſterijs, & pro miniſtrandis ſanctis Sacramentis formulas, eorumque efectus idiomate Zaapotecano.* Inſigne,perutile,imò etiam pro Indorum Miniſtris neceſſarium Opus eo tempore, quo inculta adhuc erat difficillima lingua, quodque merito efferunt laudandi Hiſtoriographi.

Adjici ſcriptis ejus debent

Statuta & Conſtitutiones authoritate Apoſtolicâ SS. D. N. Gregorij XIII pro Monialibus Cœnobij ſui, mox dicti, *conditæ*, quarum meminit citandus Burgoa. Noſtri alteriusque ſcripti ejus meminerunt Illmûs Davila Padilla in Hiſtoria Provinciæ Mexicanæ S. Jacobi lib. 1. cap. 93. M. Burgoa in

in Historia Provinciæ Goaxacensis 2 part. à cap. 15 usque ad 18. Ægydius Gonzalez Davila in Theatro Ecclesiæ Goaxacensis p. 223 usque 226. Antonius de Leon Pinelo in Epitome Bibliothecæ Occidentalis tom. 2. col. 733. Torquemada in Monarchia Indica tom. 3. lib. 15 cap. 17. Episcopus Monopolitanus, & alij apud Scriptores Ordinis Prædic. tom. 2. ad annum 1579. pp. 251 252.

619 D. BERNARDUS ANTONIUS DE LEIVA, Natione, ut videtur, Mexicanus, ut minimum que Domicilio Angelopolitanus, Causarum Patronus, edidit vernaculo sermone

Dissertationem juridicam pro cujusdam Matrimonij, de cujus valore agebatur, nullitate ab Ecclesiastico Judice declaranda. Angelopoli, typis V. Michaelis de Arteaga. 1726 in fol. Extat tom. 3 Collect. Mendozianæ.

620 F. BERNARDUS DE ARRATIA, Natione & cunabulis Mexicanus, Ordinis S. Francisci alumnus, & Provinciæ S. Evangelij filius, ejusdem Pater aliquando tandem meritò evasit. Scholæ palæstram alacriter à teneris annis agressus, diu consectatus est. Lectoris Philosophiæ muneri per triennium incubuit, Cathedrasque Theologiæ totos annos 12 moderatus est & professus egregio inter viros Academicos nomine, demumque Emeriti laureâ exornatus. Adhæc Concionatoris ita frequentissimè onera subijt, ac si illi se professioni addixisset, doctè & eruditè hanc perinde ac scholasticam spartam adornans. Apostolici Notarij titulo insignis, & Censoris apud S. Inquisitionis Officium honore præclarus habetur. Provincialis electus Clarissimæ Provinciæ suæ, ejusdem ita regimen tenuit, ut & Regulari Observantiæ & litteris vigilaverit; qua defunctus Præfectura, alijs jussus insistere, ad Cœnobium de Xochimilco dictum in Mexiceo conditum Lacu, Guardianum agit in præsentiarum. Amicitiâ ut est nobis conjunctus & veteri Gymnasiorum consuetudine, quantum proprias refugiat laudes scimus, queis propterea supersedemus. Scripsit

Cursum Philosophicum ad mentem Subtilissimi Doctoris Scoti.

Tractationes Theologicas varias.

Sermones panegyricos & morales.

621 ILLMUS. D. D. BERNARDUS DE BALBUENA, Natione Hispanus, apud Valdepeñas Toletanæ Diœcesis Oppidum natus, à primis annis Mexicum petijt; in qua studijs excultus Humanitatis, Philosophiæ item atque Theologiæ, post diutinum nostrates inter Domicilium, Hispaniæ restituit sese. Quòd verò sumptus pro capessendâ Doctorali laureâ in Universitate Mexicanensi, cujus in Gymnasijs litteras imbiberat, egregiumque sibi

ſibi nomen paraverat, largiores eſſent, quam ut illi ſuppeterent, Serguntiæ Doctor Theologus inauguratus fuit, maximique habitus ab egregiâ doctrinâ. Latuit quidem Domicilium ſtudiumque Mexicanum hoc Noſtri & Ægydium Gonzalez Davila in Theatro Eccleſiæ Portudivitenſis & Nicolaum Antonium in Bibliotheca Hiſpaniæ nova, ipſum & ſcripta laudantes, quòd hæc inter *Magnalia Mexicea* retulerint quidem, at non legerint, hoc eſt, Librum eo titulo inſignem, Mexici editum à Bernardo anno 1604 typis Melchioris de Ocharte: in quo Libro conceptiſſimis verbis, quæ memoravimus ſtudia Mexici à ſe imbibita varijs ipſe modis expoſuit: nam fol. 31. col. 1. Collegio ſe, è Mexicanis uno, adſcriptum teſtatur: tum ſubjungit, quo tempore ſtudijs inibi vacaret, ter inſtituto certamine Poetico, lauream ſe & præmium tuliſſe: primùm quidem in Feſto Corporis Chriſti Domini coràm Mexicani Concilij Patribus & Epiſcopis ſeptem, Præſide Archiepiſcopo D. D. Petro Moya deContreras,ſolenniſſimè acto, & appoſitiſſimis numeris celebri; quos autem ipſe in Theatrum produxerat col. 2. ejuſdem folij totoque ſequenti uſque ad primam col. f. 33. affert. Mox ibidem & ſequenti col. aliud excribit Poema, quod ad Muſarum Judices ipſe detulit, ſpectaculorum cauſâ, quæ agebantur honoris ergo venienti Mexicano Pro-Regi Marchioni de Villamanrique. Tandem fol. 35 & ſequentibus, tertiam exponit poeſim Philippo II. Hiſpaniarum Regi dicatam, quòd virum Clariſſimum D. Ludovicum de Velaſco optatiſſimum Mexicanis Pro-Regem dediſſet. Ne tamen ſolem facibus adjuvemus, alijs oportet ſuperſedeamus, Lectores ad Librum remittentes, qui cum totus in aperiendis Mexicanę Urbis magnalibus ſit, hæc ita amœniſſimis carminibus ponit ob oculos, quaſi qui Mexicum, ut dicitur, in oculis ferret,quam attentiſſimè circumſpexerat, cuique grati ſignificationem animi cultiſſimo Opuſculo exhibuit. Longius forſan in hiſce morati videbimur cuiquam, niſi duo quæ ſubdimus advertenti: alterum, è re noſtra eſſe eximium nobis hominem vindicare, quem Collegia noſtra inſtituerint atque Gymnaſia: alterum, oportere ejus itidem gloriam aperire omnem,etiam à juventute hauſtâ, qui noſtratum palam aperiẽdis dotibus vigilavit. Nec porrò ipſe Oratoriâ minus floruit laude, quàm poeticà, omnigenaque ſpectabilis doctrinâ Eccleſiaſtem egit inſignem.

622 Abbatis egregio donatus munere 23 Aprilis 1608 Inſulę Jamaicæ Americæ noſtræ, duodecim in ea annos exegit.Mox 23 Januarij 1620 Epiſcopus Portudivitenſis electus, tertio dein anno ſuæ ſe ſtitit Eccleſiæ.

Ab eleemosynis erogatis, Evangelicâ prædicatione, gestisque alijs pastoralis muneris insigni fuit nomine. Anno 1624. Synodum coegit pro opportunâ Diœcesis institutione. Diœcesano Concilio apud Hispaniolam, quæ Insula S. Dominici nuncupatur, celebrato anno 1622 interfuit, ceu unus è Suffraganeis illius Metropolis atque Indiarum Primatis. Tandem, restitutus Ecclesiæ suæ, 11 Octobris 1627 ad plures abijt, ejusque in Cathedrali sua corpus requievit, quam bonorum suorum hæredem voluit, ea lege, ut Sacellum construeretur in ipsa S. Bernardi nomine pro SS. Eucharistiâ asservandâ, cujus ardens religione & amore, annuos redditus consignavit pro collucente perpetuò lampade oleo fovendâ. In hoc tandem Sacellum corpus ejus translatum jacet, atque inibi pro ejus anima, Dominica cujusque mensis prima ad aras fit cum cantu; solenniori autem ritu die S. Bernardo devota, sermone habito, pridieque festivè Vesperis decantatis.

Inter ejus inedita Opera recenseri debet

Synodus Diœcesana ab ipso habita anno 1624. in Ecclesia sua Portudivitensi, cujus testem habemus Joannem Diez de la Calle & Ægydium Gonzalez Davila locis infra indicandis: eritque, credimus, in Archivijs Ecclesiasticis Portudivitensibus Mss.

Scripserat fœlicissimo juxtà & cultissimo numine, Mexici agens, trinum, quod mox dabimus, Opus poeticum, ut è præfixis Amicorum hispanis carminibus postea transcribendis, fit palam, indicantibus præterea Authorem alijs insudasse elucubrationibus luce dignissimis. Primùm quidem edidit materno sermone

Magnalia Mexicea Baccalauri Bernardi de Balbuena nuncupata Illmô. & R. D. F. Garcia de Mendoza & Zuniga Archiepiscopo Mexicano &c. Cum privilegio, Mexici, apud Melchiorem Ocharte anno 1604 in octavo. Unde videtur æquivocum passus D. Nicolaus Antonius, Matritensibus typis editum scribens Opusculum eo anno, nisi forsan, quod dificile est, recusum fuerit. Est autem trimembre illud, solutâque & ligatâ numeris oratione constructum. Principio, pagg. 80 constantem Epistolam exhibet Doctori D. Antonio de Avila & Cadena, Archidiacono Novæ Galleciæ, eruditione redundantem & amœnitate pulcherrimâ cum hispani sermonis castitate elegantiâque, in Operis argumentum & nuncupationem collimanté. Dein, post introductionem à fol. 61 ad usque 219 integrum, decora Lirico carmine Mexicana decantat, ejus perbellè magnalia describens & ob oculos ponens. Denique à fol. 120 ad 140 pagg. implet 42 solutum numeris *Compendium Apologeticum in Poeseos laudem,* quod appositissimâ institu-

to suo eruditione fulget & vernat. Rarus est Liber, cujus vix tria vidimus exemplaria, è quibus unum penes nos esse nobis met gratulamur, optantes curantesque etiam, ut iteratis typis usui esse multis possit.

Scripsit quoque Mexici, edidit que Matriti Bucolicum opus decem Eclogis constans,

Aureum seculum in silvis Eriphiles. Matriti 1608 in octavo. Quod D. Nicolaus Antonius recenset, & nos hactenus fugit.

Bernardum, seu Victoriam ad Rocidam vallem heroico poemate decantatam. Mantuæ Carpentanorum, apud Didacum Flamenco 1624. in quarto, spisso volumine, quod in Bibliotheca vidimus Collegij Maximi Mexicani Societatis JESU. Et de hoc tradita à Nicolao Antonio crisis transcribenda nobis visa est, facturaque operæ pretium. Ita illa habet. *Quod quidem in angulis bibliopolarum delitescens, non sine quadam animi indignatione, laude dignis laboribus æqui, sæpe vidimus, lectum paucis auditumve. Cum sanè carminis majestate fere continuò exurgat, rerum adinventione ac varietate plurimum delectet, orationis perspicuitate & castitate nulli cedat: comparationum verò appositissimarum usu, descriptionum elegantiâ, Geographicæ Astronomicæque rei locorum pulcherrimâ tractatione, miraque exprimendi, fereque oculis subjiciendi, quod tam longe à conspectu est, virtute, mea quidem sententia nostros Poetas omnes (quod præfiscinè dictum) longo post se reliquat intervallo.* Hęc ille, qui, post pauca subjungit: *De eo Lupus Fœlix de Vega Carpio in sua Apollinis lauro sic olim canebat.*

Y siempre dulce tu memoria sea
Generoso Prelado,
Doctissimò Bernardo de Balbuena.
Tenias tu el cayado
De Puertorico quãdo el ciego Enrique,
Olandes rebelado,
Robò tu Libreria;
Pero tu ingenio no, que no podia,
Aunque las fuerzas del olvido aplique.
Què bien cãtaste al Español Bernardo!
Què bien al siglo de oro!
Tu fuiste su Prelado y su tesoro:
Y tesoro tan rico en Puertorico,
Que nunca Puertorico fue tan rico.

His annectere lubet quos supra promissimus Mexicanis magnalibus à Mexicanis item vatibus præfixos in Bernardi laudem & Operum numeros. Licenciatus Michael de Zaldierna hunc in modum occinuit.

Espiritu gentil, luz de la tierra,
Sol del Parnaso, lustre de su choro,
no seas mas avariento del tesoro,
q̃ esse gallardo entendimiento encierra.
Ya Erifile fuè à España, descencierra
de esse tu Potosi de venas de oro
el valiente Bernardo, y con sonoro
verso el valor de su Española guerra.
No te quedes en sola esta Grandeza,
danos tu universal Cosmographia
de antiguedades y primores llena.

 Del

Del Divino Christiados la alteza
de Laura, el arte nuevo de Poesia,
y sepa el mundo ya quien es Balbuena.

Nec piget Franciscum de Balbuena Estrada Bernardi fratrem, ejus in encomium ludentem excipere.

Llegò aqui un Hidalgo un dia
Persona grave y anciana,
Que por gran cosa traìa
Un librillo que decia:
La Grandeza Mexicana.
Vino à mi de mano en mano,
Y en oyendo el cortesano
Estilo, dixe, Parad,
Y decidme: Esta deidad
Es de Homero, ò de mi Hermano?
No sè, màs de polo à polo
Dixo es bien que esta voz suene,
Que es de mi Patria el Apolo,
Y ella mayor por èl solo,
Que por quanto sin èl tiene.
Fue dicho sabio y profundo,
Y Yo en lo mismo me fundo,
Para solo me preciar
De quien hà podido honrar
La mejor Ciudad del mundo.

Alijs supersedemus, ne multi simus. Ejus meminere, præter citatos Ægydium Gonzalez Davila & Nicolaum Antonium, Antonius de Leon Pinelo in Epit. Bibliothecę Occid. tom. 2. col. 695. Joannes Diez de la Calle in Monumentis indicis fol. 19. col. 1. fol. 23. col. 2. Carolus de Siguenza in Triumpho Partenico fol. 4. col. 2.

623 D. Bernardus (vulgo Bernal) Diaz del Castillo, Natione Hispanus, Methymnam Vacceorum Patriam sortitus, non uno duntaxat nomine illustriorem reddidit, ense juxtà calamo que notissimus, quibus usus est instrumentis pro Mexicea Expugnatione juxtà & Historia. Mexicanum, si quis ullus, Domicilium, incredibili labore, pleno que aleæ, ac multo conflictu quæsivit, ad extremumque tenuit. Unus is fuit è fortissimis inclyti Ferdinandi Cortezij assectis, huic qui statim ab initâ Novæ Hispaniæ expeditione ad finem usque firmius hæsère. Priusquam verò incomparabilis Bellidux Ferdinandus hanc aggrederetur spartam anno 1519; Bernardus semel anno 1517 Franciscum Hernandez de Cordova Clasis insecutus Præfectum, iterumque anno 1518 Joannem de Grijalva Ducem comitatus, in Novam Hispaniam conquirendam enavigaverat. Sub Cortezij Signis, multis, Hercle, militaribus actis inclaruit, quibus egregium animi robur prodidit, immortalique Hispanorum nomini, ac, quod prius est, Catholicæ Ecclesiæ incremento & gloriæ consuluit. Undeviginti supra centum pugnis bellicisque concertationibus, plerisque accerrimè utrinque initis Indos inter & Hispanos, interfuit, vulneribus non semel acceptis, efussoque cruore, & immensis exantlatis laboribus, quos

& ipse scriptis suis tradidit, & testibus instrumentisque productis apud Regium Consilium firmavit, ac insuper Clarissimi viri D. Ferdinandus Cortezius & D. Antonius de Mendoza, Mexiceus Pro-Rex, suis ad Carolum V datis Epistolis confirmarunt, Cæsarque ipse benemeritissimo militi, rureque jam donato, honoribus & bonis voluit provisum iri.

624 Sedem suam apud inclytam GoatemalensemEquitum Urbem tandem defixit, ejus inter adscriptus Rectores præclaros, ubi etiam postremam in senectute bona diem vixit. Historiam Expugnationis Novæ Hispaniæ adornavit, crasâ quidem Minervâ, sed proprio Marte, nullis certè calamistris fucatam, aut cerussâ verborum comptam, stylo licèt horrido, militem neutiquam dedecente, cujus pertractandis armis assueti digiti, Tractatus Commentariaque ferreo stylo dederint, mirum non esse debet. Porro quanquam ipsum criminentur non nulli, hosque inter cultissimus Historiographus D. Antonius de Solis, ejusdem argumento Mexicanæ Oppugnationis intentus; è re nostra est paucis ejus agere partes, absolutionemque procurare. Quòd enim de sua non rarò sorte conquestus, Ducem unà Clarissimum Cortezium insimulet, cujus cæterà gloriæ & nomini consulit: Quòd propriam sepe laudem affectet, decusque requirat: Quòd similes in Libro suo nævos viri Critici offendant; crimina sunt facilè homini condonanda militiam secuto, qui que divitijs aucupandis & famæ vitam in mille sæpius pericula sanguinemque conjecerit, nil tamen antiquius habuerit, quam pro Deo ejusque Catholica Fide augendâ in vatissimis regionibus aleam subire. Imò grates sunt illi ex animo habendæ agendæ que plures, quòd incredibilem Hispanorum audaciam, atque opus post hominum memoriam, si quis ullum, insigne & mirandum, minutatim scripserit, actis que lucem multis dederit, queis interfuit, cæteroquin è memoria abolendis, vel in ancipiti semper mansuris. Scripsit itaque sermone materno

Veram Historiam Expugnationis Hispaniæ Novæ. Cujus authographum penes publica Urbis Goatemalensis tabullaria asservari ab Amicis inibi degentibus novimus. Absolutum fuisse Opus 27 Februarij anno 1568 Author ipse scripsit in Proœmio, in quo errata se correpturum pollicetur coramque daturum, quæ Franciscus Lopez de Gomara, Doctor Illescas, & Illmûs Paulus Jovius in suis ad Indiarum res pertinentibus Scriptis incurrerant rumoribus delusi & corruptis narrationibus, quibus Historiam suam Noster opponit de rebus majorem partem à se visis, & acceptis ab ijs qui etiam oculis usurpave-

paverant. Apographum in Hispaniá dimissum, è Bibliotheca eruditissimi Viri Regijque Consiliarij D. Laurentij Ramirez de Prado erutum, typis commisit M. F. Alphonsus Remon Ord. B. V. M. de Mercede Chronograpus generalis. Mantuę Carpentanorum ex Typographia Regni anno 1632 in fol. Cujus Operis meminere & Authoris D. Nicolaus Antonius in Bibliot. Hispaniæ nova tom. 1 pag. 175. D. Antonius de Leon Pinelo in Epit. Bibliot. Occid. tom. 2. col. 604. Ubi querelæ memor institutæ à D. Francisco Antonio de Fuentes & Guzman tertio Authoris Nepote, in Proœmio Historiæ Goatemalensis Mss, de adulterato typis Bernardi sui Opere, cum authographo, quod penes se habebat, collato; ei satisfacit, quòd cum rerum summam & capita variationes non tangant, parvi ducendæ sunt, forsanque ab Authore ipso in Libri transcriptione consultò factæ. Easdem querelas habet P. F. Franciscus Vazquez in Chron. Provinciæ Goatemalensis Franciscanorum tom. 1. lib. 1. cap. 2. præcipue pag. 12.

625 D. BERNARDUS DE FRIAS, Natione, ut credimus, Mexicanus, incerta nobis Patria, Goadalaxarensis Ecclesiæ, quæ Cathedralis est Regni Novæ Galleciæ Canonicus, edidit vernaculè

Panegyrim de S. Michaele Archangelo ejusdem Regni Patrono. Mexici, typis Joannis Ruiz 1667 in quarto.

626 F. BERNARDUS DE LIZANA, Natione Hispanus, Ocanię Villa Regni Toletani ortus, in patrio Conventu Franciscanorum Provinciæ Castellanæ Seraphici Parentis instituta sectatus, in Jucatanensem ejusdem Ordinis Familiam anno 1606 transivit. Indorum Regionis illius Linguam penitissimè calluit, cujus pro inde Magisterium multis annis egregio discipulorum profectu & commodo gentis exercuit. Hispano sermone doctè concionabatur atque delucidè pro Hispanorum eruditione. Quòd verò nil antiquius haberet, quam ut Indi in sacris & devotis proficerent, ijs auditoribus frequentissimè è superiori loco dicebat, & ut Religiosi Parochi, pro suo quisque munere, illorum institutioni vigilarent, & christianam doctrinam palam exponerent, hortabatur urgebatque Dei judicis horrore, siqui forent, segnes percellens, & officij admonens: quo nomine dicere solebat sperare se Dei misericordiâ fovendum. Humanitate insignis & mansuetudine, acceptissimus erat omnibus, Sodalesque inter Præfecturis inclaruit, futurus, ut dicebatur, in comitijs proximè cogendis Provincialis, ni quæ ipsum intercepsit mors, prohibuisset. Ægritudinem patienter admodú toleravit, rogabatque invisentes eum

rum Socios, ut pijs colloquijs moriturum foverent, ad virtutum exercitia omnemque pietatem stimulantes. Sacramentis devotissimè sumptis, horâ, ut visum fuit, exitus prænuntiatâ, postremam diem egit Emeritæ Jucatanensium 2 Aprilis 1631, ætatis supra 50, domicilij verò sui in Jucatanensi Provincia 25. Scripsit hispanâ linguâ

Historiam Provinciæ Jucatanensis, ac ejus spiritualem Expugnationem, unà cum Devotionario Dominæ nostræ de Izimal. Vallisoleti anno 1633 in octavo. Quam editionem se vidisse testatur P. F. Joannes à S. Antonio in Bibliotheca Franciscana tom. 1 pag. 217, eamdemque affert D. Nicolaus Antonius tom. 1 pag. 176. Extat in Bibliotheca Collegij Maximi Mexicani Soc. JESU.

Authoris & Operis meminere Wadingus & Coronelli tom. 4. Bibliothecę universalis n. 3763. Alva in Militia col. 196, & F. Didacus Lopez Cogolludo in Historia Jucatanensi lib. 10 cap. 20 pag. 62.

627 P. BERNARDUS DE MERCADO, Natione Mexicanus, Patria Goadalaxarensis, Professione Societatis JESU, Humanioribus litteris eruditus, Philosophiâque doctus atque Theologiâ, Dei honoris & animarum zelo ductus Missiones petivit vastissimæ Cinaloensis regionis, apud quas ut futuris etiam Sodalibus prodesset & incolis, scripsit

Artem Linguæ Mexicanæ dialecto qua Cinaloensis oræ maritimæ Indi utuntur, quam typis paratam habere à gravissimis viris accepimus.

628 FR. BERNARDUS DE RIBAS, Natione Hispanus, Patria Burgensis, Seraphici Parentis Regulam nuncupatis votis sequutus, è Provincia, quæ nos latet, Hispaniç, in Jucatanensem ejusdem Ordinis contulit se, cui etiam præfuit, postquam Emeriti Lectoris tulerat lauream, Commissariumque egerat pro visitandâ Goatemalensi Franciscanâ Familiâ. Publici juris fecit conciones duas, alteram

De Magno Ecclesiæ Doctore S. Augustino. Mexici, ex Typographia V. Francisci Rodriguez Lupercio 1699 in quarto.

Alteram *De SS. V. Mariæ transfixione seu doloribus.* Mexici, eisdem typis & anno.

Tractationes Theologicas ejus & Philosophicas, cæterasque Conciones hîc addant Sodales Authoris ambibus.

629 D. BERNARDUS DE RIOFRIO, Natione Mexicanus, cujus in ancipiti nobis est Patria, Mexiceæ Universitatis alumnus studijs apprimè excultus Humanioribus, doctusque Philosophicis, Juris professionem utriusque fecit tanto progressu, ut Licentiæ gradum in Canonica Facultate detulerit, Causidicusque apud Regium Senatum, Auditorum suffragijs Judicum, renuncia-

tiatus fuerit. Cathedris Academicis & Ecclesiarum Canonicatibus petendis incubuit, donec in Vallisoletana Michoacanensium Ecclesia, prelectionibus idque genus statutis alijs periculis, Doctoralem, ut dicitur, pro Ecclesiæ afferendis juribus tenuit. Strenuè functus munere, præter scripta eò collimantia, operam etiam posuit in Mexicanam Curiam à Capitulo suo Procurator Generalis dimissus. Dein auctus dignitate, à Thesauris fuit ejusdem Ecclesiæ, cujus in gremio denatus, nomen post se bonum reliquit, & è multis scriptis suis, quæ subnectimus edidit. Latino sermone

Centonicum Virgilianum Monimentum mirabilis Apparitionis Purissimæ Virginis Mariæ de Guadalupe extramuros Civitatis Mexicanæ. Mexici, ex Calcographia Francisci Rodriguez Lupercio anno 1680 in folio.

Est quidem Centonicum hoc monimentum, amœnissimū Poema è Latinorum Principis vatum segmentis ingeniosè consutum, describendi ergo floridissimam Deiparentis Imaginem jam inde ab anno 1531 Mexici repentè apparentem coram Venerabili Viro Illmô D. D. Joanne de Zumarraga, primo Episcopo Archiepiscopoque Mexiceo, quæ videlicet cœlestis Imago mirè in pallio Indi depicta fuit, quod è collo pendebat, in quodque flores ipse vividos & pulchros injecerat, quos, jubente Dei Matre ipsum allocuta, enatos in asperrimo monte, illis alijsve ferendis assueto nunquam, sæviente hyeme mense Decembri, faustè collegerat, Episcopo oblaturus in signum apparentis Deigenitricis; Templumque ut inibi montis extrueretur dicentis. Hercle, uti Noster in hoc Opusculo prodigio similem describit Imaginem, quæ non sine jugi miraculo per duo secula annosque unum supra viginti illæsa persistit, nullam temporis injuriam experta, telę licèt innixa admodum debili, corruptionique obnoxiæ, atque in solo saxis etiam & metallis corrodendis aptissimo; ita pietatis suæ adversus Dei Matrem, eruditionis & ingenij iconem expressit, quâ edax rerum nequeat abolere vetustas.

Hispano sermone edidit

Pro V. Decano & Capitulo Vallisoletanæ Ecclesiæ Michoacanensium, ceu geminæ hospitalis domus Patrono, defensionem. Mexici, 1688 tacito typographi nomine, in folio. Extat tom. 41. Collectionis Mendozianæ.

Dissertationem pro eadem Ecclesia in negotio ejusdem fabricæ materialis, in cujus favorem data Regia schedula extendenda magis, quam restringenda defenditur. Mexici, eodem anno 1688 in fol. Habetur ab eodem Mendoza inter scripta non dum cum alijs compaginata.

630 D. Bernardus Romero, Natione Mexicanus & Patria,

tria, post datam strenuè à primis annis operam Latinitati hauriendæ & Philosophiæ, Gymnasia Academię & Collegij Seminarij à S. Paulo & Purissima Conceptione frequentans, lauream adeptus, totum se ad utrumque Jus addiscendum tradidit fælici successu, ut subinde Doctoratus in Canonica Facultate pileum detulerit, atque egregiâ comparatus doctrinâ pro regendis Cathedris egerit candidatum. Vespertinę Imperialium Legum ad quadriennium prędectus, mox Clementinarum provinciam interpretandarum suscepit, quam tandiu excoluit, donec Canonicatum Doctoralem in Ecclesiâ Vallisoletana Michoacanensium, contendentibus doctis alijs viris, obtinuit. Sacerdotio defungens eo, Vicarius Generalis Diœcesis ejusdem institutus est ab Illmô. D. D. D. Martino de Elizacoechea, Episcopo Michoacanensi, quod diu munus peregit juxtà que Doctoralis officia, suetus jam diu multis incumbere; nam his quæ diximus, Causidici partes adjunxit à Senatoribus Regijs probati, pro ea quæ decet Ecclesiasticos viros moderatione; & prædicandi verbum Dei potestate sibi factâ usus, animatum commodis vigilavit, in Mexiceis suburbijs christiana pauperibus documenta ministrans. Demum, piè traductam vitam, sacris expiatus omnibus conclussit Mexici, quò valetudinis gratiâ curandæ paulo antea devenerat, hoc anno 1752. Funus ejus Illmûm. Capitulum Metropolitanum nostrum, qua Sodales suos pompâ prosequitur, accuravit in Templo nostro, unde mox in Oratorianum elatus pro eximia adversus Sanctum Parentem Philippum religione ibidem quiescit. Scripsit quæ ex Academicis Libris habemus

Commentaria in Titulum de vulgari & pupillari substitutione.

Commentaria in Titulum de Testibus.

Allegationes præterea *hispano sermone varias in punctis juris*, quas penes suos esse credimus Mss.

631 D. BERNARDUS DE YUN IBARBIA, Natione Hispanus, in Villa Legorreta Provinciæ Guipuscoanæ nobilibus admodum parentibus ortus, Domicilio & studijs Mexicanus, vir fuit in paucis à virtute & scientiâ Clarissimus. Parentem comitatus Regiæ Procurationis nomine in Portum à Vera-Cruce dictum venientem, præsidiarios inter milites ipse obtemperaturus genitori, qui genio erat martiali, ducemque egeratRegiæ triremis, adscriptus fuit. Quadriennio transacto Mexicum deductus, Ecclesiastico, quem in votis habuerat statui, idoneum ut se redderet, Grammaticam avidissime hausit, qua imbutus, nomen dedit Universitati & Collegio Maximo Soc. JESU pro imbibendâ Philosophiâ, cujus laureâ donatus

tus fuit, atque id consequutus honoris, quod decerni in Scholis nostris solet tribus reliquos inter Socios studij eminentioribus. Mox Theologiæ non minorem operam dedit, in qua Academico ritu Baccalaureus formatus, Doctoratui proludens, huic propterea subduxit se, quòd, Sacerdotio initiatus, jamque audiendis confessionibus sacris, & concionandi muneri cum laude deditus, instituto candidatorum pro regendis Parçcijs concursu, eam perpetuo titulo jussus fuerit curare, quæ procul disita à Mexico, Argentifodinarium de Sultepec dicitur, estque nomine insignis.

632 Ubi eò se contulit, totum se parochiali mancipavit officio, quod 39 annos ibi Mexici que sanctè ad obitum usque fuit prosecutus. Perantiqua est quidem illa Paræcia, jam inde à temporibus primi Archiepiscopi Mexicani V. D. F. Joannis de Zumarraga instituta, cujus subinde Templum vetustate collabens, statim non sarcire modò curavit, sed instaurare penitus firmissimis muris & contignatione, insuperque sacris paramentis, argenteis vasis, omnique supellectili Ecclesiasticâ paulatim instruere, donec fere ad magnificentiam & pompam ornavit. Erat sanè egregia religione, quam ut in Hispanos, Indos, cæterosque paræcos transfunderet, nullis laboris pepercit ac sumptibus, Ecclesias Ædiculasque sacras omnes 33 numero in ditione sua, quę latè porrigitur, pridem extructas, Altaribus, Imaginibus, ornamentisque omnibus instruens, totas que undecim de novo Ecclesias ædificans, reliquas sarciens, & cuique opportunè ad divinum providens cultum. De populorum eruditione solicitus, christianam doctrinam pueris, coram frequentissimâ multitudine, instillabat. Præceptores singulis in Pagis, pro ut Regijs cautum est schedulis, deligebat; adultis è superiori loco dicebat, paratis multo studio & scriptis concionibus, singulis dominicis diebus.

633 Insuper, pluries pro componendis moribus, qua erat in dicendo vi & energiâ, prædicabat, Orationibus etiam panegyricis Deum, Purissimam Virginem, Cœlitesque concelebrans, atque unà auditores ad virtutes sectandas, declinandaque vitia vehementer adhortans. Ad aras quotidie faciebat devotissimè, & exactissimè ad sacros ritus, quorum, etiam minutorum, praxi reverentięque invigilabat. Sacramenta ut administraret omnia promptissimus erat noctu diuque, multis sæpe dissita parasangis Oppida petens, atque aspera complura itinerum temporumque incommoda devorans. Sodalitates pridem erectas fovit, & Indulgentias pro eis adscriptis aperuit, in primis autem à Rosario nuncupatam, quæ innu-

meris Pontificũ beneficijs ſcatet. Judicis Eccleſiaſtici munere unà functus cum Parochiali, offendicula quæque avertere ſatagebat, comitate potius & manſuetudine uſus quam ſtrepitu Fori.

634 Hanc ut annis 19 provinciam obierat, Mexicum evocatus ab Illmô. Præſule D. D. F. Joſepho de Lanciego & Eguilaz, cui propterea cordi erat, quòd ejus conſcius eſſet doctrinæ & virtutis zelique in Parochiali officio; à S. Catharina nuncupatæ Eccleſiæ, quę intra Mexicea pomæria eſt, præficitur; quam ipſe non ſecus curavit ac Sultepequenſem inſtruxerat. Nã ſolo æquatum antiquum, jacta que pro magnifico Templo fundamenta invenit, queis toto niſu muros ſuperſtruxit, Sacrarium idque genus alia aggreſſus eſt, unàque ſuppellectilem adornare, pueros, ſtatutis diebus, catecheſi inſtruere, concionari Dominica quaque, quadragenarij jejunij tempore ferventius è Pulpito dicere, omnibusque omnia ovibus ſuis fieri, præter Deum & commiſſum ſibi miniſterium alia faſtidiens. Hinc, reluctantem licèt atque mærentem, ut oculati teſtes ſumus, Capitulum Mexicanum, Sede-Vacante, in Parochiam, quæ Primariæ vix concedit, S. Michaelis promovet, recèns ædificatam, ornarique multo apparatu cœptam. Nec ſanè paræcis gratius quidquam accidit & jucundius, gratulantibus ſibi nactis hominem Sanctum eorum ſaluti invigilaturum.

635 Nihilo ipſe ſibi diſſimilis, adyta pulcherrimis multo ſumptu picturis ornavit utrimque, Sacrarium pariter inſtruxit, Sacellum pro Euchariſtiâ ſervandâ Baptiſteriumque appoſitis imaginibus ſacris, eruditè juxtà que piè ob oculos intuentium ponentibus ea quę peragi myſteria in ſacris his locis conſueſcunt. Catecheſim, conciones, cæteros que ſermones de more ſuo prętermiſit nunquam. Confeſſiones ut exciperet, ſive in Eccleſia ſua, ſive in ædibus languentium, promptiſſimus quamquam ſemper fuiſſet, nunquam tamen, aut exactius, aut laborioſius huic oneri incubuit, quam ſęviente Mexici lue annis 1736 & 1737, quæ innumeris propemodum Indis, Hiſpanis, cæteriſque exitialis fuit & mortifera. Ordinarijs Coadjutoribus, quos abundè perpetuò habuerat, longè plures ea tempeſtate accerſivit infirmis ſacramenta miniſtraturos, quibus diu noctuque diſcurrentibus, haud propterea longam ipſe quietem ſibi captabat, imò nocturnum tempus, alij ut paululum cubarent, ſibi delegerat expiaturo ægrotas animas, ſacra ſynaxi, & poſtremâ unctione recreaturo.

636 Adhæc, nominatim vocatus à multis, renuentibus apud alios Sacerdotes vulnera aperire animi, morem gerebat, humaniſ-

ſimè prælongis aures confeſſionibus commodans, atque implexos exolvens nodos, quos ad decennium, viſcennium, & longius etiam tempus protracta pœnitentia, aut irrito conatu petita abſolutio texuerat: illo interim gratulante ſibi ſuam ſortem proximos in majori cauſa juvandi, nunquamque alacrior atque vegetior, quam ubi ęgrotam 45 annis animam, nulla toto eo tempore, aut, quod deterius eſt, improbè factâ confeſſione ſacrâ, patientiſſimè juxtà & ſcitiſſimè auditam, vitæ reſtituit. Valetudinario intra Parochię fines ſuę gemino conſtructo, opportunè de ſacris providit: Cæmeteria pro humandis cadaveribus longè diſſita benedixit, in quæ efferri non fatigatione tantùm, ſed ſumptu etiam erogato ſategit: Supplicationes inſtituit & novendialia ſacra multa religione & pietate, quam ut & paræci diſcerent, fervidas è ſuperiori loco conciones habuit, illos ad pœnitentiam, eleemoſynam, omnemque virtutem hortatus. Quæ omnia obijſſe hominem ſeptuagenario longè majorem, totque defatigationibus & ſtudijs attritum, ejus robur ſpiritus & eximiam in gerendo munere diligentiam unàque charitatem palàm exponit. Magno ſemper fuit nomine à dicendi peritiâ, doctrinâque omni Theologicâ: nec minus ipſi peperit decus Eccleſiaſtico digniſſima vita, qua moratis quibusque ædificationi erat, habebaturque ceu Clerici exemplar & Parochi.

637 Humillimus interim ipſe ab omni faſtu alienus & captandâ gloriolâ, Dei unius quærebat honorem, ſaluti animarum inhiabat, pauperibus conſulebat, ijs in primis qui litteris operam dabant, quorum domi ſuæ dixeris habuiſſe Collegium, ſex octove in eam traductis & alitis. Eximiâ in Divos pietate, ſacram ſingulari amore Familiam proſequebatur, aliosque pręterea Cœlicolas, Joannem Baptiſtam, Catharinam Martyrem, Michaelem Archangelum, Bernardum, Ignatium de Loiola & Philippum Nerium, Jeſuitis Oratorianisque Patribus addictiſſimus. Porrò tam erat ille exemplis conſpicuus, ut P. Alexander Romanus Societatis JESU Provincię Mexicanæ Præpoſitus, vir egregius, dicere haud dubitaverit, mirum ſibi futurum neutiquam, ſi Bernardo moriente, ſua æs campanum ſponte ſonaret, viri ſanctitatem indicaturum. Quamquam verò obmutuerit illud, mota repente terra, animam illo agente, viſa eſt pretioſam hominis mortem indicere, ut in Eccleſiaſticis tabulis legimus eveniſſe in obitu S. Paulini Nolani Epiſcopi. Noſter morbo apoplexiæ ſimili correptus, exceſſit die 26 Junij 1739, ætatis 76, & proxima die elatus fuit in Parochiam ſuam, tam inſigni Cleri

ri frequentiâ funus Ecclesiastico ritu agentis, vix ut similis sperari possit nisi in Episcopi justis. Procurarunt illud Cathedralis Ecclesiæ Parochi Sodalitatis gratiâ & obsequij, in primisque D. D. Joannes Josephus de la Mota eorum antiquior, qui ultrò se obtulit officio peragendo, concurrentibus multis è religiosis Familijs viris, nobilibus, & populi confertissimâ multitudine, quibus Bernardus pergratus erat omnibus & verendus egregiæ potissimum virtutis nomine. Ejus nos consuetudine usi familiarissimè, à quo lustricum nomen accepimus de licentiâ Metropolitani Curionis; in postremis tabulis hæredes instituti, comparatum æs è divendita Bibliotheca sua, in qua, ut deliciæ sic etiam thesauri ipsi erant omnes, ornatui Ecclesiæ, quam extremis annis rexerat, S. Michaelis addiximus, elucubrationibus proprio ejus charactere cunctis penes nos reservatis, quarum propterea indicem teximus accuratum. Edidit idiomate hispano unicum

Sermonem Eucharisticum pro insignibus à Catholico Rege nostro Philippo V reportatis victorijs habitum in Parochia Sultepequensi. Mexici typis H. Joannis Josephi Guillena Carrascoso 1711 in quarto. Extat tom. 24 Collect. nostræ.

Scripsit verò tomos 21. quorum alij Expositionem Doctrinæ Christianæ multis doctis & eruditis concionibus exhibent: alij plures sacros Panegyricos continent; cœteri, Sermones pro instruendis moribus, multâ omnes doctrinâ referti, & ad christianæ pręcepta oratorię formati hispano sermone complectuntur. Ita illi habent.

Expositio Symboli Apostolorum Tomis 2.

Expositio septem Ecclesiæ Sacramentorum Tomis 2.

Expositio decem Præceptorum Decalogi Tom. 1.

Sermonum in Festis Beatissimæ Trinitatis & Christi Domini Tomi 2.

Sermonum de SS. Eucharistiæ Sacramento Tom. 1.

Sermonum de Sanctis Tom. 3.

Sermonum de varijs argumentis Tom. 1.

Sermonum Quadragesimalium Tom. 4.

Sermonum de patientibus expiatorium ignem animabus Tom. 1.

Concionum variarum Tom. 3.

Meminit ejus multa cum laude D. Caietanus de Cabrera in Gentilitijs Mexicanensibus, seu de Guadalupana Deiparentis Imagine tom. in fol. â n. 476 ad 479 inclusive plura ex his quæ scripsimus bono in lumine collocans.

638 D. Blasius de Arteaga, Natione Mexicanus & Patria, è nobili Domo progenitus, unus nobis pro tota Grammaticâ addiscendâ Præceptor fuit, quem ad nostras quotidie ædes, ceu ad litterarium ludum, humanis-

nissimè venientem audivimus, & tenerrimè ex corde dileximus. Presbyter fuit egregiâ pietate conspicuus. Latinitatem hauserat Philosophiamque à Magistris Societatis JESU in Collegio Maximo Mexicano; Theologiam & laureas in Academia nostra retulerat. Instituto juxtà Tridentini Decreta Concilij Seminario Metropolitanæ Ecclesiæ Collegio primos inter Grammaticæ Professores accitus, instituendæ juventuti strenuam multis annis operam dedit, matutinis vespertinisque lectionibus quotidianis incûbens. Quidquid ipsi reliquum erat temporis piacularibus excipiendis confessionibus in Cathedrali Ecclesia & in Sanctimonialium Monasterijs pro Dei gloria & salute animarum ultrò ponebat. A Gymnasijs translatus regendis ad Gynęcei Præfecturam, quam ei superno illustratus lumine prænunciarat vir Clarissimus, de quo scripturi sumus in loco, P. Dominicus Perez de Barcia, Collegium Bethlemiticum à S. Michaele dictum, ad mortem usque rexit. Ad aras quotidie faciebat, fœminarum confessiones sacras plurium audiebat ex ijs quę claustrum inhabitant plusquam 200 numero, omniumque spiritualibus ac temporalibus commodis vigilabat, paternâ eis providens charitate. Ut successores sibi in munere Socium haberent, gravissimumque onus ipse levaret, Sacerdotij census proprio ære instituendos à morte reliquit Præsbytero destinatos alendo, qui auxilio esset Rectori Collegij, jure Patronatus futuro penes Prępositum ac Patres Congregationi S. Philippi Nerij, quibus addictissimus fuerat, quorumque in Ecclesia sepultus requiescit. Obijt in Domino die 15 Januarij 1736. Scripsit.

Animadversiones pro Latinâ Sintaxi callendâ, quibus, manu nostra transcriptis, usi sumus Latinitatis tyrocinium agentes. Meminit ejus P. Julianus Gutierez Davila in Monum. Hist. Congregationis Oratorij Mexicanensis p. 1. n. marg. 573.

639 F. Blasius Morales, Natione Mexicanus, Patria Goatemalensis, Provinciæ inibi florentis Observantiæ S. Francisci sub SS. JESU Nomine filius, vir fuit ne dum omni instructus Theologiâ, sed verò etiam in utroque Jure valdè eruditus, juxtàque pius, uti ex scriptis ejus ineditis conjectu est pronum. Sunt illa quidem sequentia.

In varios Canonici & Civilis juris titulos animadversiones.

De Theologiâ Dogmaticâ.

De Immaculatâ Deiparentis Virginis Conceptione.

Quæ tria Opuscula spisso uno volumine custodiuntur in Bibliot. Primarij Cœnob. Franciscanorum de Goatemala; in qua itidem habetur ejusdem Authoris Liber alter ad Scholasticam Facultatem spectans.

De

De Divinis Personis.

Ut author nobis est P. Arochena in de Scriptoribus ejusdem Provinciæ Sillabo n. 4 Articuli eorum qui Latino idiomate elucubrationes suas adornarunt.

640 Fr. Blasius de Pulgar, Natione Hispanus, Provinciæ S. Evangelij Regularis Observantiæ Seraphici Parentis alumnus, in quam Emeriti Lectoris Sacræ Theologiæ titulo donatus, ab admodum R. P. F. Antonio Cardona Commissario Indiarum generali, postmodum Illmô. Archiepiscopo Valentino, dimissus, Primariam rexit Cathedram Mexicei Cœnobij, juxtàque sacro addictus sugestui, multam à sapientissimis viris retulit laudem: Hos inter P. Joannes de Goicochea Societatis JESU Theologus, & in Oratoria Facultate Magister percelebris, in Censura præfixa concionibus post Blasij funus in lucem eductis, ipsas cæterasque authoris plurimi facit, testatus, dignissimas esse hominis qui prophanos unà sacrosque Oratores imitatus fuerit graviores, nec arte minus esse conspicuas, quam argumentorum pondere, rerumque & sententiarum ubertate, in Dei & Sanctorum gloriam, auditorumque profectum tendentes aptissimasque. Præter hæc Apostolicam hominis, fatis jam defuncti, vitam multis commendat, Deo chari, proximorumque bono dediti. A Mexiceis Fidei Judicibus Censor delectus fuit, & à Provinciæ Superioribus Primarijs Conventibus Guardianus datus, Diffinitoresque inter scriptus. Obijsse desinente seculi hujus anno 9 vel ineunte 10 ex memoratâ Censurâ colligimus, cum alijs, & Operis postremo recensendi loco, nuncupatoria ac procemio, vivente adhuc Authorè anno 9 adornatis. Edidit hispano sermone

Orationem Pagyricam & Declamationem Funebrem in Exequijs actis in Conventu S. Francisci Catholico Hispaniarum Regi Carolo II. Mexici ex Typographia V. Francisci Rodriguez Lupercio 1701 in quarto. Extat tom. 27. collect. nostræ.

Orationem Eucharisticam Deo Deiparentique Virgini, sub Imagine nuncupatâ à Remedis, habitam in Cathedrali Ecclesiá Mexiceá pro natali Ludovici I Hispaniarum Principis. Mexici typis V. Michaelis de Ribera 1708 in quarto. Habetur tom. 53 dictæ Collect.

Sermones sex in Canticum Salve Regina, habitos in Sacello Mexiceo Cantabrorum de Aranzazu dicto. Mexici, eisdem typis 1710 in 4. Extat tom. ejusdem Coll.

Majoris Opera voluminis scripsisse, ipse Author in Procemio insinuato fatetur, quorum tituli & argumenta nos fugiunt, existimamus verò & ad Philosophiam Theologiamque spectare & ad Oratoriam Sacram.

Meminit ejus Bibliotheca Fráciscana tom. 3 in Appendicibus

bus littera B, quamvis, preter cocionem unam, Opuscula ipsam alia latuerint. Itemque Pinelus in Epitome Bibliothecæ Occidentalis editionis novissimæ col. 923.

641 F. BONABENTURA DE SALINAS & CORDOVA, Natione Peruanus, Limæ Regia Urbe totiusque Meridionalis Americæ capite, nobilissimis Americanis item genitoribus usus, Doctore Didaco de Salinas, & D. Joanna de Silva & Cordova, ab Hispanis parentibus genitis, longis majorum imaginibus claris, natus est. Ingenuè & liberaliter educatus, in Limensi Universitate percelebri Latinis operam dedit litteris, Rhetoricam coluit, & imbutus liberalibus Artibus fuit. Hæc inter ephebum egit Peruani Pro-Regis Clarissimi Viri D. Ludovici de Velasco, Mexicani, Equestris Ordinis Divi Jacobi, qui nuper Mexiceum Pro-Regem egerat, egitque dein, tituloque insignitus Marchionis de Salinas, Regij supremi Indiarum Consilij Præses evasit. Noster, Comiti de Monterey, Peruviensium clavum Regis vice tenenti, prætextatus item assecla fuit; postmodum inter familiares Marchionis de Montesclaros D. Joannis de Mendoza & Luna, Limensis Pro-Regis, habitus est.

642 Hujus, quem postremo nominavimus loco, Principis jussu, Regium Archivium in ordinem redegit, Libris, Schedulis, Monumentisque ita dispositis, & ad Chronologiam aptatis & Indicem, ut facili deinceps negotio inveniri ea potuerint & legi. Hinc ejusdem Pro-Regis Primus à Secretis Gubernationis renunciatus, eo aliquot mensibus munere functus, mundo valedicere secum constituit, & Seraphicæ Familiæ nomen dare apud Limensem à duodecim Apostolis nuncupatam Provinciam, Scilicet, ubi legere incæpit Regia Decreta Legesque sanctissimas pro Indorum conversione Catholico zelo sancitas, & ad utriusque regimen Americæ æquissimè humanissimèque compositas, Catholicorum miratus Regum pietatem studiumque insigne Archiepiscopos, Episcopos, Prædicatoresque destinandi viros sanctitate vitæ & doctrinâ præclaros, qui instituendis invigilarent ac fovendis hominibus nuper paganis; æstuare quoque se occæpisse fatetur, & utut posset prædicationi insistere cogitavit, ubi sacras prophanis, quibus instructus fuerat, litteras addidisset, sacrisque initiatus, Apostolico muneri aptatus fuisset, pro ut conceptis ipse verbis expressit non apud Indos modò, sed verò etiam coram Hispanis Italisque, & pluries apud Urbanum VIII & Sacras Romanorum Congregationes, estque legere in Memoriali à se edito toto § 5 & signatim à n. 67.

643 Religiosâ emissâ professione, statim Superiorum præscripto Magister primùm Latinitatis atque Rhetoricæ destinatus ju-

juvenes triennio instituit; queis Philosophiam semel iterumque è Cathedra ad septennium tradidit. Mox Theologico incubuit suggestui, etiam Primario, donec Emeriti lauram reportavit, pluribus institutis discipulis, qui doctrinâ insignes, Provinciæ Patriç que ornatui deinceps fuere muneribusque & gestis præclari. Nec verò à proposito, quod jam diu conceperat, prædicandi resilijt: nam utrîque deditus & unà suggestui, sermones habuit Limæ sæpissimè: in alijs non longè dissitis Urbibus & Pagis, feriato ab Scholis tempore, doctos ac pios, & Indorum protectioni, multa id temporis iniquè patientium, justitiæ & humanitati conciliandis asserendisque destinatos, nil interea moratus querimonias atq calumnias inde in ipsum enatas. Multi à Pro-Regibus, Episcopis, Virisque sapientissimis & gravissimis habebatur, ut propterea ejusdem in Hispaniam pergere gestientis, juvandi Indos causâ, votis obsecundaverint, ipsumque honoribus cumularint. A Provincia sua Deffinitor & Custos in Comitia Ordinis generalia Romæ cogenda destinatus, Procuratorque in utramque Curiam, cùm pro rebus alijs gravissimis, tum pro V. P. F. Francisci Solano Beatificatione & Canonizatione curandâ dimissus, & ab Archiepiscopo Limensi Viro Clarissimo D. Ferdinando Arias de Ugarte ad visitanda Apostolorum limina Nuntius, negotiorumque Metropolis suæ gestor Romæ: Urbis item Limensis nomine amplissimaque Facultate Solani Apoteosim acturus, multis Testimonijs & Epistolis præmunitus, tandem 23 Decembris 1637 Hispaniam appulit.

644 In honore à Rege habitum Regijsque Consiliarijs, Supremum quoque Inquisitionis Consistorium suis eum Theologis aggregavit. Tum Romam profectus Comitijs interfuit Franciscanorum, è toto terrarum Orbe confluentium pro Ministro Generali eligendo, tantique æstimatus à Superioribus fuit, ut Præsidem egerit thesium coram delibatissimo scientiarum flore in maximo eo Theatro propugnatarum, plaudentibus Americanum Theologum Romanis exterisque alijs eruditissimis, atque ex Hispanis in primis Viro omni majori laude P. Joanne de Lugo Societatis JESU, qui concertantes inter adfuit, dein S. R. E. Cardinalis eximijs meritis fuit auguratus. Noster, ut in Neapolitanâ paleſtrâ Cathedram subiret Primariam Theologiæ, regendisque Studijs suorum floridissimis ex munere intenderet, jussus, eò contendit, ad septenniumque defunctus provinciâ egregium sibi nomen apud cultissima Neapoli capita peperit: Discipulis Americanis, quos pridem docuerat, Europeos adjiciens, non pœnitendis fructibus, aut in-

 gra-

gratâ Italorum, quibus cordi fuerat, recordatione.

645 Nec propterea negotijs diligentiæ suæ demandatis apud Romanam Curiam, subtraxit se, tempora illis consignans, quæ Gymnasij Leges Professorum otio concedunt. Pluries coram Summo Pontifice Urbano VIII & Sacris Congregationibus, applaudentibus Purpuratis & Prælatis, oravit, cùm pro Limensi Archiepiscopo ejusque Ecclesiâ, tum pro Beatificationis & Canonizationis Causâ V. P. F. Francisci Solano, tum pro negotijs alijs. Apostolorum Limina, ut injunctum sibi onus ferret, religiosissimè coluit. Multa Regis Catholici Patronatum Jusque Indiarum concernentia defendit, politicisque magni momenti ea tēpestate occurrentibus, ut decebat fidelissimum erga Regem suum hominem, inservivit, gratus propterea & Regi ipsi & Consiliarijs ejus, Ordinisque sui Superioribus.

646 Hispaniam evocatus ut quiesceret, totque egregiè gestorum præmium aliquod reportaret, Valentiæ substitit, calumnijs impetitus & maledictis invidorum, qui hoc etiam nomine ei detrahebant, quòd natus in America Hispanis parentibus indignus judicari deberet præclaro, quo donatus fuerat, officio Commissarij Generalis Familiæ suæ apud Hispaniam Novam. Depulsis tamen & in auram & fumum, ut par erat, evanescentibus æmulorum cavillationibus, quas sapientes quique & cordati cachinnis excèpere despicatui blaterones habentes, qui non livore duntaxat percitos, sed inscitiâ laborantes, eis se obtrectationibus commonstraverant; Ille, editis scriptis quibus isthæc & similia portenta fugaverat, probatus Regi & quibusque gravissimis Viris, anno 1646 ad nos contendit, apud quos strenuè functus Commissarij munere, egregia probitatis, sapientiæ, & prudentiæ monumenta reliquit. Cœnobij Franciscanorum Mexicei Maximi januę atrium ampliavit, pulchrisque lapidibus & picturis instruxit: præcipuam nobili architecturâ scalam tripartitam erexit, cui deauratam superposuit contignationem; circumque statuis & ductis penicillo imaginibus vitam expressit Seraphici D. Bonaventuræ totius machinæ Mecœnatis. Pro ægrotantibus fratribus Valetudinarium ædificavit, cellis, cavędio, fontibus, idque alijs abundans, quod postmodum ædificium alijs Superioribus commodius visum est pro Commissarij Generalis Familiâ, Religiosis languentibus ad abstrusiora conventus redactis, & ab strepitu & molestiâ longè semotis. Adhæc, Ædium partem illam additis conclavibus ampliorem fecit, quæ hodieque Lectores Scholaresque capit, quorum publicis concertationibus excitatā Aulam

usui esse voluit, ijs oculatissimè providens quæ studijs fovendis noverat in primis utilia, longa 22 annorum, quos legendo contriverat, exercitatione.

647 Sodales paternâ omnes charitate complectebatur, de quorum victu solicitus, multa constituit ipsorum valetudini & viribus opportuna. Annuas, in aliquot sacra cantu peragenda, ęgrotorum subsidia, & pios alios usus impendendas eleemosynas procuravit, multisque alijs nominibus de Provincijs sibi commissis benemeruit. Denique, non à suis modò, sed à sapientibus omnibus & prudentibus viris maximi habitus, apud Cœnobium de Quernavaca fatis defunctus 15 Novembris anno 1653 ibidem sepultus, sui desiderium & nomen Americanis in primis reliquit. Scripsit & edidit hispano sermone

Monumenta Historiæ Novi Orbis Peruani: Merita & decora Civitatis Limensis. Limæ Apud Hieronymum de Contreras 1630 in quarto. Extat in Biblio. Collegij Maximi SS. AA. Petri & Pauli Societatis JESU Mexicei. Editionem aliam Matritensem anni 1639 in quarto recenset Bibliot. Franciscana Nostri memor tom. 1. pag. 239. Est quidem Opus admodum eruditum Antiquitates, Barbariem, Ritus, & alia Ingarum Regum in propatulo ponens, unàque Expugnatorum Peruviensis Orbis facinora & nobilitatem aperiens, Regique Catholico, cujus gloriæ & nomini plaudit, nuncupatum, gravissimis Approbationibus communitum, quas Archiepiscopi duo, Episcopi quinque, & plenus Universitatis Limensis Consessus dedère.

Memoriale Testimoniumque, seu Apologiam, pro se, natisque in America Hispanis parentibus, vulgo *Criollos*. Hispanis typis Liber est excusus in folio, ut legenti fit palam, quamvis & locus editionis, & typographi nomen nullibi appareat, ut fieri consueverat in similibus. Hujus meminit Apologiæ Pinelus col. 712, estque bipartitus Liber, atque folijs 115 constantem primam partem in gestis suis majorumque describendis impendit, sic, ut & natorum in America Hispanis genitoribus merita modęstissimè insinuet, eorum obtrectatoribus jure coercendis, & quod caput est, Catholicorum Regum gloriam, & zelum pandat amœnissimâ & ad rem quam pertractat omnem opportunâ natâque eruditione. Secunda verò pars folijs 40 constans instrumenta exhibet, quæ à se gesta, & in antecessum posita comprobant. Opusculum hoc Bibliot. Authorem Franciscanæ penitus latuit, quod inter nostros tamen non est admodum rarum.

Panegyrim in festo Seraphici Parentis Francisci. Limæ anno 1646 in quarto. Cujus meminit eadem Bibliotheca Franciscana, prętereaque Alva, in Militia pro Imma-

maculatâ Conceptione col. 208. adjungens Noſtrum in Epiſtola de Libro D. D. Petri Arequipenſis pro certitudine præſervationis Virginis Deiparentis à peccato originali, multa id argumenti lumina conſcripſiſſe.

Orationem funebrem habitam Mexici in juſtis Hiſpaniarum Principis Sereniſſimi Balthaſſaris Caroli Auſtriaci. Mexici typis V. Bernard. Calderon anno 1647. Extat in Bibliotheca Regalis Auguſtiniani Collegij Mexicei Divi Pauli, cujus memoriam habent eadem Bibliotheca Franciſcana & Pinelus in Epit. Occident. fol. 923 col. 4. habemus eam t. 27 Coll. noſtr.

Sermones varios, pro ut è Biblioteca Franciſcana didicimus, quæ Authorem ſecuta Chronicorum Provinciæ Limenſis XII Apoſtolorum F. Didacum Cordova lib. 6 cap. 7 illorum meminit. Addit ex Wadingo & Sanning. ſuis, è queis ſecundus præ manibus habuit libros,

Curſum integrum Artium ad pręlum paratum Romę, quem tamen ineditum, ut remur, manſiſſe dolemus.

Superaddendi inſuper ſunt

Tractatus Theologici,

Quos apud Limenſes & Neapolitanos è ſuggeſtu dictatuit,nosque cujus ſignatim argumenti ſinguli fuerint, prętcrit. Ad extremum Bibliotheca Franciſcana tom. 3 inter Appendices ſuppeditavit nobis perpulcrum Tractatum anno 1649 editum à Noſtro *De novis Miſſionibus Franciſcanorum apud Sinas & Tartaros*, incipientem *D. Marcos.*

Acta ejus Mexicea tradidit Betancurtius in de illuſtribus Provincię S. Evangelij viris, poſt Menologium pag. 147. n. 30. Reliqua è Memoriali ſupra indicato alijsque Monumentis hauſimus.

648 D. D. BRIXIANUS DIEZ CRUZATE, Natione, ni fallimur, Mexicanus, Doctorali redimitus infulâ in Academiâ noſtrâ, Cathedram tenuit aperiendis Inſtitutionibus Juſtiniani Regijs ſáctionibus deſtinatam, cujus nactus eſt adminiſtrationem, quadriennio habendam, anno 1613. ſcholaſticâ de more previâ inter candidatos concertatione. Tradidit auditoribus ſuis

Selectas aliquot Inſtitutionum explicationes.

Ejus eſt memor Plaza in Chronic. Academicis lib. 3. cap. 16. n. 77.

C

649 D. D. CAIETANUS DE ARMENDARIS, Natione Mexicanus & Patria, è nobili Familia progenitus, ubi Latinitatem hauſerat & Ariſtotelicam Philoſophiam apud Maximum Soc. JESU Mexiceum Collegium Academicaque .Gymnaſiâ, lauro donatus, Apollineam ſibi Facultatem excolendam delegit, quam ita demum meditatione ſcholaſticâ & con-

concertatione primùm, mox etiam practicâ tenuit exercitatione & obſervatione, ut ad Baccalaureatus gradum Doctoralem pileum adjecerit, isque unus è primoribus Medicinæ ſuâ ætate fuerit, petitisque ejuſdem Cathedris, eam octo virorum ſuffragijs ſuopte jure regendam aſſumpſerit, quæ exponendæ Chrirurgiæ, Anatomiæque tyronibus aperiendæ deſtinata eſt. Singulari in docendo & agendo peritię medicę pietas etiam multa ſociata, cęteraq chriſtianę officia virtutis, quę uſu tenuerat, nomini ſplendorem & decus ſuperaddidere. Ad ſublimiora optatum ſubſellia mors immatura tulit, ad quam ſe apoſitiſſimè comparaverat. Ejus, quę Academica tabullaria nobis exhibent, Scripta ſubnectimus

Opuſculum de vaſis lacteis & actu chyliphero.

Opuſculum de cordis fabrica.

Opuſculum de liene & ejus officijs.

Opuſculum de pancreato & ſucco pancreatico.

De Chirurgia in genere.

De ſecunda Anathomiæ parte.

Opuſculum de motu ſanguinis circulari.

Opuſculum de partibus corporis ſimilaribus.

Opuſculum alterum ejuſdem argumenti.

Opuſculum de muſculis & eorum motu.

Opuſculum de Gula & Eſophago.

650 F. CAIETANUS DE BARREDA, Natione Mexicanus & Patria, Regij ac Pontificij Metropolitanę Eccleſię Collegij Seminarij à S. Paulo & Puriſſimâ Conceptione nuncupati alumnus, Latinis poſtquam ejus in Gymnaſijs operam dedit & Rhetoricis diſciplinis, Philoſophicas avidè aggreſſus, moxque Theologicas inibi & in Academiæ palęſtra, minores utriuſque Facultatis gradus, deincepsque Doctoratum in ſacrâ tenuit egregio ſibi nomine comparato. A Collegij ſui Judicibus, præmiſo, ut fit, horariæ Relectionis examine conſuetis que pro regendis Cathedris probationibus, Philoſophiæ deſtinatus Profeſſor, multis ipſam & domeſticis & extraneis auditoribus tradidit fructu neutiquam pænitendo. Triennio abſoluto, interſtitijsque factis, eamdem iterum adornavit ſpartam ab anno 1728 Curſum Philoſopicum auſpicatus, quem ad exitum, ſecundâ quidem ſorte, deduxit. Tum, Libros quibus unicè delectabatur, diu noctuque evolvere pergens, atque Eccleſiaſticis miniſterijs inſiſtens (erat enim Sacerdotio initiatus) aptiſſimus viſus eſt Archiepiſcopo Mexicano, qui Collegio præficeretur. Rector inſtitutus, huic ſtrenuè muneri invigilavit, convictorum in doctrinâ & virtute inſtituendorum curam ſolicitè agens. Hæc inter ipſe quotidie doctior & ad ſperanda majora in Eccleſiaſtica Republica litteris & geſtis paratior,

tior, abdicari se officijs constituit & seculo, atque Ordinem Minorum nudipedum in Provincia S. Didaci Mexicana ingressus est, in qua, post emissam professionem, Apostolico mancipatus Collegio de Pachuca pro sacris Missionibus ab eâdem Provinciâ alumnis suis isthæc optantibus instituto, & conciones pro reformandis moribus habuit, & Fidelium confessiones excepit, & cœteras austeræ vitæ exercitationes Sodalium aliorumque ædificatione peregit. A Superioribus unà cum P. F. Joanne Lara Mexicano, ejusdem Provinciæ alumno, quondamque Lectore, ad barbaros Indos incolas de Sierra gorda cicurandos & sacris nostris instituendos amissus, pedes iter arripuit, multisque exantlatis laboribus, Indos Jonaces dictos ad politicam societatem & Pagos traduxit, Catholicâ luce donavit, ac Christo lucrifecit. Inde, obedientiâ duce, Goaxacensium Urbem Primariam Antequeram petijt, arduum iter pedibus etiam agens, insimulque Apostolicis concionibus obvios Populos admonens & ad pœnitentiam instimulans. Ubi Missiones sacras urbanas juxtà & rusticas apud Goaxacenses obierat, reducem ad Indos superiùs dictos (Sodalem ut ægrotum comitaretur) Simapanum ingressum præmatura ipsum mors, cœlo, ut piè credimus, inserendum extinxit. Scripsit

Cursum Philosophicum juxtà firmiorem Angelici Præceptoris doctrinam elucubratum. Extat Mss in quarto apud Bibliothecam memorati supra Collegij à S. Paulo Seminarij.

Tractationes Theologicas aliquot.

Sermones Panegyricos & Morales à se dictos.

Sermones pro Missionibus multos unàque Conciones de Doctrina Christiana & pijs alijs argumentis apud Symmistas suos extantes Mss.

651 D. Caietanus de Cabrera et Quintero, Natione Mexicanus & Patria, jactis altè pro amœnioribus litteris fundamentis, Philosophiam apud Seminarium Metropolitanæ Ecclesiæ Collegium S. Pauli & Purissimæ Conceptionis & Universitatis Aulas accepit, cujus insignis laureâ, Theologiæ cultoribus adscriptus, primosque inter habitus, Facultatis ejusdem gradum etiam adeptus est. Academiam S. Philippi Nerij pro Theosophicis exercitationibus Panegyricisque juxtà & pulcherrimis alijs elucubrationibus pridem conditam, plures annos adivit, domique & foris pro multâ eruditione variàque comparandâ laboravit. In Poesi, sive Hispana, sive Latina assiduè ac feliciter exercuit se, ac Hebraico & Grȩco capiendis sermonibus operam posuit, quibus itidem nonnunquam scripsit. Pro Latio tradendo suis ephæbis idiomate Prȩceptor institutus fuit ab Excmô. Illmôque Viro D. D.

D.

D. Joanne de Vizarron & Eguiarreta Arciepiſcopo Mexicano juxtàque Pro-Rege. Initiatus Sacerdotio, ſacris concionibus habendis, excipiendisque confeſſionibus deditus, quas diu imbiberat diviniores litteras, itemque expectantes ad mores, uſui in præſentiarum habet: cujus ſubinde cauſâ, & conſuetudinis quæ nobiſcum intercedit, elogio parcimus, indicamusque Opera & typis commiſſa, & adhuc inedita, quibus etiam juvenis & Philoſophicis ac Theologicis vacans ſtudijs operam dedit. Excuſa hæc ſunt.

Hymenæus celebratus, ſive *de Nuptijs Ludovici Hiſpaniarum Principis & Aloyſiæ* magno plauſu Mexici celebratis. Mexici, anno 1723. Poeticum prorſus Opus & bilingue, duobus primis libris latinè ſcriptis verſu heroyco, cæteris uſque ad octo patrio ſermone: In Latijs, Claudiani, in Hiſpanicis carminibus Ludovici de Gongora pharſim ſequi & ſtylum Author ſibi propoſuit, & Codicem non exigui corporis Marchioni de Caſafuerte Mexiceo Pro-Regi dicavit.

Sapientiæ ſidus, Minervalis Heſperi aſcenſus Doctoris ſcilicet D. Joannis Joſephi de Eguiara Philoſophiæ profeſſoris ad Veſpertinam modò Theologiæ Cathedram provecti. Mexici typis Joſephi Bernardi de Hogal 1725 in 8. Eſt quidem Latinum inſigneque Poema, ex Claudiani imitatione, argumento quod ſibi vates propoſuerat, accommodatiſſimum, nobiliſſimo Viro D. D. Joanni Iſidoro Velaſquez de la Cadena è primoribus Mexiceis nuncupatum.

Deſcriptio gratulatoria Templi Cœnobijque à Corpore Chriſti Domini nuncupati, proque Sanctimonialibus Indis erecti pietate Exmî. D. D. Balthaſſaris de Zuñiga Sotomajor & Mendoza, Marchionis de Valero, Hiſpaniæ Magnatis, Mexicei Pro-Regis &c. Mexici litteris Joſephi Bernardi de Hogal 1724. in quarto. Opuſculum eſt idiomate Hiſpano & charactere Hiſtorico conditum.

Aquila myſtica in Carmeli verticibus exaltata: Triumphalis Arcus nomine ſacri & univerſi Prædicatorum Ordinis à Sapientiſſimo ejuſdem Familiæ Collegio Mexiceo de Porta-Cœli erectus pro colenda S. Joannis à Cruce, Carmelitarum Excalceatorum Parentis ac Reformatoris, Apoteoſi Sacrâ Mexici ſolenniſſimâ ſupplicatione auſpicandâ. Mexici, eiſdem typis, habeturque unà cum alijs ejuſdem argumenti Opuſculis in Libro *Secunda Quinta decima Januarij Mexicea* edito anno 1730. à pag. 169. ad 234. Scriptum hoc partim ſolutâ oratione, partim adſtrictâ numeris, ijsque Latinis pariter & Hiſpanis, Inſcriptionibusque, amœniſſimè ad propoſitum eſt compactum.

Spirans exemplar magnanimi ſacri Machabæi Joannis Hircani Illmûs D. D. D. Joannes Anto-

nius de Vizarron & Eguiarreta Archiepiſcopus Mexicanus, expreſſum triumphali fornice eidem fauſtè excipiendo erecto ab ejuſdem Eccleſiâ Metropolitanâ. Mexici ex eadem Officina 1732 in quarto. Extat tom. 61 Collect. noſtræ, ſimilique ac præcedens Opuſculum methodo præſens floridiſſimâ concinnatum vernat eruditione.

Index Poeticus vitæ Seraphici Parentis S. Franciſci Aſiſſiatis. Mexici, ex eadem Officina 1732 in octavo. Eſt epicum Poema Hiſpanis acutiſſimis numeris totam quanta eſt apud Illmûm. Hiſtoriographum Cornejo vitam admirabilis S. ob oculos ponens, imitaturque Author inclytum Poetam D. AntoniumHurtado de Mendoza inVita Deiparæ,&ſiNoſtri Opus ſit numeroſius & fuſius.

Brevis ratio ideæ Statuarum & Inſcriptionum, quas nobiliſſima Pictorum ars ſumptibus diſpoſuit & curis ipſorum, pro ornatu comitatuque admirabilisDeiparentis Iconis à Subſidio nuncupatæ apud Moniales S. Joannis de Pœnitentia, in anniverſariâ ſupplicatione ſolennius habendâ. Mexici, ex eadem Calchographia anno 1733. in quarto. Extat tom. 37. Collect. noſtræ, atque in hac opella proſâ ſimul ac metro latinè & vernaculè Author munus pulchre ſuum executus eſt.

Hebdomarium Trinum, ſeu, Piiſſimæ pro colenda per tres hebdomades Auguſtiſſimâ Triade preces & exercitationes Hiſpano ſermone. Mexici, mox dictis formis anno 1745. in octavo.

Patronatus Diſputatus, ſeu Diſſertatio Apologetica pro Voto, Electione & Juramento præſtito Virgini Deiparenti ſub Imagine Guadalupiâ Mexiceâ in Patronam aſſumptæ. Mexixi, ex Regia Typographia D. Mariæ de Ribera anno 1741. in quarto. Libro huic occaſionem præbuit Angelopolitanæ Eccleſiæ Ceremoniarum Magiſter D. Joannes Paulus Zetina Infante, qui ſcripto Opuſculo contenderat, non dum Eccleſiaſticum perſolvi officium poſſe de Communi, ut dicitur, ſumptum, die Guadalupanæ Deiparenti votivâ, ante quam Patronatus à S.R. C. approbaretur; Noſtro contra nitente propugnanteque ritè & rectè id honoris & cultus in Diœceſi Mexicana tributum eſſe Patronæ ſuæ, nec abſimiliter in alijs Ditionibus fieri debere.

Stemmata Mexicea: Cæleſtis Nobiliſſimæ hujus Civitatis, Novæ Hiſpaniæ, ac totius fere Novi Orbis Protectio MARIA SS. ſub mirabili Imagine Mexicani Guadalupij, jam inde ab anno 1531. in Palatio Archiepiſcopali mirè apparente: anno verò 1737 in præcipuam Patronam Juramento adſcita, occaſione peſtis quæ ſævius Indos invaſerat, defervuitque ſub ejuſdem Virginis umbrâ & Imagine. Mexici, typis V. Joſephi Bernardi de Hogal 1746. Liber hic in folio idiomate Hiſpano conſcriptus, & Catholico Hiſpaniarum Regi ac Indiarum Impe-

pe-

peratori D. D. Fernando VI nuncupatus, sumptibus prodijt Nobilissimæ Urbis Mexiceæ, quem jussu Exmî. & Illmî. D. D. Joannis Antonij de Vizarró & Eguiarreta Mexicani Archiepiscopi atque Pro-Regis, Author aggressus est, & ad finem deduxit, Historiâ non modò contagiosæ luis, atque horum quæ pro ea longè abigenda peractá sunt, exactè relatâ, sed verò etiam pluribus, sacris præsertim, Civitatis, Ecclesiarum, Religionum, Imaginum, idque genus aliorum Monumentis bono in lumine collocatis: ijs autem in primis omnibus, quæ miraculo depictam Guadalupanam Deiparentis Iconem ante geminum seculum tradunt, impensèque eidem religioni & pietati expendendę ac fovendæ concernunt.

Julius Maximinus verus ex Julio Capitolino sumptus & descriptus: Triumphalis fornix à Mexiceâ Urbe erectus pro excipiendo Pro-Rege Excmô Comite de Fuenclara, &c. Mexici anno 1743 in quarto.

Novus Ulysses, seu Arcus triumphalis eidem Principi dedicatus ad Metropolitanæ Ecclesiæ limina & porticum. Mexici eodem anno in quarto.

Gemina alia similis argumenti scripta Mss habet pro ingressu Pro-Regis Ducis de la Conquista. Ad Mss venientes, cætera sunt illa.

Comædia ex Indicis Historijs formata, cui titulus hispanus: *La Esperanza malograda,* h. e. *Spes frustrata,* eo tempore quo Author Philosophiæ addiscendæ vacabat, composita, quo etiam permulta alia Panegyrica metro condidit, itemque prosâ, Allegationes pro Philosophica lauro, & similia, quæ in unum compaginata volumen ab eruditis & curiosis servantur.

Comædia altera, cui nomen hispanum: *El Iris de Salamanca,* h. e. *Iris Salmanticensis,* ex Historia S. Joannis à S. Facundo compacta; quæ quidem Comædia magno spectantium plausu in publicis Mexicanis Theatris septies & amplius, etiam Pro-Rege spectante & laudante, fuit acta.

Poemata, Emblemata, Panegyrici, in Regnorum abdicationem factam à Philippo V Hispaniarum Rege, & in Regiam augurationem Ludovici I: Quæ inter extant speciosiora quędam de Aquila bicipite, tum temporis à Goaxacensibus adinventâ & captâ: de qua ad duos Reges eodem Hispaniæ Corpore, eademque Coronâ conjunctos variè Author lusit. Horum plura manu exarata sunt; nonnulla excusa in Libro, cui titulus: *Litteræ laureatæ,* Mexici impresso typis Josephi Bernardi de Hogal anno 1724 in quarto.

Apollinis gemitus in precosi Hyatinthi morte, seu Philippi V Hispaniarum Regis questus in funere Ludovici I Hispanorum item Monarchæ: Apparatus funebris pro Exequijs ductis à S. Inquisitionis Tribunali Mexiceo apud Templum S. Domi-

minici 18 Maji 1725. Codex est justi corporis, Inscriptionibus Numerisque Latijs & Hispanis ad rem constans aptissimis.

Allegoricum symbolum recens nati Pueri Jesu, Purpura. Certamen est, ut dicitur, Poeticum Academicum tam solutâ quam metricâ oratione, Romanisque & Hispanis numeris pulchrè compositum.

Stadium litterarium, seu Certamen poeticum pro Marianâ Conceptione plaudendâ, dato vatibus Atalantæ argumento similique modo ac præcedens elucubratum.

Trecenta ferè Latina Epigrammata, singula ad litteram metris Hispanicis vulgo Decimas, traducta, varijs distincta Libris & justo Volumine compaginata.

Varia omnis metri & mensuræ Poemata Hispanica sacra, volumine alio contenta.

Elogia Latina seu Epigrammata numeris dissoluta fere ducenta in eorum imitationem quæ extant edita ab Emmanuele Thesauro & Aloysio Giuglar.

Vita S. Rosæ Virginis Limensis stylo elogiastico latino concepta.

Dies sacer, tot horis quot hodis expressus: Hymni & Odæ in honorem Dei Trini & Unius, Christi Domini Crucifixi, Purissimæ Deiparæ, & Pueri Jesu in Bethlemitico stabulo vagientis & cætera. Pro nomine Authoris hoc Dysthicon

Authorem quæris? De tot quot pasta Maria,
Ni Capra summa petens, hædulus unus,

Hymni omnis generis & mensuræ ad imitationem Prudentij, christianissimi Poetæ, varijs titulis, scilicet: *Turris animæ: Horologium rotarum: Horologium solare: Quinque Zonæ: Hortus, sive unico flore Rosarium: Mars sacer, & cætera,* quorum argumenta omnium pia sunt.

Inter purè humana Authoris scripta censemus sequentia.

Liber variorum Epigrammatum, quibus junguntur aliqua è Græco in Latinum, alia è Latino in Græcum traducta.

Juvenalis Hispanus, sive variarũ traductio Satyrarum Poetæ hujus, metro quem Itali *incatenato,* Hispani *tercetos* vocant. Quod tamen Opus incæptum Author reliquit lubricitatem vatis pertęsus, quam vix & ne vix quidem celari posse vidit.

Horatij difficiliores Satyræ & Sermones, & aliorum Poetarum aliquæ hispanæ factæ.

Orationes Latinæ varij argumenti, Philosophici, Medici, Juridici, Politici, atque etiam Theologici.

Orationes Hispanæ Academicæ variæ.

Apparatus funebris pro justis solvendis admodum R. P. F. Roderico Hieronymo de Venegas Ordinis S. Joannis de Deo Generali, &c. In Conventu Mexiceo ejusdem Instituti 9 Decembris 1736.

Hesperiæ cor Philippus V, seu Pompa pro ejus instauratione funeris Mexici acta à Senatu Fidei 31 Martij 1747.

Gram-

Grammatica sive Ars Hebræa simul & Græca, quibus Alphabeta præfiguntur versu heroico latino; Opus utrumque valde prolixum, ubi Author metro ligatus cuncta quæ de utriusque idiomatis dialecto, præceptis & pronuntiatione præscribuntur, exiguo corpore, labore non exiguo contraxit.

Artem itidem *Mexicanam* industriè confecit.

His Theologica adjiciuntur Opuscula Scholastica & Moralia.

De Constitutivo divinæ Naturæ, De Christi Domini libertate moriendi & præcepto, & alia.

Basis Theologiæ Moralis, sive de usu & abusu opinionum probabilium Epitome: Cui, in modum Logistices, implicatioris longè Labyrinthi filum aureum carmen subscripsit heroicis constans.

Quæstiones variæ ad omnes fere dist. lib. 4 Magistri Sententiarum.

Succus Illmi D. Montenegro &c. Itinerarij ad Indorum Parochos.

Conciones Panegyrico - Morales amplius 50 collimantes in Sacrum Jesu-Christi Domini nostri Cor, ejusdem Mysteria Vitæ, Passionis & Mortis, aliaque expendentes ad mores, habitæ ab Authore in nocturnis exercitationibus coram illustri pioque ejusdem Sacratissimi Cordis Sodalitio ad S. Spiritus Mexiceum ordinariâ Authoritate decennio ab hinc retrò instituto, dein Pontificiâ Authoritate aucto. Tom. 2 in quarto.

Conciones Morales & Asceticæ maximam partem pro excitandis animis, cùm ad compensandum illatas Jesu-Christo Assertori nostro injurias, tum ad eas propulsandas quæ signatius Augustissimam impetunt Trinitatem. Quibus accedunt dictæ ad religiosas Virgines Hortationes in quarto.

Orationes Evangelicæ, seu Sermones Panegyrici & Morales supra 60 apud spectabiles auditores habiti ab Authore, & tribus in quarto tom. compaginati.

Narratio persecutionis laborum que Christianitatis apud Provinciam de Fogan in Sinarum Imperio: Custodia vinculaque 5 Religiosorum Missionariorum ex Ordine S. Dominici in Provincia SS. Rosarij Philippinarum: Obitusque & Martyrium Illmi. & R. D. D. F. Petri Martyris Sanz ejusdem Ord. Provinciæ, Episcopi Mauricastri, Vicarij Apostolici Provinciæ de Fokiem.

652 F. CAIETANUS A JESU, Natione Mexicanus, Parente apud Goadalaxarense Novæ Galleciæ Regnum Præside, genere admodum claro, usus, Angelopoli humaniores litteras Philosophiamque & Theologiam hausit à Regijs S. Joannis Gymnasijs, Mexicique lauream Academicam tulit. His comparatus, Ordinem Carmelitarum nudipedum professus est ad S. Alberti Mexicanam Provinciam, cui ornamento fuit & decori. Philosophiam è suggestu triennio exposuit Familiæ juvenibus ad S. Joachimi Collegium non longe situm à Mexiceis pomærijs liberalibus artibus operam dantibus. Tum in S.

Angeli Cuioacanense Athenæum longius positum, destinatumque ad Scholasticæ professioné Theologiæ & Sacrarum litterarum interpretationem, amissus docendi gratiâ, diu Cathedras moderatus est ad Primariam usque. Cœnobium Mexiceum Prioris agens vices religiosè & prudenter rexit, quo tempore & alijs etiam multis, Ecclesiastem egit haud vulgari auditorum æstimatione, doctissimis ipsum hominibus efferentibus, queis ab utriusque suggestus peritiâ, eruditione, & religiosâ observantiâ percharus erat. Precosi sublatum è vivis morte, quam sanctè opetijt Mexici anno proximè elapso 1753, charissimum nobis caput intimo animi sensu in præsentiarum quoque dolemus. Scripsit

Tractationes Theologicas varias, Et

Conciones plures ac eruditas, quarum Schedas credimus à Sodalibus custodiri.

653 D. Caietanus de Soto, Natione Mexicanus, in Civitate Tolucensi Diœcesis Mexiceæ natus, latinè instructus, apud Regium & Pontificium Seminarium Collegium Metropolitanæ Ecclesiæ à S. Paulo & Purissimâ Conceptione dictum, alumnus, Philosophiam, nec sine laude, coluit atque Theologiam, laureis que utriusque Facultatis minoribus, majorem Doctoratus adjecit, Theologorum Consessui, eorundem suffragijs adscriptus. Subtilissimi Doctoris Scoti Cathedram Universitatis regendam suscepit, quoad prolixæ contentionis funis est ductus de Proprietate ejusdem suggestus, ubi Antecessor ejus Doctor F. Joannes Dominicus de Leos, Serapici Ord. in Prov. S. Evangelij Præses Emeritus, Emeritus quoque in Academia post 20 professionis Scoticæ Cathedræ annos est renunciatus. Noster interea scripsit, tradiditque auditoribus suis ut ex Annuis Academiæ Lectionibus compertum habemus:

Tractatum de Vita Christi.

654 D. Caietanus de Torres, Natione Peruanus, in Provincia Castellæ auriferæ progenitus, educatusque ut decebat præclaros Parentes, & primis litterarum rudimentis instructus, statim Mexicanas deductus in oras, operam dedit Latinitati, nomenque Regio S. Ildefonsi Collegio. Inde Maximum SS. AA. Petri & Pauli pro imbibendâ Philosophiâ adiens, primus inter socios evasit cùm ibi, tum etiam in Regia Universitate, laureâ meritoque conspicuus. Theologię auspicatus quadriennium, ita demum frequentatis minervalibus atrijs & scholasticis Collegij Sodalitijs absolvit, nulli ut in Theosophiâ concederet. Hinc quinquennio incubuit Juri Canonico, progressu in hac etiam Facultate neutiquam pœnitendo, cujus lauream adjecit pristinis, quas in utrâque sophiâ retulerat. Interea Præsidem in Co-

Collegio ſuo pro Academicis Theologorum exercitationibus egit, quę Speculativam attinent partem, quæque etiam Practicam & ad dirigendos mores uſui futuris. Præter alia publicæ habita, nec vulgaria, litterarum pericula, ſolennius longè fuit memoratuque dignius, quod per diem integrum ſubijt coram Illmô. atque Excmô. Archiepiſcopo & Pro-Rege Mexiceo D. D. D. Joanne Antonio de Vizarron & Eguiarreta, Mecœnate concertationis à Collegio inſtitutæ plaudendi ergo ampliſſimam Aulam, primamque nobiliſſimarum Ædium à fundamentis egregio opere inſtauratarum: matutino tempore Scholaſticam 18 titulis, multisque problematis Theologiam expoſuit, veſpere autem 6 ex utroque Jure Materias defenſandas exhibuit, reſponſis Theologicis ac Juridicis argumẽtationibus Scholarum datis more, Oratorum genio præponens amœnas comptasque his Allocutionibus reſponſiones, quas in honorem Mecœnatis & Operis arguentes ſuis præmiſerant objectionibus. Nec enim ſeverioribus contentus, pulchras neglectui habuit litteras, imò fauſte & Poeſim & Oratoriam & Hiſtoriam excoluit. Adhæc Regiam ejuſdem Collegij trabeá prælectione cęterisq de more petivit ac tenuit. Mox Doctor Theologus Mexicanus inauguratus, pro regendâ quadriennio Primariâ Sacrę Facultatis Cathedrâ Anteceſſori rure donato ſuffectus eſt, acri, ut fit, in hiſce concertationibus altercatione nobiliſſimorum candidatorum. Eam ubi ornarat ſpartam, Præſesque fuerat Academiæ à S. Philippo Nerio dictæ & in eadem Univerſitate florentis, non minori contentione Perpetuus Eloquentiæ Profeſſor eſt deſtinatus, atque eam ob rem Magiſtrali Philoſophię infulâ redimitus. Prius verò Parochiam Cathedralis Eccleſiæ ad tempus rexerat, interſtitioque facto, conſtitutus titulo canonicꝯ Parochus Eccleſiæ S. Sebaſtiani intra Urbis Mexicanæ pomęria, huic poſtquam muneri exactè incubuit nihilo minores in Academicâ profeſſione curas impendens, à Catholico Rege noſtro Ferdinando VI in Metropolitanæ Eccleſiæ Mexiceæ Capitulum deſtinatus, Præbendâ potitur, ea inſimul multisque alijs Eccleſiaſticis & Academicis curis inſiſtens. Et de his quidem hactenus, neceſſitudine, qua ipſum attingimus, ejus laudibus obſiſtente. Scripſit

Breviarum Theologicum de Deo ut uno.

Breviarum Theologicum de Attributis divinis.

Breviarium Theologicum de divina Scientia.

Inſtitutiones Rhetoricas.

Prælectiones & Orationes Academicas varias Poemataque.

Hiſpanâ autem linguâ

Sermones Panegyricos & Morales,

 Quo-

Quorum authographa sunt penes ipsum.

655 Illmus. D. D. D. Carolus Bermudez de Castro, Natione Mexicanus, Angelopoli Urbe, nobilissimis editus genitoribus, ipsorum accuratissimę institutioni prono in litteras & virtutes genio respondit. Apud Regia SS. AA. Petri & Joannis Collegia inibi florentissima, Latio imbutus sermone & Rhetoricis præceptionibus, ita se Philosophiæ dedit studio, ut pietatem nullus ipse neglexerit, exemploque modestiâ suâ condiscipulis fuerit: Primus eos inter renunciatus, & in Mexiceâ Universitate laureâ insignitus, in eisdem Patriæ dictis Aulis Sacram Theologiam à gravissimis quatuor Viris acceptam, jugique dissertatione altius infixam coluit, adeo ut plausorem meruerit magnum certè Theologum, nec sine laude memorandum Antistitem Angelopolitanum Illmûm D. D. D. Emmanuelem Fernandez à S. Cruce, qui, ut erat litteratum amantissimus, Diœcesisque suæ boni studiosissimus, nocturnis Collegiorum, penes Palatium ædificatorum, collationibus aderat, atque è notis sibi provectioribus Nostrum cum alijs in Fundatorem Eximij D. Pauli Theologorum Collegij adscivit. Gradu Mexici accepto in Sacrâ Facultate, utrique dare operam Juri constituit, & Civili primùm totos quinque Academicos annos addiscendo posuit egregio successu lauroque obtentâ; mox Canonicum nihilo minus auspicatò aggressus est, ad extremumque duxit, & gradu clausit, minoribus quatuor quæ tulerat insignibus, majora Doctoratus adjiciens, primùm rubeo pro Imperialibus Legibus pileo ornatus, post viridi, quæ Ecclesiastici professioni juris respondet, infulâ institutus.

656 Interea loci, omnigenâ ut ditesceret & selectissimâ eruditione, Bibliothecam sibi haud exiguam, amœnissimam certè paravit, è qua diu noctuque frequẽtatâ, egregias tulit opes, in dies exercitatione, studio, ingenio, & memoriâ ad stuporem usque crescentes. Et quidem ad humaniores quòd attinet litteras & Latini sermonis elegantiam & copiam, ita antiquores evolverat Poetas, Oratoribus asuefierat, Historicos triverat & Politicos, nullus ut ipsi inter eruditissimos sua ætate Mexici degentes, aut præferri potuerit aut ęquari, quod reminiscimur judicium de ipso tulisse nobiscum familiariter colloquentem virum ut in Theologia & Oratoria, sic etiam in Poetica & omni litteratura secundum nemini P. Lucam del Rincon Societatis JESU. Porrò tanta nostro Latinè dicenti ubertas erat & afluentiâ sententiarum & testimoniorum opportunè ad res, de queis agebat, traductorum amœnissimâ varietate sociata, ut his tempestivè usus, etiam

etiam è Cathedra quotidianas auditoribus lectiones exponens juris, eosdem floridis irretiret illicijs, invitaretque plures audiendi ergo Magistrum sapidissimâ austeriores scholarum controversias varietate condientem, inspergentemque pulcherrimis dictis & phrasibus.

657 Adhæc, quod solennius profitebatur, utrumque Jus diligentissimè, cùm in Academia, tractabat tum etiam in Foro, causarum Patronus ab Regio Senatu publicâ conclamatus approbatione, indeque plurimis & majoris momenti negotijs deditus agitandis, sæpe Causidicum agens, sæpe Judicem: nam & Exmûs Dux Alburquerquius, Novæ Hispaniæ Pro-Rex oculatissimus, D. D. Franciscus Fernandez de la Cueva, Assessorem eum juris dicendi causâ voluit & perpetuò habuit, & eodem nomine eo ad multos annos usi fuere Consules Mexicani pro negotiorum litibus extricandis, & Regium Auditorium in Provinciam ipsum Jucatani dimissit Commissarium & Visitatorem Generalem, gravissimarum causâ rerum, queis, superato mare & pacatis difficultatum fluctibus, exactè providit: Illmî. item Archiepiscopi Mexicani suis eum delegationibus cohonestarunt D. D. Seixas, Ortega, & Lanciego: atque is quem postremo novinavimus loco, Vicarium suum generalem designavit, quod supra decennium munus strenuè gessit, & Diœcesis Gubernatorem quoties Præsul visitationi incubuit, scilicet frequentissimè.

658 In tot verò occurrentibus, intricatis planè & invidiâ plenis negotijs, latas inter ad eo sententias, & ad Delegatos appellationis remedio deductas, ne una quidem abrogata aut irrita fuit. Tanta ille doctrinâ pollebat, prudentiâ, & in decernendo jure constantiâ, gravioris momenti litigijs lectione superaddita productiore & meditatione, adeo ut amico suo P. Joachimo Antonio de Villalobos Societatis JESU Theologo, fassus ingenuè fuerit, mox ut sententiam tulerat contra reum de homicidio proditorio convictum, in Ecclesiamque confugientem, nullum ex his Authoribus quos pro Immunitate Fiscalis Ecclesiasticus coacervaverat Libello edito, non à se fuisse lectum studiosissimè (sunt autem illi 28) imò decem insuper alios evolvisse similiter, ut subinde priusquam sententiâ ferret, in ea obfirmaverit se ad aras facientem & proximè communicaturum. Candidatum postquã egerat doctissimis petitionibus Cathedrarum, multas successivè tenuit utriusque Juris, quibus regendis totos posuit annos 26, donec Antecessoris Primarij & Emeriti Juris Canonici honorem tulit. Pro Canonicatibus itidem Officij, ut dicuntur, Angelopoli Mexicique decertans, Doctoralem omnium calculis suffragantium adeptus in Ecclesiâ Metropolita-

tanâ, cui jam adſcriptus fuerat, Præſbyter factus, inſignitus Præbendâ, & Vicarius Archiepiſcopi conſtitutus. His ſanctè defungens muneribus, Eccleſiæ ſuæ juribus vindicandis operam dabat, fovere pia quæque cordi ſibi erat, & ſcandalis obviam ire, quæ nonnunquam in ampliſſimam Urbem tentarant irrepere.

659 Exemplo erat omnibus vitâ Eccleſiaſtico viro Præſulique digniſſima. Quotidie ſacris operabatur egregiâ pietate, Monialibus in ſpiritu dirigendis nonnullis aderat, facilem ſe audiendis confeſſionibus dabat, pauperes miſericordiâ complectebatur, eleemoſynisque ſubſidio erat, quibus reditus ſuos omnes addixerat, non modò propinquos, ſed verò etiam extraneos, ut ut poterat, juvans, parciſſimè ſibi & modeſtiſſimè providens. His porro cœterarumque exemplis virtutum unà cum præclaris, quæ memoravimus, dotibus egregium ſibi nomen paravit, amorique Reipublicæ erat & venerationi. Ab Illuſtri Proto-Parentis D. Petro Congregatione Abbas adſcitus fuit, & apud Fidei Conſiſtorium Mexiceum, penes quod jam diu carceratorum Patrocinium ſuſceperat, Conſultor eſt creatus, & mox Archiepiſcopi Mexicani nomine Judex Ordinarius.

660 A Catholico Rege noſtro Philipo V, nil tale cogitans, deſtinatus Archiepiſcopus Manilenſis Eccleſiæ, quæ primas tenet in Philippinis Inſulis, honorem quamvis à ſe deprecari egregium tentarit, conſulenti tamen & inſiſtenti ut acquieſceret Mexicano Præſuli ſuo Illmô. D. D. F. Joſepho de Lanciego, annuit tandem, à quo Catholico ritu 17 Junij anno 1725 conſecratus, ad uſque 1728 opportunam trajiciendo mari navem præſtolatus & ocaſionem, interea Mexici Epiſcopalia peragens miniſteria, in Aſiam ſe contulit. Priuſquam verò Manilenſia attingeret littora, aut Marianas inviſeret Inſulas, moroſis forte ventis & alijs caſibus, ad incultas etiamnum alias appulit Gentilium frequentia Indorum haud ignobiles, è quibus pluſquam mille ſacro expiavit fonte auſpicatam illis & ſibi gratulans ſortem, eamdem que ſummis votis,quæ reliqua erat turbæ optans, precatus Deum, uti in multam illam meſem operarios immitteret. Erat quidem eximio lucrandarum zelo animarum, ut ſubinde eis totum juvandis ſe dederit, ubi conſtitutus Manilæ, Eccleſiæ ſuæ regendę nervos & omnes conatus intendit. Univerſam Diœceſim non ſemel &iterum, ſed tertiò etiam viſitavit, paſtoralibus crebro à ſe excultis officijs, quantas pro redituum tenuitate poterat eleemoſynas pientiſſimè adjiciens, ægrèque ferens non omnibus poſſe, ut ex animo optabat, egentibus ſubvenire.

661 Doctiſſimas habebat cõ-

ciones in Dei gloriam, Sanctorum decus, & animarum profectum collimantes, quas pro eximiâ eruditione & eloquentiâ ad horam, longeque amplius protrahebat. His & alijs, quæ oculatissimum decent Pastorem, mãcipatus, destitui cœpit viribus, zelo in primis tabescens, eo nomine, quòd non sibi suppeterent, quas enixè discupierat, vię & facultates, cùm pro amplificandâ in conterminis nationibus Fide, tum etiam oppitulandi miseris, & ofendicula aliquot submovendi, ut pro inde ab 5 Octobris 1729 morté præsagierit sibi, quam præstolatus, domui suæ disposuit & familiæ modestissimæ, atque Ecclesiasticis Sacramentis egregię sensu pietatis munitus, animam Deo reddidit 13 Novembris anno 1729, ętatis suæ 61, & 10 mensibus, 9 que diebus. Corpus ejus 18 ejusdem Novembris in Cathedralem Metropolitanam suam Ecclesiam elatum magnificâ pompâ, cunctisque merentibus & Sacris & Prophanis Ordinibus, quibus fuerat humanitate & omni virtute acceptissimus Præsul insignis, sepultum fuit. Cor ejus, pro ut in postremis tabulis ordinaverat, Mexicum ad S. Laurentij Monasterium Virginum delatum, instaurato funebri apparatu, comitatuque frequentissimo & nobilissimo exceptum fuit Ecclesiasticis precationibus & Declamatione, quam è sacro suggestu dixit, appositissimâ Doctor & Magister D. Joseph de Elizalde, quondam semel & iterum Mexicanæ Academiæ Rector, atque Ecclesiæ Metropoliticæ Præbendatus, quæ edita fuit Mexici apud H. V. Francisci Rodriguez Lupercio 1731. Tum Academico ritu, Doctorum Confessus, & Collegiorum atque Scholarium cœtus in Sacello suo amplissimo Doctori & Antecessori Emerito cum primis memorando, solennissimè parentarunt, vespere Oratione Latina à Doctore Professoreque Juris D. Ignatio de Mesa politissimè elucubratâ, mane autem Hispano Sermone, cui strenuam dedit operam Doctor Theologus juxtàque Moderator ejusdem Facultatis D. Emmanuel Antonius de Luyando, peractis sacris, queis bene defunctorum animis Catholico ritu precamur. Adhæc publica itidem alia reddita fuere justa beneficentissimo Principi, ab Oratorianis Patribus, quos maximi fecerat, amoreque fuerat prosequutus & operâ: Ab Excalceatis Provinciæ S. Didaci Franciscanis, Carmelitis item nudipedis S. Alberti Provincię, Mercedensibus Regijs Sodalibus Provincię à Visitatione dictę, Illustri Proto-Parentis Divi Petri Congregatione, cui præfuerat Abbatis titulo; cœteris religiosis Ordinibus tanti jacturam viri dolentibus, in primisque Societatis JESU Patribus, queis vivens Carolus, siquis ullus, fuerat dilectione junctissimus,

mus, quosque in oculis tulerat. Nec ſegniùs Angelopolitani doloris argumenta dedere, civem ſuum ornatiſſimum, ut par erat, luctuoſiſſimè proſequentes. Edidit habitas à ſe Romano ſermone, quas ſubnectimus Orationes his titulis.

Funebris declamatio in parentatione P. R. M. A. pijs manibus Illmî D. D. D. Joannis Cano Epiſcopi Jucatanenſis. Mexici, 1695 in quarto.

Regia parentatio exorans pios manes Sereniſſimæ Mariæ Aloyſiæ Gabrielæ de Emmanuele & Sabaudia, Hiſpaniarum Reginæ deſideratæ. Mexici, Litteris H. V. Michaelis de Ribera 1715 in quarto. Extat in Libro, cui titulus: *Floræ planctus*, unà cum alijs Regij funeris monumentis Mexiceis.

Parentalis declamatio in Regio luctuoſiſſimo funere Ludovici Ferdinandi pijſſimi Regis Hiſpani hujuſce nominis primi: ante ortum & poſt obitum in tenera ætate deſiderati. Mexici, ex Calchographia Joſephi Bernardi de Hogal 1725 in 4. Habetur in Libro *Stellarum planctus* inſcripto, qui Opuſcula exhibet omnia ad proſequendum amantiſſimi Regis funus in Cathedrali Eccleſiâ Mexiceâ recitata ſcriptaque. Recuſę ſunt mox dictæ Orationes uno Volumine operâ D. Didaci Antonij Bermudez de Caſtro Regij ac Publicij Notarij & Scribę, Illmî. Authoris cognati: Angelopoli ex Typographia V. Michaelis de Ortega anno 1731 in quarto.

Hiſpano ſermone edidit à ſe habitam Manilæ Concionem de S. Ignacio de Loiola hoc nomine:

Charitas abſque exemplo, Magnus, in cunctisque mirabilis S. Ignatius de Loiola Societatis Jeſu Fundator. Manilæ in Typographia D. Sebaſtiani Lopez Sabino 1729 in quarto. Extat in Collect. noſtris tom. 7 prodijtque nuncupata Illmô. D. Decano & Capitulo Eccleſiæ Mexiceæ à P. Didaco de Otazo Societatis JESU Collegij Manilenſis Rectore.

Ex ineditis ejus Academici Libri hæc nobis offerunt.

Commentaria in Titulum de Exceptionibus, extra, libro ſecundo.

Commentaria in Titulum de Probationibus, extra, eodem libro.

Commentaria in Titulum de Pactis, lib. 6.

Commentaria in Titulum de Ordine cognitionum.

Commentaria in Titulum de Reſcriptis in 6.

Commentaria in Titulum de Conſuetudine in 6.

Commentaria in Titulum de Teſtamentis.

Commentaria in Titulum de Judicijs in 6.

Commentaria in Titulum 14 de Officio & poteſtate Judicis, &c.

Commentaria in Titulum de Præſumptionibus lib. 2.

Commentaria in Titulum de Appellationibus eodem lib.

Com-

Commentaria in Titulum de Sententia & re judicata.

Quæ recensita sunt Commentaria à multis Authoris Discipulis custodita, signatim fuisse penes D. Joannem de Imaz Esquer, vel certè pleraque, ab ipso accepimus, dolente de amissis charissimis sibi Voluminibus, quæ commodata Sodali cuidam, quo sint in præsentiarum loco divinare haud potest.

Scripsit præterea maternâ linguâ

Allegationes in Jure multas & varias.

Consultationes diversorum argumentorum.

Latio verò sermone

Prælectiones & Orationes.

Quas ut certum est conscripsisse plures & vernantissimas, sic incertum ubinam inveniantur, an verò penitus interciderint.

Meminit ejus P. Julianus Gutierrez Davila in Monumentis Historicis Congregationis Oratorij Mexicanensis part. 1. pag. 35 n. 77 & part. 3 pag. 92 n. 232. Item P. Lucas del Rincon in præcitato Florę planctu fol. 46 & 47, & D. Josephus de Villerias in citato itidem Planctu stelarum pag. 107 & 108. Memoratus autem supra D. Didacus Antonius Bermudez de Castro ejus edidit Parentationem funebrem pagg. 112. Illmî. acta viri insinuantem laudantemque. Angelopoli, litteris V. Michaelis de Ortega anno 1731 in quarto.

662 D. Carolus Celedonius Velasquez, Natione Mexicanus & Patria, Collegij Tridentini Metropolitanę Ecclesię nostrę à S. Paulo & Purissima Conceptione nuncupati, alumnus, Grammaticam inibi, Rhetoricam, Philosophiamque coluit, atque Academicâ ornatus laureâ Theologię se dedit, cujus itidem gradum tulit. Apud memorati Gymnasia Collegij Eloquentiam professus est, semelque & iterum Philosophię Cathedram moderatus sexennium in ea docendâ posuit. Ubi Rectoris vices egerat, Rector ipse varijs datus Parochijs fuit, quas, pręvio candidatorum concursu, tenuit perpetuo titulo, primùm ei præfectus quæ Zumpahuacam audit, post Xaltocam dictæ, atque in pręsenti de Capuluac nominatę, in queis suas strenuè partes implevit, non in idiomate Mexicano minus peritus quam in gravioribus disciplinis. Scripsit

Cursum Philosophiæ juxtà PP. Thomistarum systhema elucubratum, cujus sunt penes Discipulos exemplaria.

Prælectiones itidem & *Conciones varias* quas Mss habet.

663 D. Carolus Lopez Torrijas, Natione Mexicanus, in Angelopolitana, ut remur, Diœcesi ortus, gradibus Magisterij in Philosophiâ & Doctoratus in Jure Canonico insignis fuit apud Academiam Mexiceam, cujus inter numeratus Antecessores, pe-

periculo multoties in palęstrâ sapientum facto, multaque cum candidatis optimis contentione, Moderator suggestus pro Clementinis interpretandis fuit institutus. Hac propterea se abdicavit Provinciâ, quòd Angelopolim ejusque Parochias petierit, & à S. JOSEPHO nuncupatæ, quæ in eadem Urbe satis clara est, præfectus fuerit, atque Ecclesiastici titulo Judicis cohonestatus pro Testamentorum Operumque piorum causis decernendis & accurandis. Scripsit prout ex Annalibus novimus Academicis

Commentarium in Clementinas de Rescriptis.

Commentaria in Clementinas de Electione & electi potestate.

Meminit ejus Plaza in Chronicis Universitatis lib. 5. cap. 35. n. marginali 535.

664 FR. CAROLUS MENA, Natione Mexicanus, Vallisoleti Jucatanensium sortitus cunabula, Franciscanis Patribus de Observantia Seraphici Instituti ibidem florentis se addixit. Ut erat sacris litteris doctus, & in gentis idiomate vernaculo peritus ac elegans, Indis voce profuturus scripstisque, eorum linguâ usus condidit

Sermones & Opuscula varia,

Quæ pluris facta sunt à Parochis cœterisque Sacrorum administris, ut testis est Jucatani Chronographus P.F. Didacus Lopez Cogolludo lib. 10. cap. 20. pag. 604. quo loci memoriæ commendat, Nostrum morti proximum, dum Guardianum agebat Cœnobij de Mococha, Sodalem monuisse, uti Encyclicas coram se litteras exararet obitus sui nuntias, statim atque ipse spiraret, datis unicè superadditis, circum Provinciam omnem mittendas. Ejus item memoriam habet D. Antonius de Leon Pinelo, in Epit. Bibliot. Occident. novis. Edit. col. 727.

665 D. CAROLUS DE SIGUENZA ET GONGORA, Natione Mexicanus & Patria, si quis ullus, benemeritus de ipsa; Humanioribus litteris apprimè eruditus apud Societatis JESU Gymnasia, adeo excelluit in eis, ut 17 ætatis anno heroicum Poema *Ver Indicum* nuncupatum in laudem floridissimæ Guadalupiæ Imaginis Mexicanæ Deigenitricis Virginis composuerit, quod adultior typis commisit, etiamnumque vernat hispani carminis elegautiâ. Philosophiâ altè ibidem imbutus, instructusque egregiè Theologiâ, postmodum ab Mexiceæ Universitatis Aulis Jus Canonicum avidissimè hausit, atque his animi dotibus, Historiæ adjecit Criticæque culturam, & in Mathematicis disciplinis eruditionem profectò eximiam, ab celebrioribus ejusdem Professoribus sua ętate in Europa florentibus deincepsque magni habitam. Tantum certè sibi comparaverat nomen, ut (quod à gravissimis viris suis æquali-

bus jam pridem accepimus) Christianiſſimus Galliarum Rex Ludovicus XIV Eruditorum hominum æſtimator eximius, ſuorum ipſum litteris invitaverit, ſe ut in Regna conferret Gallica doctiſſimis florentiſſima Profeſſoribus omnium Scientiarum, auctumque iri opibus & honoribus. Juſtis ipſe de cauſis in Patria detentus, decori ei & ornamento futurus eximio, ab Carolo II Catholico noſtro Hiſpaniarum Rege atque Indiarum potentiſſimo Imperatore Regius Coſmographus fuit inſtitutus, multisque dignatus ſchedis.

666 Mathematicas in Univerſitate noſtra totos 20 annos profeſſus, Emeriti tandem honorem tulit, atque ab eruditis è Cathedra diſcipulis multis hauſtam doctrinam in poſteros ſuam propagavit. Hæc inter, Academicis alijs negotijs operam impertivit: nam à ratiocinijs inſtitutus fuit, cui diu muneri incubuit: &Triumphum Parthenicum edidit,eruditum ac pulchetrimum Librum de Puriſſima Deiparente ab originario crimine immuni, egregijs pietatis juxtà & ingenij ſignis ab Schola Mexicanenſi ſolenniſſimè celebrata: & Chronographus ſponte ſua, Academiæ ductus amore & Patriæ, oblatus; quamvis multis diſtentus curis, cæptam ductamque ad dimidium Hiſtoriam, imperfectam, quod valdè eſt dolendum, reliquerit.

667 Porrò Americæ eruendis antiquitatibus deditus, priſcorum monumenta Indorum diligentiſſimè conquiſita, evolvit, & qua erat juſtiſſimâ Criticâ, Hiſtoriarumque accuratâ & multâ lectione, revocavit ad trutinam, atque in Libros à ſe conditos varios multosque traduxit, quibus abdita & offuſa caligine in Solem tradidit & meridiem. His conficiendis Idioma imbiberat Mexicanum, & quæ OEdipo eget ingenioſiſſimo, Scientiam penitiſſimè calluit Hyeroglificorum, Characterum,& Imaginum,queis Septentrionalis Americæ incolæ litterarum vice utebantur, resque ab uſque ipſarum primâ in hunc Orbem trajectione celebriores memoriæ prodiderant. Eiſdem uſi Symbolis, ut fuerant Arithmeticæ peritiſſimi & Aſtronomiæ, Circulos dedalæo planè artificio formaverant, quorũ ſingulis ſingula ob oculos ſecula dabant, & quæ in eis cumque memoriâ digna evenerant, ſeu cœleſtia eſſent, Solis Lunæque defectiones & Cometes, ſeu politica & militaria, verbo, inſignia quæque graphicè appoſitis figuris ſignabant.

668 Innumeros & pulcherrimos iſtiuſmodi Libros Indorum, Mappas vulgo dictos, tum convolutos in orbem, tum aliter fabrefactos, jam inde à Mexicanorum per Hiſpanos expugnatione, Religioſiſſimi viri zelo quidem egregio ducti, pari tamen ignorantiâ rerum quas illę chartæ exhiberent, diris flammisque devo-

devoverunt, veriti superstitionibus scatere, suspicatique Idola esse Imagines illas quibus Volumina consultissimè & ad res natas scripta fuerant. Hinc procedente tempore rariores fuere id genus Libri superstites aliquorum diligentiâ Indorum clam ipsos tenentium, ut qui nossent immunes illos esse labis, nec à Catholicâ, quam susceperant, Religione proscriptas esse Historias gentilium, Annales, Commentaria, Adversariaque, ut à callentioribus Christianis acceperant & Præsbyteris. In tanta verò istiusmodi raritate monumentorum, non nisi immanibus sumptibus incredibili que diligentiâ Carolus multa coacervavit Volumina, pretiosioraque nactus fuit dono inclyti in paucis D. Joannis de Alva Regio Tezcucanorum sanguine geniti Indi, qui accepta à majoribus diligentissimè custodierat, atque ut erat eruditus, callebat exactè, consuetudineque ducta cum Nostro, hunc moriens testamenti voluit executorem, & charissimarum sibi chartarum atque insignium Librorum legatarium.

669 Nec verò Siguenza his alijsque exquisitissimis avarè fruebatur, quin imò libèns cum eruditis, etiam exteris, communicabat, ut testis est D. Joannes Franciscus Gemellius Carerius, Italus, qui quo tempore girum peragens Orbis, Mexici egit, rarissima ab eo gentis accepit, quæ Volumine suo sexto explicatè tradit, haud ingratâ animi adversus Carolum significatione. Pari in Observationibus Mathematicis suis manifestandis liberalitate erat, quæ in causa fuit, ut ægrè tulerit, haud urbanè tractatum esse à P. Eusebio Francisco Kino Societatis JESU è Provincia Babariæ, de quo conquestus est in Libra sua Astronomica respondendi ergo eidem elucubratâ.

670 Certè tanta erat dives eruditione, varia, amœnissimaq, scribendi promptitudine, stylo quidem pulchro juxtàque gravi, facili ut negotio Libros multos condiderit, longèque plurimos exarasset, si aut pro typographicis sumptibus facultates ei fuissent, aut, qui has sufficerent, Mecœnates. Favebant illi quidem Pro-Reges, Auditoresque Regij, atque unà cum Archiepiscopo Ecclesiastici Ordinis viri gravissimi, quibus tamen pro modestia sua ipse ad id negotij onera nunquam fuit usus, vixque non invitus Amicis Opuscula deposcentibus edenda concessit, quæ in scrinijs abdiderat, ut is testatur qui Libram Astronomicam typis commissit ære suo D. Sebastianus de Guzman & Cordova, Regiâ insignis Mexicanâ Procuratione, in ejus Libri procemio. Cœterà Author cupidus publicandi raras admodum à se erutas Americanas Antiquitates, ægrè ferebat elucubrationes illas queis diu nimis què insudaverat, singu-

gulares, secum iri sepultas, ut in Paradysi Occidentalis Procemio lamentabatur.

671 Antiquis vindicandis vigilabat & asserendis schedis impendio neutiquam contemnendo: quam obrem funestissimâ nocte 8 Junij 1692 conflagrantibus Ædibus ijs Mexiceis, in quibus publica Urbis tabularia custodiebantur, totaque Civitate susque deque versâ à tumultuantium Indorum copiâ effrænatâque indignatione, nil ipse veritus, illuc se cum propinquis contulit, atque multâ stipe erogatâ, cum operis egit, ut admotis scalis fenestras ascenderent, pluresque ab incendio Libros eximerent, quos secum detulit, dolens tamen plerosque vindicari potuisse minimè, & demum in cineres evasisse.

672 Amori adversus litteras, quem innuimus eximio, Christianæ prætulit vitæ studium, eà ut moratissimum decet Præsbyterum ad extremum piè & honestissimè ductâ, Capellanum agens annos 18 Hospitalis domus de Amore Dei, quo in munere suam ipse Dei & proximi dilectionem, cœteramque virtutem palam exposuit. Confessiones excipiebat, eruditè concionabatur, æstuabatque zelo animarum, Indorum potissimum, quorum delectatus consuetudine pro imbibendis abstrusioribus gentis Historijs, consulturus saluti, ab imis evelli radicibus ebrietatem vellet, plurimorum causam malorum, quæ ab hausto regionis vino, Pulque dicto, promanant, cœterà ad virtutem aptissimos homines miserè corrumpente, dirisque propterea devoto. His percharus nominibus Illmô. Archiepiscopo Mexicano V. D. D. Francisco de Aguiar & Seixas, eleemosynis à se publicè erogandis præfectus fuit, quas ille ordinatè ad Valetudinarij atrium fœminis pannosis catervatim accurrentibus distribuebat. Judicibus item Fidei gratissimus, cùm pro Librorum revisione institutus, tum etiam ad gravissima alia admotus negotia, strenuam commissis sibi navabat operam.

673 Adhæc Excmi. Comitis de Galves D. D. Gasparis de Sandoval Mexicei Pro-Regis Decreto 12 Januarij 1693 eximiam ejus in Mathematicis omnibus peritiam facientis maximi, volentisque ejusdem uti operâ in gravissima expeditione Regis & publicæ causæ plurimum referente, jussus est comitem ut se daret spectatissimo Clasis Americanæ Præfecto D. D. Andreæ de Pes in Sinum Mexiceum navigaturo, ejus explorandi describendique causâ. Rem latè narrat D. Gabriel de Cardenas, in Prolusione Chronologica ad Historiam Floridæ generalem decade 19 anno 1693 à pag. 308 quam summis nos labris attingamus par est. Martij igitur 25 à Veræ-Crucis Portu, in navi à Guadalupia Virgine nominata, solventes, in statio-

tionem demum à S. Maria de Galve ex tunc dictam, antea vulgo que Panzacola, ubi accessere, undique ipsam Noster terra mari que lustravit, Promontoria dintinxit nominibus, è queis unum ab eo Siguenza dici socij voluere, quod hodieque audit, extructâ ibi munitissimâ Arce & trecentorum collocato præsidio militum. Recessus aperuit, Flumina, Fluvia que navigavit, Terras circunspexit conquirendorum Indorum ergo, ipsarumque notitiam hauriendi, queis agnomina dedit, non nulla inde traducta quòd similes Mexicanis aliquot locis sint visę, ut qui Iztacalco, amœnissimo propè Mexicum Pago lintre multiplici quotidie frequenti, & qui Baratillo in Urbis Foro nuncupatus fuit ab hæterogeneis multis nullius pretij rebus inibi venditatis. Sacrum ut erexerat in terra Vexillum Crucis, alijsque Christianæ pietatis officijs operam dederat, tabelæ suæ geographicæ institit conscribendæ. Tum ultra progressus comitatusque Præfecto & naucleris, Movilam explorandam petivit; insuper insigne Flumen Misisipi dictum aggressi fuere, quod porrò immensa deciduorum multitudine arborum, obicibusque alijs detenti, dimetiri, ut in votis habebant, prætermisserunt: De quo verba fecerat in Tropheo Hispanę justitiæ pag. 75 P. Hennepim Capuccinum Gallũ propterea carpens, quòd in Luisiana sua scripserit terras illas fluvium que Misisipi, aliàs de la Palizada, Hispanos latuisse, qui tamen jam diu in Historias hæc redegerant à se perlustrata.

674 Ea Carolus defunctus Provinciâ, Mexicum repetijt solitaque exercitia, atque Historicam, quam inferius dabimus, Descriptionem mox à se visæ Panzacolæ & Movilæ appositissimè elucubravit. Tandem molestam per annum ægritudinem ita tulit, ut mirantibus Medicis, acerbos inter dolores, Ecclesiastici pensum officij solverit, viribusque defectus, ad isthæc Religionis nervos intenderit. Frequentissimè animum expiabat confessione, cœlestiq reficiebat Synaxi. Multa pro se fieri sacra jussit, stipe constitutâ, eo quo ægrotabat tempore, pluraque itidem agenda post mortem disposuit. Infirmis ut defunctus auxilio esset & Medicis, intima corporis sui ope Chirurgi secti, explorari atque accuratissimè dispici voluit, è queis grandior avulsus fuit calculus Ilias que dolorum. Penes vitę terminum constitutus, Societatem JESU, quam retrò coluerat, intimèque dilexerat, nuncupatis votis amplexatus est.

675 Postremas pijssimè tabulas condidit, facultates, nec opulentas quidem, nec verò minimas, non in consanguineos tantùm pauperes, sed in alios & pia loca distribui jubens, pro ut ejus, què mox nominabimus, nepos fide-

delissimè est executus statim ab obitu avûculi, qui excesserat die 22 Augusti anno 1700, ætatis suæ 55. Funus ejus actum solennissimè fuit in Collegio Maximo Societatis JESU, assistente Doctorum Consessu, & gravissimâ multorum coronâ, ejusque corpus in Sacello à Purissima nuncupato repositum. Scripta ejus plurima fuere, quibus utinam vel ineditis frui liceret dolentibus nobis pleraque aut latere in alicujus puteo Democriti, aut, quod deterius erit longè, irreparabili intercidisse litterariæ Reipublicæ damno. Edita recensebimus primùm, quibus Manuscriptorum series accedet. Sunt illa quidem Poetica, Symbolica, Panegyrica, Philosophica, Mathematica, Historica, Concionatoria, Critica. Hispano sermone typis commissit

Ver Indicum, Poema sacrum Epicum, idæam Guadalupiæ Mexiceæ Deiparentis Virginis Imaginis, è floribus miraculo jam pridem depictæ. Mexici, anno 1668 in octavo. Rursusque apud V. Bernardi Calderon 1680 in quarto. Vernantissimum sane, Opusculum qui legit, nemo non dicit, mirarique subit Authoris ingenium floridissimè numeris ludens ante 18 ætatis annum, atque suaveolentibus flosculis præcocibus & multigenis, proludens edendis mox à se opimis sapiendissimisque eruditionis fructibus. Extat tom. 58 collect. nostræ.

Decora Queretari in novâ Ecclesiasticorum sub titulo Sanctissimæ Mariæ de Guadalupe ibidem erectâ Congregatione, Temploque magnifico à fundamentis ejus nomine condito, sumptibus & pietate D. Joannis Caballero & Ocio Præsbyteri. Mexici mox dictis litteris & anno in quarto. Opusculum est Historicum Panegyricumque, amœnissimâ narratione Urbem Queretaro nuncupatam in Mexicanâ Diœcesi sitam amplissimam ornatissimamque describens, atque excitatum ibidem Templum Guadalupanæ Virginis nomine structurâque augustum ob oculos ponens, & Clericorum illustris admodum Sodalitij frequentata inibi instituta graphicè pingens, unà cum habitis solennissimâ in Dedicatione sacris festis, publicisque spectaculis & poeticâ Concertatione.

Politicarum Theatrum Virtutum Principem constituentium, atque è priscis erutarum Mexicanis Imperatoribus, quorum effigies ornatui fuere Triumphali fornici à Nobilissima Regique obsequentissima Imperiali Civitate Mexicea erecti, excipiendi ergo Pro-Regem suum Excmum Comitem de Paredes, Marchionem de la Laguna, &c. D. D. Thomam Antonium Enriquez de là Zerda, &c. Mexici, ex eadem Calchographia anno 1680 in quarto. Liber hîc, symbolicus juxtà & historicus ac poeticus, eximiam hominis prodit eruditionem, cùm à Romanis, cæterisque Scriptoribus haustam, tum abstrusiorem lon-

longè, quàm ab Mexicanorum Annalibus improbo labore multorumque annorum ſtudio comparaverat ſibi, quaque opportunè uſus, antiquorum Americæ noſtræ Imperatorum virtutes politicas imitandas Principibus obtulit, Præludijs tribus doctè in anteceſſum Theatri conſcriptis.

Triumphus Parthenicus ab Regia & Pontificia Univerſitate Mexicanenſi in gloriam Sanctiſſimæ Deiparentis citra hæreditariam noxam genitæ, celebratus eo biennio, quo ad clavum Academiæ ſedebat D. D. Joanes de Narvaez, mox Primarius Sacrarum litterarum Interpres, &c. Mexici, litteris Joannis de Ribera anno 1683 in quarto. Politiſſimum & omnigenâ conditum eruditione Volumen hocce Mexicanæ Academiæ adverſus Deiparentis Virginis Conceptionem Puriſſimam officia pietatis eximię, ingeniorum monumenta pulcherrima, pompamque feſtiviſſimam refert, quæ biennio illo adjecta fuerat jam pridem habitis ea de cauſa non ſine multo apparatu feſtis, quibus annuatim mirè creſcentibus, Octiduum ſucceſſit graviſſimum, hodieque quotannis in honorem Immaculatæ Virginis inſtauratum. Id præterea Operi pretium addit, quod geminam exactè Concertationem Poeticam palam afferat, in eundem plaudendi conceptam ſine crimine Deiparentem ſcopum tendentem, excriptis cùm Latinis, tum Hiſpanis carminibus, quæ à floridiſſimis profecta Muſarum cultoribus, viſa fuere judicibus palmam cœteris, contemnendis neutiquam, præripuiſſe. Adhæc, monumenta alia lector inveniet ab Academicis ſuſpicienda viris eo nomine, quòd multorum illuſtrium Doctorum Imagines & acta prę ſeferant, opportunè captâ occaſione ab id temporis dedicatâ pro Scholaſticis actibus novâ Aulâ ampliſſimâ ornatiſſimâque, Immaculatę Virginis plauſibus frequentari auſpicatiſſimè cæpta.

Paradyſus Occidentalis beneficâ & liberali Catholicorum admodum & Potentiſſimorum Hiſpaniæ Regum noſtrorum manu plantatus & cultus in magnifico Regio Cœnobio à Jeſu Maria Mexicano. Mexici, formis Joannis de Ribera anno 1684 in quarto magno. Hiſtoria eſt abſolutiſſimaRegalis Monialiũ Conventus, cujus conditionem & incrementa Vitasque V. M. Marinæ à Cruce, & aliarum virtutibus florentiſſimarum Sororum accuratiſſimè Author exponit, faſſus in Prœemio, ſtrictiores ſe Hiſtoriæ conſcribendę leges obſervaturum, quas ad unguem ſervaſſe Opus ipſum edocet, ſive ſtyli caſtitatem elegantiâ conjuctam velis, ſive in enarrandis rebus methodum aveas, ſive, quę primas in Hiſtoria partes habet, veritatem exoptes, pro qua indiganda, quotquot editi Libri uſui eſſe poterant, evolvit ac legit, monumentaque pluſquam cen-

centum, & dicta testium adjecit, quos non semel examinavit.

Expositio Philosophica adversus Cometes imperij expoliatos quod habuerant in timidiores, Mexici, 1681 in quarto. Opella hæc excusa fuit occasione Cometæ usque à dimidio fere Novembris 1680 apparentis, atque, ut fit, panico terrore plerosque occupantis, credentes sinistra Orbi illum insolitæ figuræ ignem & inauspicata ominari, quo ut eos metu liberaret & præjudicio Noster, pro egregiâ suâ & in Mathematicis & in Historicis eruditione, brevem luci publicæ dedit Codicem. Quòd autem Opusculum hocce tres habuerit oppugnatores, qui impressis illud dissertationibus sunt aggressi; eorum uno despicatui habito, ut qui toto cœlo à Mathematicâ erraret & Philosophiâ, duobus alijs respondit Apologeticis statim viriliter & sapienter ornatis, primo quidem inedito, de quo infra memoriam habebimus; edito altero, quod mox subdimus, hoc titulo

Libra Astronomica & Philosophica ad quam D. Carolus de Siguenza & Gongora Cosmographus & Mathematicus Regius in Academia Mexicanensi revocat nedum ea quæ adversus Expositionem Philosophicam in Cometas suam opposuit R. P. Eusebius Franciscus Kino Societatis JESU; verùm ea etiam quæ R. P. ipse opinatus est, demonstrasseque credidit in Expositione Astronomica Cometæ anni 1681. Mexici, ex Officina V. Bernardi Calderon 1690. Quamvis enim Liber hic anno 1682 prælo paratus fuerit, ut ex Approbationibus & Licentijs eo anno subscriptis cernitur, Authore tamen modestè obsistente publicationi, latuit in Amici scrinio ad annum usque 1690, quòd pristinis homines præjudicijs malè sibi cæperint auspicari ab viso matutino Cometa majori Decembris parte præcedentis anni 1689. Amicus porrò ille Nostri, cui acceptum debemus aureum hunc Librum sumptibus suis excusum, fuit D. Sebastianus de Guzman & Cordova, Hydrographiæ & Nauticæ peritissimus, quas ab insigni Mathematico Hispano D. Francisco de Ruesta hauserat, totosque annos 26 in praxim duxerat felicissimè, Mexicique similiter procurationi Regiæ vacabat. Nec eo tantùm ipsi sumus obstricti nomine, sed his etiam quòd multos Caroli Libros à se lectos testatus fuerit in Procemio Astronomicæ Libræ præfixo, à se politissimè concinnato, ubi eorum argumentum pandit & nucleum.

Historica narratio evētuum Americanæ Classis de Barlovento dictæ, penes extrema anni 1690 & initia 1691. Victoria adversus Gallos aquilonaria Hispaniolæ littora occupantes, ab Insulæ Hispanis militibus sub ejusdem Classis præsidio obtentâ, Portu Guarico Pagisque finitimis flammâ correptis, fovente providente

que Excmô. D. D. Gaſpare de Sandoval, Cerda, Silva, & Mendoza, Gomite de Galves, &c. meritiſſimo Pro-Rege, Gubernatore, & Duce generali Novæ Hiſpaniæ. Mexici apud H. V. Bernardi Calderon 1691 in quarto. Hancce Hiſtoricam narrationem ſcribendi officium idem Excmûs. Pro-Rex injunxit Noſtro, traditis ei Epiſtolis & Diarijs exactiſſimis ad ſe miſſis ex Hiſpaniola, queis uſus Opuſculo majoris operæ mox ſignando proluſit. Nomen quamvis Caroli non præſeferat, eum tamen Authorem habuiſſe indicat & dictionis character & editionis, Pegaſum in fronte gerentis, qua ille teſſera Scripta ſua omnia & Ephemerides annuas ſignabat: Tum etiam Pro-Regis cum eo conſuetudo, ejus ad id genus negotia unius calamo utentis. Extat t. 59 Collect. noſt. in quarto.

Hiſpanæ Trophæum Juſtitiæ in Gallicam animadvertentis perfidiam apud Hiſpaniolæ littora. Mexici, typis H. V. Bernardi Calderon 1691 in quarto. Narratio eſt hiſtorica & pulchra eorum quæ fortiſſimè ab memoratæ Inſulæ Hiſpanis geſta fuere adverſus obſidentes & incurſantes ripas ſuas Gallos menſe Jannuario 1691, Americanâ illuc claſſe appellente 9 Novembris prȩteriti proximè anni, ipſam ducente D. Hyacintho Lopez Gixon.

Infortunia Alphonſi Ramirez circum per Orbem euntis, Mexici eiſdem formis 1693 in quarto.

Mercurius volans & novam Mexicum reſtauratam præſeferens. Mexici, mox dictis Calchographia & anno.

Orientalis Planeta Fvangelicus, Epopeya Sacro-Panegyrica Indiarum Apoſtolo magno S. Franciſco Xaverio. Mexici, è Domo D. Mariæ de Benavides 1700 in quarto. Prodijt egregium Poema iſtud poſthumum curis D. Gabrielis Lopezij de Siguenza, Authoris, eo tempore recèns mortui, nepotis, qui ſcriptum ab avunculo Codicem ante 32 annos, jamque ex tunc 14 Auguſti 1668 approbatum ab Illmô. D. D. D. F. Antonio de Monroy è Generali totius Prȩd. Ord. Magiſtro Archiepiſcopo Compoſtelano, ea tēpeſtate illuſtre Mexiceum Collegium de Porta-Cœli regente, multisque Poema & Authorem laudibus efferente.

Deſcriptio Sinus S. *Mariæ de Galve* (*antea Panzacola dicti*) *Movilæ, Fluminisque de la Palizada, aut Niſiſipi ad ſeptentrionalia Mexicanæ ſtationis, quo ductus fuerat ab Excmô. D. D. Andrea de Pes, Regij Indiarum Conſilij Gubernatore, tunc cùm Præfectum Americanæ claſis de Barlovento agebat.* Mss poſtquam ea deſcriptione uſus fuerat D. Gabriel de Cardenas Cano pro ſua Chronologica ad generales Floridȩ Hiſtoriam Proluſione, impreſſam in folio ſe vidiſe teſtis ipſe eſt in ejuſdem Libri Iſagoge.

Heroica D. Ferdinandi Cortezij pie-

pietas; Opusculum editum esse testatur D. Caietanus de Cabrera in Gentilitijs Mexici, ejusque fragmentum proposito suo opportunè transcribit pag. 334. n. 663. à cap. 10 n. 114 ejusdem Opusculi.

Prætermittimus annuas, quas edebat Astrologorum ritu solito Prædictiones, id est Libellos neutiquam pænitendos, pro anni tempestatibus idque genus tradendis, quos accuratissimè elaborabat, dicere solitus, citra piaculum oscitanter scribi non posse, fumosque & nugas Reipublicæ venditare, ac per negligentiam ementibus illas imponere.

Et de typis excusis Nostri Libris hactenus.

Inedita reliqua sunt nobis, de quibus & memoratus mox Caroli nepos in Nuncupatoria Xaveriano Poemati à se data, memoriam habet, & dudum laudatus Editor Libræ Astronomicæ, in Proœmio, & Betancurtius, in Cathalogo Authorum & Monumentorum quæ sibi usui fuere pro Theatro Mexicano, atque in hujus Antecessu, post Monitum ad Lectorem, habetur; & Siguenza ipse Noster in Præfationibus memorandis, à se conditos attestatur. Sunt illa porrò.

Bellerophon Mathematicus contra Chimæram Astrologicam D. Martini à Torre. Is fuit Mathematicus alter ille, qui Expositionem Philosophicam Nostri adversus inauspicatos Cometas oppugnandam suscepit, cuique laudato urbanissimè, & apud Jucatanum in Portu Campeche agenti, Opusculum destinavit, argumentis satis superque illius occurrens, ut ipse in Libra sua Carolus monet pag. 19 n. 28: de quo que Guzmanius scripsit, subtiliora quæque Trigonometriæ pro Cometis vestigandis invenienda in eo esse, dolens intercidisse pulcherrimum alium

Tractatum, seu Methodum à nullo tunc usque Professorum Matheseos abhibitam pro Solis defectionibus computandis in gradu nonagesimo idque genus alia oppidò subtilia & abstrusa complexum.

Illmûs D. D. D. F. Antonius de Monroy in Censura superius à nobis memorata, unà cum Poemate Xaveriano Oppellam Nostri aliam approbat, quam inter edita ejus vidimus nunquam, cuique titulus fuerat

Apologeticum pro Vere Indico, seu de Guadalupia Imagine Poemate.

Ciclographia Mexicana, seu Annus Mexicanensis, id est, Methodus pro censendis annis, mensibusque & diebus putandis, quam & Mexicani & universim politiores Septentrionalis Americæ Indi adhibuerunt, usque ab eorum in ipsam migratione, duce Teochichimecatl, paulo à Babylonicâ confusione Linguarum. Opus hoc non quidem magnæ molis, at moliminis certè maximi, improbique laboris, & eruditionis vastissimæ, à se lectum

ctum, testatur, laudatus supra D. Sebastianus de Guzman & Cordova. Porrò abstrusissimas & antiquitatis caligine involutas computationes is unus Siguenza bono in lumine potis fuit collocare, qui immensæ de priscis Indorum rebus eruditioni, eorumque chartarum & ænigmatum scientiæ multorum diligentiæ annorum comparatæ, aliarum pe-ritiam Historiarum adjecerat, insignemque in Mathematicis disciplinis doctrinam. Hinc factum, ut Orientalium Nationum in constituendis annis ordinem, quem habuerat perspectissimum, cum antiquissimorum Mexicanésium tabulis composuerit; rebus res comparaverit: atque à notatis in Kalendario Indico Solis Lunæque defectionibus, Cometisque insignioribus, quæ non nisi tali anno & tali postdiluvianis observata ab Astronomis fuere atque in Libros redacta; recta demum consecutione Mexicanæ initia Nationis, nostratumque epocham Americanorum circiter post divisas in Orbe è Babylonica confusione gentes intulerit. Quod & præcitatus Guzmanius, & Editores Authoresque Epitomes Pinelianæ col. 778 monuerunt; quibus addimus Doctorem Joannem Franciscum Gemellium Careri Italum, in Orbis gyro à se tertium cuso Neapoli apud Felicem Mosca 1721 part. 6. lib. 1. cap. 6. pag. 60. Siguenzam laudantem cùm ab eruditione & diligentiâ, tum ab urbanitate & liberalitate in rarioribus & pretiosissimis Indicarum rerum notitijs secum communicandis, cui que accepta refert quæcumque in eo sexto Volumine de Mexicanorum antiquis monumentis scribit. Signatim toto eo cap. 6. à pag. 50 usque ad 61. Ciclographiam Mexiceam explicat Italo sermone, atque ob oculos ponit pulcherrimâ laminâ Circulum demonstrante, ut à Nostro acceperat, Mexicanorum annum, ingeniosissimè appositis Symbolis, à priscis excogitatis Indis nostratibus præferentem. Atque, ut qui viderat Librum, in eo Siguenzam uti Sacræ paginæ testimonijs, Indorum traditionibus, depictis chartis & Hieroglificis gentis singularissimis, testis est. Multa prætereа in eodem Volumine Gemelius capp. 4. 5. 7. 9. alijsque ex his refert quę ab Amico suo Siguenza dono habuerat.

Indicati hactenus Nostri fontes in eximium Opus alterum excreverunt, de quo & ipse Siguenza meminit in Præfatione ad Paradysum Occidentalem, ominans, non absque egregio dolore suo, secum illud consepeliendum; & Guzmanius in sępius memorato Proœmio à se lectum fuisse, paratumque prælo testatur; ex quibus & Betancurtio, in Epitom. Occid. Bibliot. col. 713. abijt, notantibus editoribus, haberi etiam Libri memoriam in Additionibus Mss Bibliot. D. Ni-

Nicolai Antonij. Titulus verò Operis ita habet hiſpano ſermone

Imperium Chichimecum in Septentrionali America conditum à primo in eam deducente coloniam Theochichimecatl, auctum amplificatumque ab Ulmecis, Tultecis, & Acolhuis; raptum denique ab Mexicis Culhuis, &c. Titulo reſpondebat Opus, quod Nationes inter diſcrimina ſignabat, unius mores cujuſque ritusque ferebat, & ad militiam ſpectantes, & poltica concernentes, & ſacris devotos. Accedit eâdem linguâ

Occidentis Phenix S. Thomas Apoſtolus, nomine Quetzalcoatl, inter antiquarum cineres traditionum inventus, conſervatus in lapidibus & carminibus Tultecorum, & Theochichimecorum ac Mexicanorum canticis. Hujuſce pariter Libri Author ejus Siguenza in præfatione Paradyſi Occidentalis; & Guzmanius in Procemio Libræ Aſtronomicæ meminere, itemque Betancurtius dato ſupra loco, & in Epitome Occid. Bibliotheca, Pinelus unusque ex illis Libris erat prælo diſpoſitis, quos ęgrè tulit Carolus non in publicum Theatrum exire. Ejus Argumentum in prædicationem S. Thomæ Apoſtoli ad Septentrionalem uſque Americam noſtram productam inquirebat, atque multis undique conquiſitis momentis, primùm Apoſtolos per omnem, quà late patet, Orbem effuſos Author probabat: mox Americam noſtram non perinde antiquis incognitam penitus fuiſſe agebat; denique S. Thomam, è duodecim Apoſtolis unum, in eam migraſſe, quem nomine Quetzalcoatl, Indi ſignaverant, collatione utriuſque factâ, nominis, veſtimenti, doctrinæ, vaticiniorumque concludebat; expenſis quæ peragravit locis, rimatis relictis à ſe veſtigijs, portentisque in lumen eductis, è diſcipulis, ut minimum quatuor in hiſce Regionibus chriſtianè inſtitutis.

Theatrum S. Metropolitanæ Eccleſiæ Mexiceæ, quod magna ex parte ſcriptum jam à ſe eſſe monuit in Præfatione Paradyſi Occidentalis: cujusque præcitatus Guzmanius atteſtatur multa ab Authore abſoluta & polita jã eſſe: multa in Notis habita, nec pauca adhuc deſiderari è plurimis quæ ſibi Carolus ornanda præſcripſerat, hoc eſt, omnibus naturalibus, politicis, ſacris, militaribus, & minutioribus quibuſque ampliſſimæ Urbis Mexiceæ, quam deperibat, Patriæ ſuæ ornamentis, in queis ſummatim inuendis pluſquam integram paginam Guzmanius inſumit; & hoc opinamur Theatrum nomine Hiſtoriæ Mexicanæ ab nepote memorato Caroli deſignari, ex his quæ ſubdit ad intexendam illam paratis. Et niſi fallimur Theatri hujus fragmenta ſunt folia ſex, quæ vidimus in Oratoriana Bibliotheca Mexicea, Caroli pulcherrimâ litterâ, quam noſcimus, ſcripta, & cum multis alijs monumentis Mss compagina-

nata eorum Tom. 2 in folio. Nam & Academiæ Mexicanæ natale solum, & Valetudinarium à Purissimâ Conceptione dictum, Cortezij sumptibus & pietate constructum, idque genus alia duodecim ille paginæ continent.

Historiam Regiæ ac Pontificiæ Universitatis Mexicanensis primo inter Mss loco Nepos ipse recenset, quam ad medium usque asserit ductam fuisse, latereque ipsum ubi aut penes quem tandem illa esset; apud se autem habere dicit

Historicam narrationem seditionis Indorum Mexici factæ anno 1692.

Testimonia & Opuscula multiplicis argumenti;

Variæ eruditionis Tomos 5 in 4. Opellis majorem partem Siguenzæ constantes, & aliorum consuetudine ac ingenio junctorum sibi Sodalium, dono se dedisse Medicinæ professori notissimo D. Ignatio de Anzures, è cujus defuncti Bibliothecâ in quâ migraverint ignoramus.

Animadversiones marginales in Historiam Mexiceæ Expugnationis Bernardi Diaz del Castillo, itemque in Libros Monarchiæ Indicæ P. F. Joannis de Torquemada, Nepos ipse Gabriel, Amico, cujus reticet nomen, Novę Hispaniæ Historiarum amantissimo, usui esse voluit.

Tribunal Historicum addimus, cui ultimam Carolus manum imponebat eò tempore, quo D. Josephus de Lezamis, Mexiceæ Cathedralis Ecclesiæ Parochus, Vitam S. Jacobi Apostoli conscribebat, ut is in Procemio ad Lectorem inquit, atque ex Opere illo, Critico certè, se accepisse asserit quod in altera à se condita Vita Illmi. D. D. Francisci de Aguiar & Seixas, obiter insinuaverat, primam Mexici ędificatam Ecclesiam fuisse Parochiam S. Jacobi nomine insignem, eo in solo quod in præsentiarum Cœmeterium est Cathedralis Ecclesiæ, seu amplissimum ejus Vestibulum, ut testimonijs Antonij de Herrera, Torquemadæ, Ferdinandi Cortezij, & Bernardi Diaz del Castillo, alijsque monumentis Siguéza è Tribunali illo pronuntiat.

Historiam Provinciæ Carolinæ dicendæ, vulgo appellatæ de los Texas, Amplam ipsam esse à se absolutam Carolus ipse docet pag. 72 Trophæi, tuncque edendam cum ei visum fuerit, qui scribere jusserat, Excmûs. uti remur, Comes de Galve, Pro-Rex. Eam mores incolarum & religionem, politicam, cunctaque gentis lectoribus exhibere ibidem subjunxit

Genealogiam Imperatorum Mexicanensium inter Mss, Nostri recenset Pinelus col. 599 ex Betancurtio, in Theatro Mexicano part. 1. tract. 1. cap. 23. pag. 52. n. 184 & 189 testante jam pridem eruditissimè intextam ab Amico suo Siguenza, è cujus Codicibus ea ipse libarat, quę ibidem incidenter tradiderat. Utrum autem Opus hoc pars sit alterius de

de Imperio Chichimecorum, an omnino diversum; parum quidem interst, nec divinare licet.

Vitam Illmi. D. D. D. Alphonsi de Cuevas Davalos Archiepiscopi Mexicani inter Mss. Caroli Pinelus enumerat col. 840 Betancurtium citans, qui in de Civitate Mexicea tractatu pag. 25. n. 126 sperabat à Siguenza edendam, ipseque Siguenza in Triumpho Parthenico fol. 87. col. 2. vitâ comite, se eam scripturum promiserat; suspicamur tamé, alijs præpeditum elucubrationibus & negotijs, Vitam illam inter optata reliquisse, quòd à nullo hactenus audierimus voti tandem hujus compotem fuisse, inhiantesque plures Vitæ, quam scimus scriptam à D. Bartholomæo Rosales, Siguenzanum nullibi Codicem suspicentur.

Tractatus de Sphœra 200 circiter folijs constans ipsiusque Siguenzæ charactere exaratus, quondam apud Bibliothecam PP. Franciscanorum de Tlatelolco erat, qui & si nos fugerit, asservatos in ea Codices indagantes, inibi visus fuerat à D. Francisco de los Rios, Tertij Seraphici ordinis, Bibliopola, viroque multâ eruditione pollente, fideque dignissimo, qui ea de re, si opus esset, jurato testimonio ferendo paratus erat.

Oratio Funebris panegyricaque celeberrimæ Mexicanæ Poetriæ Joannæ Agnetis à Cruce Monialis ad S. Hieronymi litteris & virtutibus celebrandis inedita inter Caroli recensetur, quam Orationem eruditam & egregiam appellat Illmûs. D. D. D. Joannes de Castorena ad calcem Tomi tertij Operum Joannæ Agnetis, quorum editionem accuravit apud Mantuam Carpentanorum. Hîc porrò, occasione nobis oblata, libet Hispanam poesim lectoribus dare ejusdem notissimæ Poetriæ, inter editas non extantem, ad Nostrum transmissam officij ergo quod Politicarum Theatrum virtutum ab ipso recèns editum dono ei miserit.

Dulce canoro Cisne Mexicano,
cuya voz si el Estigio lago oyera,
segunda vez â Euridice te diera,
y segunda el Delfin te fuera humano.
Aquien si el Theseo muro, si el Thebano
el ser en dulces clausulas debiera,
ni â aquel el Griego incendio cõsumiera,
ni â este postrara Alexandrina mano.
No el sacro numen con mi voz ofendo,
ni el que pulsar divino plectro de oro,
agreste vena concordar pretendo.
Pues por no profanar tanto decoro,
mi entendimiẽto admirá lo que entiẽdo,
y mi fè reverencia lo que ignoro.

Ad extremum, Scriptis Caroli subnectimus aliorum quæ ipse ingenti sumptu & labore collegerat authographa monumenta, testamento suo consignata Maximo SS. AA. Petri & Pauli Soc. JESU Collegio Mexiceo 28 Voluminibus comprehensa, quę nepos ejus & exsecutor statim sapientissimis PP. tradidit unà cum selectissimis alijs Libris 470 omnibus ab avunculo itidem eis lega-

gatis, ut in Nuncupatoria superius memorata Orientalis Planetæ scripsit. E Mss his duodecim in folio Voluminibus, 8 in Bibliothecâ vidimus ejusdem Collegij instructissimâ, cœteris nos fugientibus, aut forsan aliò translatis, aut inibi quidem existentibus, nullo tamen pro eis distinguendis signo tanquam Collectionis Siguenzanæ corporibus, aut demum furtim ablatis. Octo illa Volumina in folio hunc in Bibliothecæ sillabo titulum habent: *Historia Mexicana*. Ex illis gemina Ephemerides sunt à Martino del Guijo Præsbytero Mexicano collectæ, de quo Authore & Opere in loco dicemus. Tria hoc præseferunt nomen: *Fragmenta Historiæ Mexiceæ*. Quæ sunt reliqua ejusdem argumenti multiplices Codices exhibent; atque ex his omnibus habemus antiquas Historias, pristinasque Indorum Scriptorum reliquias, partim elucubratas, partim collectas à D. Ferdinando de Alva, Regij generis & multæ eruditionis Indo: à D. Dominico Chimalpain, Indo itidem prænobili & docto, & ab alijs in decursu nominandis, quas perspectas habuit, & è quibus profecit Eques Laurentius Boturini pro Catalogo suo Musæi Historici.

Jam, ut eos sub aspectum simul ponamus qui Nostri in editis libris meminere cum laude, sunt ij. Doctor D. Joannes Franciscus Gemellius Careri, Italus, in Opere supra memorato part. 6. lib. 1. cap. 6. pag. 60. & lib. 2. cap. item 6. pagg. 149 & 151 & alibi. Nominatus mox Boturini in Idæa novæ Historiæ generalis Americæ Septentrionalis pag. 48. §. 8. n. 3. & pag. 54 § 10. n. 5. & pag. 125. § 16. n. 22. pag. 43. § 6 n. 5 & in Musęo suo, signatim § 4. n. 5. & § 24. n. 6. & § 35. n. 5. D. Salvator Josep Mañer in Antitheatro Critico Tom. 2. Volumine 1. discurs. 7. pag. 123. primos eum inter Hispanos Mathematicos jure recensens. Betancurtius jam supra allegatus: D. Antonius de Leon Pinelo in Epit. Bibliot. Occid. additæ multis in locis, videlicet col 581. 599. 601. 609. 706. 713. 743. 755. 778. 840. 859. Illmûs. D. D. Castorena insinuato jam tom. 3. Joannę Agnetis Operum. P. Franciscus Florencia in Hist. Guadalupanæ Virgineæ Imaginis cap. 15. fol. 94 col. 2. n. 194. & n. 195. 200. P. F. Isidorus Felix de Espinosa in Chron. Apost. & Seraphicis Collegiorum de Propaganda Fide Ord. S. Francisci, statim pag. 1. & alibi. D. Caietanus Cabrera, Opere & locis citatis. Editor Authorque admodum accuratus & eruditus pulcherimi Libri de Indorum Novi Orbis origine à P. Gregorio Garcia Ordinis Prædicatorum jam inde ab anno 1606 conditi: Nostri eximio meminit cum honore pagg. 308 & 310. Editionis

nis Madritanæ Francisci Martinez Abad 1729. D. Gabriel de Cardenas indicatis superius locis. Plaza in Chronicis Universitatis Mexiceæ Lib. 5. cap. 16. n. 204. Et alibi.

676 D. CAROLUS DE TAPIA CENTENO, Natione Mexicanus & Patria, inter alumnos Regij Tridentini Seminarij Collegij Metropolitanæ Ecclesiæ à S. Paulo & Purissima Conceptionē nuncupati, adscriptus, post navatam Humanioribus litteris operam, Philosophiam excoluit atque Theologiam, & utriusque laureas Facultatis in Academiâ Mexicanensi merito tulit. Adhæc, geminum, ex Americæ nostræ vigentibus, Idioma penitissimè calluit, Mexicanum videlicet & Guastecanum, quo nomine, doctrinæ haud quaquam vulgari conjuncto, & decentibus Parochum moribus, Curio datus est canonico titulo Ecclesiæ de Tampamolon dictæ, multis ab Urbe nostra dissitæ parasangis, Judexque Ecclesiasticus à Diœcesano Prĕsule fuit institutus. Utrique exactissimè incubuit muneri, ut authenticis documentis fit palam. Parochialem cæterasque subjectas sibi Ædes sacras refecit, multisque ornavit. In Sacramentorum administratione sedulus & populorum instructione christianâ, multis pro tradendâ doctrinâ, vitijs eradicandis, & fovendâ pietate agebat concionibus Guastecanâ linguâ à se habitis. Ut est autem illa scitu pronunciatuque difficillima, præter Cathechismum ea conscriptum à P. F. Joanne à Cruce, Libri erant nulli, ne quidem pro ipsa addicendâ Ars seu Grammatica, cujus notitiam habeamus. Ille primus varios, infra recensendos, condidit editurus, jamque Superiorum jusu revisos & approbatos, obtentisque de more Licentijs, penes se retinet Mss quos attentè evolvimus & perspeximus, quòd is qui sumptus erat suppeditaturus, Mecœnas favētissimus (in cujus aliquando Familia fuerat) Illmûs D. D. D. Joannes Ignatius de Castorena Episcopus Jucatanensis, citius excesserit.

677 Parochiam ultrò dimisit, quam rexerat plaudentibus incolis & conterminis Religiosis PP. Franciscanis, quorum legimus testimonia. Mexici restitutus, Collegium incoluit Præsbyterorum à S. Petro dictum, donec Cœnobio Monialium S. Agnetis præfectus, sacris eis ministrandis operam dare cœpit, pergitque in præsentiarum. Tum in Universitate, periculo facto, alios inter candidatos Cathedram Mexiceæ Idiomatis regendam petivit, Antecessorque Perpetuus fuit renunciatus. Porro, quotidianis prĕlectionibus Academicis docendi ergo auditores illùc imbibendi gratiâ Mexiceæ linguæ confluentes, instituendis similiter Collegij Seminarij, memorati superius, alumnis Magister ab Illmô. Ar-

chiepiſcopo conſtitutus, alias itidem quotidie lectiones adjungit. A Secretis perilluſtris Divi Petri Congregationis jam diu eſt, atque ut litteras graphicè & facili negotio depingit, id muneris, aliaque expeditè negotia pertractat, interque Examinatores Synodales cenſetur.

Scripta ejus ſupra inſinuata, à nobisque viſa hęc ſunt.

Notia Idiomatis Guaſtecani, ſeu Grammatica pro eo addiſcendo.

Cathechiſmus, ſeu Doctrina Chriſtiana eo idiomate tradita, & juxtà S. Concilij Mexicani decretum diſpoſita.

Enchiridion, ſeu Manuale itidem Guaſtecanum pro Sacramentorum adminiſtratione.

Dictionarium Guaſtecano-Hiſpanum.

Procemij loco Tractatum habet hiſpano ſermone

Paradigma Apologeticum, in quo Regionem Guaſtecanam, hactenus ob intemperiem aliaque incommoda malè audientem, vindicat, accurata deſcriptione, criſique eruditâ, evellendi ergo præjudicia, invitandique Sacerdotes in ejuſdem incolarum culturam. His annectimus Mss

Sermones varios, tum hiſpano, tum Mexiceo, tum Guaſtecano idiomate ſcriptos, in ſcrinijs ſuos habitos. Edidit

Artem pro imbibendâ Linguâ Mexicanenſi, è ſuggeſtu dictatam. Mexici, typis V. D. Joſephi Bernardi de Hogal 1753. in quarto.

Pollicetur in hujus Libri procemio

Dictionarium Linguæ Mexicanæ copioſum.

Sacramentorum materias, formas, eorũdemque adminiſtrationem, Cathechiſmum & Chriſtiana dogmata ad ſalutem neceſſaria idiomate itidem Mexicano.

678 F. CHRISTOPHORUS DE AGUERO, Natione Mexicanus, Parentibus Petro de Aguero & Bernardina de Avila, è S. Ludovici à Pace Urbe noſtra oriundis, genitus, apud Antequeram Goaxacenſium Ordinem Præd. in Cœnobio S. Dominici profeſſus eſt 20 Octobris anno 1619. Statim à tyrocinio egregium virtutis & doctrinę ſpecimen dedit; quo abſoluto, initiatusque Sacerdotio, imbibendæ linguæ Zaapotecanæ Vallis ſe dedit, quam adeò perfectiſſimè calluit, loquebatur, & ſcribebat, ut ejuſdem Cicero audierit: Tanto verò ejus uſu fuit in prædicatione Evangelica, ut meritò gradum ConcionatorisGeneralis in eo Idiomate tulerit, priuſquam tradendæ Philoſophiæ præfectus fuerit. Hujus Cathedram, concurſu facto candidatorum in memorato Antequerenſis Cœnobio, Scholarum more petivit & tenuit:moxque ut fauſtè auſpicatum Curſum abſolverat, Theologiam tandiu ibidem docuit, donec præſcriptos pro ferendâ Magiſterij laureâ annos explevit, ſuâq poſtulante Provinciâ id honoris fuit aſſecutus. Dein Præceptor inſtitutus Zaapotecani Idiomatis, illud Sodalibus non ſine fru-

fructu exposuit, Indisque juvandis in sacrorum administtatione, quam pridem tenuerat, ex animo incubuit. Ubi varias Familiæ Domos egregia laude rexerat, Primario, hoc est, Antequerensi Cœnobio non semel & iterum, sed tertiò etiam Prior datus est annis 1654, 1660, & 1671 electus. Magnis, quę molitus est & perfecit, ædificijs inclaruit, nec minus efulsit à religiosâ in alendis fratribus abundantiâ, qua in obeundis ministerijs illos redderet alacriores. Provincialis quamquam munus non exercuerit, tulit tamen honores, pro ut in Comitijs Ordinis generalibus Romæ habitis anno 1670 cautum fuit sequenti edita Ordinatione pro *Goaxacensi* Provincia: *Rationem habere volentes laborum ac meritorum R. A. P. Mag. F. Christophori de Aguero, qui per quadraginta annos Ministerium Apostolicæ Missionis inter Indos tam laudabiliter, tamque fructuosè exercuit, Librosque perutiles pro omnibus Evangelij Ministris in lucem edidit: nec non plura beneficia Provinciæ contutulit, tum in officio Prioris Principalium Conventuum, tum in munere Vicarij Provinciæ quod per tres vices obtinuit: Ad ejusdem Provinciæ petionem, Præsentium tenore prædictum R. A. P. M. cooptamus ac numeramus inter Patres Provinciæ ac si extitisset Provincialis &c.* Vivebat anno 1673, scripseratque idiomate Zaapotecano

Miscellaneum Spirituale Idiomate Zaapotecano. Continet autem Liber: *Quindecim Mysteria SS. Rosarij, & pro singulis Orationes: Præcipuas pro Rosarij Confratribus Indulgentias*: *itemque 16 Exempla eò attinentia. Pias aliquot pro vitâ & supremo agone precationes. Cathechismum totius Doctrinæ Christianæ. Methodum pro Sacramentali Confessione, ab ijs terendam, qui eidem operam navant Linguæ addiscendæ.* Mexici, typis Bernardi Calderon. 1666. in quarto.

Panegyrim à se habitam (hispano sermone) *pro Comitijs Provincialibus Goaxacæ celebratis 27 Maji 1666.* Mexici, ex eadem Officinâ eodem etiam anno.

E Facultate concessa pro editione Miscellanei mox dicti ab Illmô. & R. D. M. D. F. Thoma de Monterroso Episcopo Antequerensi eruitur scriptum ab Authore jam fuisse

Dictionarium Linguæ Zaapotecanæ, & Opera alia pro Dei gloria & animarum zelo elucubrata.

Supersũt Authoris manu scripta sequentia.

Evangelia quadragesimalia reddita, ut credimus, *sermone Zaapotecano, laminisque in principio cujusque appositis* in octavo. Extant apud Patres Goaxacenses. Quod tamen Opus usui esse nulli poterit citra S. Inquisitionis privilegium, cujus Regulis Indici Expurgatorio præmissis, Translationes cujusque Sacrorum Bibliorum Libri in vulgaria Idiomata sunt prohibitę.

Hispanâ autem juxtà & Za-

Zaapotecanâ dictione ſcripſit.

De Paſſione Domini noſtri Jeſu-Chriſti. in 4. Habeturque Opuſculum ab eiſdem Sodalibus, ut ex eorum narratione accepimus.

679 FR. CHRISTOPHORUS A S. ALBERTO, Mexicanus ſaltem Domicilio (nam Patria ejus & Natio nos fugiunt) Profeſſione Carmelitanus nudipes Provinciæ S. Alberti Mexiceæ, ſcripſit

De Logica, ſive Dialectica, ſeu de modo ſciendi Libros tres in quarto.

Logicam majorem in quarto.

Nec dubitamus reliquos pro Curſus Philoſophici complemento Tractatus pariter ſcripſiſſe; præter memoratos autem à nobis viſos in Bibliotheca Collegij Theologorum ejuſdem Inſtituti ad S. Angelum alios non invenimus.

680 F. CHRISTOPHORUS DE BARRIOS, Natione & Patria nobis incompertis, Domicilio ut minimum Mexicanus, Provinciæ S. Evangelij Franciſcanorum de Obſervantia alumnus, reliquit in ſchedis, quæ in Bibliotheca Collegij S. Jacobi Tlatelolcani evolvimus

De Virtutibus excerpta varia è Sacris Libris & Eccleſiæ Patribus. in octavo.

681 D. CHRISTOPHORUS BERNARDUS DE LA PLAZA ET JAEN, Natione Mexicanus & Patria, nobilibus uſus genitoribus, ceu Univerſitati natus, cui futurus erat à Secretis in annos plures, in ejuſdem Ædibus, Parenti item Chriſtophoro eo defungenti officio conceſſis, natus 9 Junij 1639, ſtatim ad januam Aulæ Theologicæ ſalutaribus aquis ablutus manu Primarij ejuſdem Facultatis Anteceſſoris, dein Epiſcopi Habanenſis D. D. D. Nicolai de la Torre, renatus fuit, quòd vix ineunti vitæ funus immineret, præmaturèque ad limen ſtaret. Confirmatâ valetudine, atque egreſſus puerilibus annis, latinè inſtitutus, Philoſophiæ operam dedit apud Academiæ & Collegij Maximi Soc. JESU Gymnaſia, donec abſoluto curriculo Baccalaureus fuit efformatus. Tum civilibus negotijs agendis Patris operâ admotus, Prætorem etiam Oppidi de Cempoala egit Pro-Regi Mexiceo commendatus ab Hiſpaniæ Reginâ, tunc rerum potiente, data Schedula 12 Julij 1672, eo nomine quòd claro eſſet ſanguine & majorum geſtis conſpicuus. Ut verò & genitor ejus & avus totos 67 annos exactiſſimè fuerant à Secretis Academicis, plenus Doctorum Magiſtrorumque Conſeſſus 7 Auguſti 1663 Noſtrum, etiamnum vivo Patre, ejus habere vices voluit, illo ęgrâ valetudine præpedito, cum jure futuræ ſucceſſionis, modò Regiam tituli procuraret & teneret confirmationem. Placuit quidem Catholico Regi noſtro Academicum Senatus conſultum ratum haberi, ut ſubinde Noſter annis 15 genitori ægrotanti ſuffe-

fectus, eodem vitâ functo, à die 18 Januarij 1678 proprio nomine id officij sit excecutus, nec sine laude, quòd strenuè usus provinciâ fuerit, Universitatis honori studuerit, piumque ac religiosum se in actis prestiterit. Adversus Purissimam Deiparentis Virginis Conceptionem egregiè devotus, annuos reditus perpetuos designavit pro sextâ celeberrimi octidui agendâ solennissimè die in Sacello Academico ab Regali D. Ildefonsi Collegio, alumnis ejus rem divinam cum cantu facturis, concionaturis, & frequentissimâ, ut fit, eorundem, omniumque Academicorum & Religiosorum hominum coronâ, Immaculatæ Virginis gloriæ applaudentibus, Nostrumque, ut par est, amoris ergo & gratitudinis memorantibus. Eo etiam titulo de Universitate benemeritus fuit, quòd ejusdem monumenta collegerit, & in annos redacta concluserit Volumine in folio à se scripto vernaculo idiomate, cui titulum dedit

Chronica Regiæ & insignis Universitatis Mexiceæ Novæ Hispaniæ ab anno 1553 ad usque 1687. Extat Operis in Libros quinque distributi authographum, pariterque Exemplar, in Archivio ejusdem Universitatis.

D. Antonius de Leon Pinelo in Epit. Bibliothecę Occidentalis Matritanæ Editionis 1738 col. 800. meminit

Enarrationis Mexicanæ Universitatis ejusque Virorum conscriptæ in fol. à D. Christophoro Bernardo de la Plaza, ductæque ad annum 1646 quæ Mss Extat in Bibliot. D. D. Andreæ de Barcia Regij Consiliarij. Utrum autem ea fragmentum sit Chronicorum Nostri, an Opusculum aliud: item, sit nec ne à Nostro profecta, an ab ejusdem Parente eisdem nominibus & agnomine insignito, discernere nequimus, cùm prætermitti potuerit in ea cognomen secundum Jaen, quo uno Christophorum filium à Parente Christophoro fas esset nobis discriminare.

682 D. CHRISTHOPHORUS DEL CASTILLO, Natione Mexicanus, Hispano Parente, Matre Inda natus, Mexici, an alibi nescimus; scripsit, ut videtur, Idiomate hispano

Historiam adventus Indorum Mexicanensium in hanc, quæ Mexicana est, Regionem.

Operis & Authoris meminit P. Franciscus Calderon Societatis JESU doctissimus Theologus, in Libro Mss quem legimus, *de Voragine, à Pantitlam dicta, pro exonerandis Mexiceis lacubus*, cap. 5. inquiens, anno quo scribebat, scilicet 1631 vigesimum quintum compleri post Christophori funus, obijsseque octogenarium, & ejus Historiam Mss servari in Bibliot. Collegij de Tepozotlam ejusdem Societatis.

683 F. CHRISTOPHORUS DE CASTRO, Natione Mexicanus & Patria, claro natus genere, Instituta SeraphiciParentisFrancisci in Provincia S. Evangelij professus est. Latinitate excultus Philosophiâque atque Theologiâ, & pulchrâ dives eruditione, Scholarum palæstram egregiâ cum laude cucurrit Lector Philosophiæ Theologiæque totos annos 15, è quibus aliquot in Universitate Mexicanensi posuit, Subtilissimi Doctoris Cathedræ Antecessoris vice præfectus, reliquos & Angelopoli & apud insigne Divæ Bonaventuræ Collegium Mexiceum de Tlatelolco dictum exegit. Emeriti lauream Magistri adeptus, eidem Athenæo Guardianus est datus, & Generalis studiorum Provinciæ suæ Regens institutus; quæ ipse munera strenuè gessit. Postmodum à Secretis R. Commissario Generali Novæ Hispaniæ sibi esse jubenti paruit, cui ad præsens muneri incumbit. Nec verò, quæ memoravimus, dumtaxat Minervæ exercitijs ita se dedit, ut sacram non multum Oratoriam coluerit, cujus specimen editis Opusculis eruditis exhibuit. Videlicet Latino sermone typis dedit

Parentalem declamationem habitam in celeberrimo S. P. N. Francisci Mexiceo Cœnobio Perillustris S. Evangelij Minorum Eparchiæ die 16 mensis Decembris anni Domini 1736: Ad pios manes Excmi. ac Rmi. V. P. N. F. Joannis de Soto Lectoris Jubilati &c. totius Ordinis Ministri Generalis. Mexici, ex Officina D. Mariæ de Ribera 1737 in quarto. Hatur unà cum alijs ejus Argumenti Opusculis in Codice inscripto: *Americanus planctus Seraphicus*, tom 32. Collect. nostræ.

Vernaculo idiomate edidit Panegyrim hoc titulo:

Magnus citra mensuram, præclarus Patriarcha S. Dominicus de Guzman. Mexici, typis V. Josephi Bernardi de Hogal 1746 in quarto. Extat tom. 3 Collect. nostræ.

Habetur etiam luci publicæ datus Panegyricus alter inscriptus:

Imago Augustissimæ Trinitatis Inclytus Pro-Martyr sigilli Sacramentalis S. Joannes Nepomucenus. Mexici, litteris D. Mariæ de Ribera 1746 in quarto. tom. 4 Collect. nostræ.

Inter Mss servat

Cursum Philosophicum ad mentem Subtilissimi D. Scoti elaboratum.

Tractatus Theologicos varios pro ejusdem systhemate Scholæ conceptos.

Hispanas multiplicis argumenti conciones.

683 M. F. CHRISTOPHORUS DE CERVANTES, Natione Mexicanus & Patria, Regij ac Militaris Ordinis Mercedensis Sodalis, cùm in religiosis Gymnasijs, tum in Academicis magno fuit nomine. Domesticis tyroribus Philosophiâ instituendis atque Theologiâ operam dedit, ut subinde Magisterij lauream jure detulerit, & primarij Cœnobij Me-

Mexicei Commendatorem egerit. Doctorali Theosophiæ infulâ redimitus in Universitate nostrâ, pro ejusdem Facultatis Cathedrâ Vespertinâ regendâ Perpetuus Antecessor fuit destinatus, suffectusque ejus Decessori M. F. Ludovico de Cisneros Ordinis item sui alumno clarissimo, die 21 Februarij anno 1620 ut est in Chronic. Academicis à Plaza descriptis lib. 3 cap. 21 n. 137. Quòd verò nondum id temporis mores tulissent annuas Tractationes Academicas in Librum & Archivium redigere, Nostri quæ fuerint signare non possumus, contenti innuere dictatos ab ipso

Tractatus Theologicos,

Et elucubratas

Disputationes Philosophicas, Concionesque, forsan exituras apud Sodales.

684 Fr. Christophorus Chaves Castillejos, Natione Hispanus, Patria Hispalensis, Studijs Mexicanus & Domicilio, Instituta S. Dominici in Provincia Goaxacensium sectatus est Professione solemni factâ coram Antequerensis Conventus Priore F. Alphonso de Montemaiore 11 Januarij 1601. Humaniores tum, moxque Sacras litteras hausit. Præsbyter institutus, Idioma Mistecæ Nationis Indorum avidissimè imbibit, atque in Sacramentorum administratione & Evangelicâ Prædicatione multis exercuit se annis, illorum salutis percupidus. Generalis Ecclesiastes memoratæ Nationis gradum in Familia sua tulit, Priorque Villæ de Cuilapa renunciatus, ac multis alijs Domibus Vicarius præfectus, religiosę admodum vitæ exemplis sodalibus profuit. Continuam excolendis Libris operam dabat, pręsertimque historicis monumentis evolvendis pro scribendâ Provinciæ suæ Historia ejusdem Chronographi munere insignis, quam ad extremum faustè deduxit duobus grandibus in folio Tomis conclusam. Typis eam commissurus, meritòque immanitate sumptum deterritus Mexici pro excudendo Opere ponendorum, bonâ cum Prælatorum veniâ in Hispaniam navigavit, impendio tamen longe majore, nulloque editionis successu, quòd, priusquam adornare illam cæperit, Hispali in magno S. Pauli Conventu Ordinis sui, è vivis excesserit annos natus 47, ab emissâ professione 32. Porrò inediti Libri,

Historia Provinciæ S. Hippolyti Martyris Ord. Præd. apud Goaxacenses Tomis 2 in folio

Asservantur, atriti licèt, in Bibliotheca Cœnobij S. Dominici Antequerensis de Goaxaca. Elucubrabit præterea egregium Opus aliud insigni studio, multaque constans eruditione, quod inscripsit hispano sermone,

Primæ Indiarum coloniæ Indorum que origo, in folio grandi.

Librum hunc Mss unàque

pro eo publicando licentias invenit Angelopoli M. F. Leonardus Levanto ejusdem Ord. Vir admodum doctus, inter Volumina P. F. Josephi Romero Procuratoris Generalis Provinciæ S. Hyppoliti, Angelopoli degentis, transmissum que in Antequerense Cœnobium, ut ineditus saltem extaret, quando quidem altum jam diu fuerat editionis silentium, in præsentiarum latuisse vestigatorem diligentissimum, ipse dato pro Bibliotheca nostra Catalogo, testis est.

Editum ab Auhore habemus tom. 57 Collect. nostræ in quarto, Idiomate hispano

Sermonem Apologeticum à se habitum in solenni festo à Superioribus & Ministris Nationis Misteca celebrato apud insigne Cœnobium de Yanhuitlam, in gloriosi Parentis S. Dominici ejusdem Nationis Patroni & Advocati honorem & laudem. Mexici, ex Officina Baccalauri Joannis Blanco de Alcazar 1619 in quarto. Præter decora Patriarchæ sui Clarissimi doctè graviter que expensa, Sodales, qui adstabant, Sacrorum Ministros eorundem officij admonet egregio Dei & proximorum zelo.

685 D. CHRISTOPHORUS COLUMBUS, Natione Italus, Patria Genuensis, Novi Orbis detectione, quem ab Hispaniola auspicatus est Insula, Mexicanus jure, si quis alius, dicendus, scriptis quoque in America nostra Litteris, per utrumque, qua latè porrigitur, Orbem notissimus est. Clarissimi, hercle, viri gloriam de inita, incomperta tot retro seculis, in vastissimas Regiones nostras via Apostolicis Prædicatoribus, qui Catholicæ Romanę Ecclesiæ immensa incrementa dedere, ab Evangelici Vatis hemistichio Doctores haud quaquam obscuri mutuantur, Thomas Bocius, Ulysses Albrovandus, Cornelius à Lapide & alij formulam expendentes illam, qua Apostolorum in prædicando successores indigitat quærens: *Qui sunt isti qui ut nubes volant, & quasi Columbæ ad fenestras suas? Me enim Insulæ expectant & naves maris in principio, ut adducant filios tuos de longe: Argentum eorum, & aurum eorum cũ eis nomini Domini Dei tui, &c.* Per inde quasi Columbæ simillimos Apostolicos viros nunciaverit, Columbi sectaturos vestigia, stratæque ab ipso viæ (quam enim verò Deus *fecit in mari equis suis,* seu longissimè per ignota discurrentibus navibus) olim instituros, Ecclesiæ gremio innumeras animas adducturos. Ita res habuit.

686 Apud Fortunatas Insulas jam diu Nostrum consedentem, fortunatiores longè alias ut auspicatò Hispaniarum adferret Regibus, Alphonsus Sanctius de Guelba, nauclerus peritus, Hispanus, è Villa unde ipsi cognomen, in Comitatu Eleplæ in Beticis ortus, convenit, cùm hospitij gratiâ quęrendi, tum etiam egregij Columbi nominis in Nauticâ

ticâ & Cosmographiâ, ut de visis à se ignotis terris, secum colloquerentur, descriptasque chartas communicarent. Dudum siquidem ab Hispania in Fortunatas & proximas Insulas, ut solebat, parvâ vectus navi trajiciens, improbâ abreptus tempestate totos 28 aut 29 dies, tandem aliquando Insulam appulit sibi ignotam (Hispaniolam videlicet) quam consultis ex arte sideribus, atque, ut ut potis fuit, circumspiciens, in adversaria sua & chartas reduxit, signatis itidem omnibus, quæ observaverat redux, per invia maris tentabundè progressus, quousque, Deo auspice, tardius quidem, felici tamen sorte in Fortunatis anchoram jecit. Hæc ubi Columbo narravit, datisque dono ipsi tabulis grati significationem animi, ob oculos posuit Alponsus, is postquam è vivis discesserat; ille quo pollebat ingenio, Nauticæ & Cosmographiæ scientiâ, & de situ ac magnitudine Orbis lectione, cogitare cœpit, delusos eo usque scriptores, qui trans Oceanum terras esse nullas, aut excipiendis ineptas hominibus, obfirmatè crediderant; vestigandasque sibi illas proposuit, de quibus verbo & scripto ab hospite fuerat certior factus.

687 Res erat immensi moliminis, & quæ privati cujusque hominis vires excederet, nec nisi Regis alicujus ope opibusque tentari posset: alijs pro incassum Principibus viris pro Novi Orbis conquisitione invitatis, ridentibusq̃ Columbi systhema, quod fabulis jam pridem adscriptum amandatumque fuerat usque ad Lunæ concava inter Platonica cogitata; ille tandem Catholicos Reges convenit Ferdinandum & Elisabetham propulsandis è finibus suis Mauris intentos. Jussus propterea vergentis ad finem morosi expectare belli exitum, Salmanticam adijt, doctissimos celeberrimæ Academiæ Magistros, in Mathematicis etiam eruditissimos, consulturus, atque in suum, ut posset, sensum, collatis momentis, adducturus. Nec frustratus spe, Dominicanos in primis insignes cogitationi suæ suffragari gratulatus est sibi. Tum reversus in Curiam, reffricatoque memoriâ negotio, pronam in illud Elisabetham Reginam tandem unàque Ferdinandum Regem in suas partes traduxit. Angustum id temporis Regium ærarium sumptibus erogandis pro expeditione, tunc quidem prægrandibus, impar quòd esset, aureis suis & argenteis monilibus pignori datis, sexdecim mille ducatos mutuo Regina accepit, Columboque, præinitis pactis, coemendis navibus, & cœteris parandis exhibuit. Et opportunè dixeris factum, ut è mundo muliebri Novus Mundus prodierit, Columbo in ipsum strenue inquirente. Armatis siquidem tribus celocibus, milites centum

tum viginti secum, prætereaque navitas & operas ducens, è Portu Palos de Moguer nuncupato 20 Augusti 1491 solvit, Deoque magneticum Indicem gubernante, tandem 11 Octobris ejusdem anni Insulam Cubam inter & Floridam mediam, Lucayos nuncupatam, ab gentilibus verò Guanachini, detexuit: Inde Barucoam, Cubæ Portum, mox Insulam Hasti dictam, quæ Hispaniola est, aliàs S. Dominici tenuit, gentisque Principem amicitiâ sibi conjunxit. Facili subinde negotio Arcem inibi ædificavit, quam designato à se Duci præsidiarijsque commisit, nec absque auro & rarioribus avibus, rebusque alijs, & Indis decem, illùc remeavit unde quinquaginta retrò diebus solverat.

688 Tum Barchinonem invisendi Reges Catholicos gratiâ convenit, à quibus humanissimè exceptus, Architalasus perpetuo titulo, Pro-Rex, & Dux Generalis Indiarum auguratus fuit, multisque auctus honoribus, & gentilitijs theseris Castellum, Leonem, Orbemque præferentibus, quibus lemma hispanum in posterum additum: *Por Castilla y por Leon Nuevo Mundo hallò Colon.* Hisce Reges eximiâ perfussi letitiâ Catholici, cum nihil antiquius haberent, quam Dei gloriam augere, & Ecclesiam amplificare, in ejusdem caput Romanum Pontificem devotissimi & obsequentissimi, Alexandro VI, tum sedenti, datis litteris rem aperiunt, à quo amplissima munerati Constitutione, quæsitas tuncusque Insulas, conquirendasque deinceps, & continentes terras, hoc est, Novum Orbem, destinatis sanctè limitibus dissidij cum Lusitanis cavendi gratiâ, injunctisque hauriendis ab Apostolico Rescripto Legibus & oneribus, perpetuâ donatione accepère.

689 Secundum hæc naves 17 multo impendio paratas Columbo Præfecto committunt, in quas 1500 fere milites invehunt, agricolas, operas, pecora, grana cœteraque victui & politico conventui apta superimponunt: in primis autem Sacerdotes è Clero Seculari 12, & Monachum Benedictinum, Buylium nomine, Vicariatuque insignem Pontificio, pro recèns detectis gentibus christianè instituendis dimittunt. E Gadibus solventes 25 Septembris 1493, salutatâ primùm in itinere quam Dominicam apellarunt, Insulâ, & alijs in transcursu relictis, Hispaniolam 28 Novembris, tenuere. Vix autem Portum à Nativitate dictum ingressi cum Columbo Sodales, aliò immigrare compulsi sunt, quòd & Ducem & milites ibidem relictos ad unum occissos omnes, aut incendium ligneis admotum domibus evasuros, fluctibus obrutos resciviss ent. Urbi Elisabethæ ibidem Insulæ, quò migrarunt, ædificatæ, Christophorus Jacobum ger-

germanum suum fratrem præfecit, Hispanorumque magnam partem reliquit, intimiora ipse lustraturus Provinciæ, in qua Arcem S. Thomæ tumultuario licèt opere, erexit, præsidiarijsque tradidit.

690 Elisabetham repetens, ei ubi adornandæ sarciendæq intendit, nobilium aliorumque invidiá incurrit, gravatè injuncta sibi opera & molestè ferentium; queis sedatis, 24 Aprilis 1494 inscensâ nave, ductisque in comitatu duabus, conquisitionem redorditus est cæptam, nec sine fructu adinventæ Jamaicæ, Insularumque aliarum, queis in chartam reductis, se in Elisabetham Urbem 29 Septembris recepit. Interea loci, turbatæ res fuerant, Hispanis aliquibus criminandi ipsum ergo in Europam abeuntibus, Indis autem in advenas rebellantibus, & aperto Marte decertare gestientibus. Centum mille pedites in campum de la Vega Real dictum, adversus Hispanos numero quam longissimè inferiores & impares 5 Aprilis anno eiusdem seculi 95 descendère; multaque strage fusi, victoribus nostris in prędam cesserunt. Adhæc, non diu post, Quæsitor Regum dimissus jussu, comparuit, qui jactata adversus Nostrum à criminatoribus explorarer; ut verò acerbius inquirere cœperat, & quam par fuisset durius agere cum Columbo, is sui vice Bartholomæo fratri, qui non ita pridem advenerat, Insulæ demandato regimine, celoci se dedit 10 Martij anni 96 suam apud Reges causam acturus. Perhumaniter acceptus ab eis nihili calumnias facientibus pristinas, & quas ille ipse Quæsitor deduxerat, qui secundâ vectus item celoce prosecutus fuerat Columbum; suo hunc muneri restitutum voluere, auctumque honoribus, facultatibus, & octo navigijs, multoque & victu & ære pro operis & militibus; quibus tempestivè usus, auxilio fuit colonis Hispaniolæ, tunc temporis extremâ annonæ gravitate conflictatis, duabus statim navibus eò amandatis. Reliquas ipse 30 Maji anno 97 ducens è Luciferi fano solvit, & conquirendi Orbis Novi proposito institit. Ad Portum Sanctum jactis anchoris, inde in Gomeram venit, mox tribus in Hispaniolam navibus commeatu dimissis, totidem, quæ reliquæ erant, ulterius processit in Insulas ad Promontorium viride sitas, è quibus littora continentis adlambens, terram ipsam penes Julij finem memorati anni reseravit, & quam latissimè ripas ejus à Paria ad Promontorium de Vela porrectas aperuit, sinum Margaritarũ, Margaritamque Insulam, pluresque alias intuitus, opportunè in tabulis suis & chartis signavit.

691 Sextilis 15 lassatis nautis operisque cunctis prælongo & difficili itinere, Noster eam obré, tum etiam quòd Hispaniolæ negotia ipsi vellerent aurem, eò velificandum esse constituit. Et certè

tè res primatis Insulæ ita habebant, ut vix ipse sedandis turbis industriâ sua & humanitate, ac qua apud plerosque erat reverentiâ sat fuerit. Nam & si dissidentes ad concordiam induxerit, & diligentissimè pro Regum honore & commodis laboraverit, nihilo tamen minus Catholici ipsi Principes rebellantium litteris fatigati, Columbum & Fratres multis nominibus calumniantium, è re sua ducentes quieti novæ Reipublicæ & paci consulere, loco Nostrum movere, & Quæsitorem alium amittere decreverunt. Is porrò ubi 23 Augusti anno 1500 Hispaniolam accessit legibus illum & judicio persecuturus, quiritari plerique cæperunt, multaque in Columbum objicere, quibus ille facilius quam deceret permotus, in vincula Clarissimum Virum injecit, cui cum impingere compedes auderet nullus, mediastinus, sordidæ conditionis homo, qui quondam ipsi à culina fuerat, facinus illud & perfidiam impudentissimam non est veritus perpetrare. Impositos dein navibus, Octobri ineunte, unà cũ Christophoro Fratres singulos vinculis illigatos in Hispaniam pergere jussit dicturos coram Regibus causam. Adeo verum est illud : *Dat veniam corvis, vexat censura columbas.*

692 Permolestè tamen & acerbissimè audaciam Quęsitoris Catholicis Ferdinando & Elisabetha ferentibus, & Columbus & Fratres extemplò soluti, milleque ducatis regiâ liberalitate donati fuere, ut Granatæ conferrent sese. Humanissimè, ut par erat, Viros de se optimè meritos Reges habuerunt, nihilque detractum de juribus & honoribus Christophoro pridem collatis, asserendosque ab injurijs spoponderunt, & porro statim à Præfecturâ Hispaniolæ remoto Bovadillæ, qui acerbius Columbos vexaverat, Ovandum, Alcantarensem Equitem, suffecère. Noster ut in instituto suo conquirendi, quem incœperat, Orbis Novi faustè pergeret, in mandatis accepit, destinatis navibus quatuor, annonâ in biennium instructis. Quartùm igitur iter arripuit à Gaditano Portu anno 1502 9 Maji, & quamquam Hispaniolæ Portum ingredi Regum decreto prohibitus, tamen carinandi navigij, quod malè habebat, gratiâ diversari apud illud tentavit, nec verò obtinuit ab ejus Præfecto, quo amicè commonito de egregiâ tempestate impendente, ne quæ in anchoris erat classis 31 navibus constans, proximè in Hispaniam proras actura, nisi post octiduum velificaret; ipse in proximius se Portum conjecit Formosum nomine.

693 Quòd verò & Ovandus Præses, & naucleri, & nautæ ad unum omnes prædictionnem cachinis exceperint, ineunte Julio sudo sereno quæ cœlo Classis iter aggressa, brevi sævissimâ jactata est

est tempestate, 20 quę naves fluctibus haustæ cum vectoribus, ne uno quidem superstite, argento que multo, & aureo grano uno magnitudine pani haud exiguæ molis pari & simillimo itidem devoratis. Christophorus, ubi pacatum fuerat mare, operi accinctus, quod jam diu conceperat votum, 14 Julij solvens è Formoso, ubi latuerat, Portu, totos 70 dies malaciâ detentus, pluviâ ęgrâque & sui & vectorum valetudine divexatus, littora demum continentis salutans & gentes, Portum Bellum, commeatus & carinæ gratiâ appulit: inde Nombrediosam, ubi substitit diu: hinc Bethlemiticum flumen aleæ plenum intravit, alijsque tentatis, in Hispaniolam regressurus, apud Jamaicam Insulam integrum moratus est annum, sexcentisque molestijs afflictus: nam famen penuriamque passus, ægrotus, anxius, turbis Hispanorum sese inter dissidentium & digladiantium componendis intentus, his liberari curis haud poterat Insulâ excedens, quòd attritis infidisque navibus suis committi posset nullus citra præsentissimi metum naufragij. Nuntios propterea Hispaniolam amiserat, remigantibus Indis, lintresque agentibus, auxilij ab Ovando petendi gratiâ, quod ubi tandem, appellente navigio, accepit, se cum Socijs in Primariam Insulam contulit, quibus ibi manẽtibus, ipse ad Hispaniam accessit anno 1505.

694 Excesserat jam Regina Catholica, quæ propensior longè fuerat in Columbum quam Rex, cui ille rationes tradidit demandati sibi muneris, & sperare se pollicitam mercedem pro exantlatis laboribus dixit, uti rure donatus, aliquantulum quiesceret mortem opperiens. Ut tamen id generis decreta tardius expediri non raro solent, quæ Christophoro postulanti Ferdinandus promiserat, postquam ille ad plures abierat, in Filium suum & hæredem Jacobum contulit, cujus deinceps Familia eximijs honoribus aucta & divitijs, postetorumque etiam strenuè gestis Clarissimas inter Hispaniæ censetur.

695 Christophorus, ne hoc prætermittamus, eo forsan tempore quo postremùm Hispaniæ se stitit, Americum Vesputium, Natione Florentinum, in judicium vocavit, eo nomine, quòd suum Novo Orbi, injuriâ haud quaquam ferendâ, affixerit, quem ille eximiâ diligentiâ & fatigatione, Deique in primis beneficio quæsierat comparaveratq̃. Hercle plagiarium Americus egit, Mundi plagam istam *Americam* nuncupans, perinde quasi à se conquisitam, non scripta modo suffuratus & chartas, sed Orbem, quem chartis geographicis delineavit. Id enim Vesputij opus fuit, quodque scitissimè agere noverat, tabulas nauticas exarare, cęterà verò Novũ Orbem, hoc est, Insulas continentemque terram aperuerat Co-

lumbus, cui Americus ſocium ſe dedit, non Ducem agens, aut Navarchum quidem, ſed Mercatorem, nauticę licèt ſatis peritum, ea in navigatione quâ Columbus continentem terram detexit, ad clavum ſedente Joanne de la Coſa, Cantabro, Ducę verò Alphonſo de Ojeda, Præfecto autem pro ſuo munere & Architalaſo Columbo. Hæc poſtquam teſtibus omni majoribus exceptione, documentisque maximis fuère probata, Americus ſemel & iterum cauſa cecidit, advocato Fiſcali Columbi juribus adfavente in Regio Conſilio, cujus juſſione expunctum, ut ut potuit id temporis, fuit Americæ nomen Orbi Novo callidè à Veſputio inditum, & ubique terrarum tabulis effuſis ſparſum, quod conſultis regijs Archivis ſcribit Antonius de Herrera, in Hiſtoria generali Indiarum Occid. Decade 1. Lib. 4. cap. 2. & 11. & Lib. 7. cap. 1. pag. 224. & Decade 4. lib. 8. cap. 12. & in deſcriptione earumdem Indiarum pag. 15. ipſoque citato D. Joannes de Solorzano, de Indiarum jure lib. 1. cap. 4. à n. 5 ad 12 penes quem n. 10 legeſis Authores de Americi fraude conqueſtos F. Thomam Maluendam lib. 3 de AntiChriſto cap. 16. Abraham Ortel. Opmeerum, Carol. Stephan. Bern. Aldretæ, Moſquenium de Barnuevo, quibus noſtrûm addimus Betancurtium in Theat. Mex. tract. 1 cap. 7 pag. 14 n. 33. Quæ licèt ita habent, uſui tamen deſervimus, & Americâ tertio quoque verbo vocamus Novum noſtrum Orbem, voce, ſi quæ ulla eſt ad placitum, ipſum ſignante, quamquam & veritati & ſeverioribus diſpliſcere Criticis debeat. Nec propterea bono alioquin nomini Americi & exiſtimationi detractum volumus, cujus & peritiam laudamus, & fatemur poſitam operam, Ferdinandi juſſione Regis, in nautarum examine, tabularumque confectione, ut laudato Herrera ſcribit Solorzanus n. 12. Inſuperque à Luſitaniæ Rege Emmanuele vocatum navigationum cauſâ, optime ea defunctum Provinciâ fuiſſe, ſine ęquleo aut tortore fatetur; nec diffitetur, allegatis Maffeio & alijs eo loci ipſe Solorzanus. Detectum verò Orbem Novum ab ipſo, citra piaculum grande concedere neutiquam poſſumus.

696 Columbus (ut ad ipſum revertamur Valliſoleti agentem, ſeque proximè ad funus comparantem) quam piè & chriſtianè duxerat vitam, adverſus Deiparentem Virginem egregiè pius, tandem depoſuit 20 Maji anni 1506. Exuviæ ejus Hiſpalim primùm ductæ, inde in Hiſpaniolam tranſlatæ, in majori Cathedralis ſacello habentur, niſi fallitur Henricus Martinez inſinuando infra loco hæc ſcribens. Clariſſimi Sarcophago viri D. Joannes de Caſtellanos in de Viris Indiarum illuſtribus libro Epita-

taphium adornavit quod subdidimus.

Hic locus abscōdit præclara mēbra Coloni,
Cujus sacratum numen ad astra volat.
Non satis unus erat mūdus notus, et Orbē
Ignotum priscis omnibus ipse dedit.
Divitias sūmas, terras dispersit in omnes,
Atque animas cœlo tradidit innumeras.
Invenit campos divinis legibus aptos,
Regibus & nostris prospera regna dedit.

Quod his vertit Hispanis numeris.

Este poco compas, que vès, encierra
A aquel Varon que dio tan alto vuelo,
Que no se contentò con nuestro suelo,
Y por darnos un nuevo, se destierra.
Dio riquezas inmensas à la tierra,
Innumerables animas al Cielo:
Hallò donde plantar divinas leyes,
Y prosperas Provincias â sus Reyes.

Scripta, quorum merito suspiciendus est etiam, varia circumferuntur. Et principiò, cedro quidem dignum est illud, quod in Hispaniam redux à prima in Indias expeditione, in membrana exaratum, involutum telâ, lagenæ commisit, tempestate jactatus, ut forte ad Reges, quorum auspicijs iter egerat, perveniret, nec mox inventus Novus Orbis iterum mortalium oculis se subduceret. De quo Antonius de Herrera Decade lib. 2. fol. 36 & Antonius de Leon Pinelo in Epit. Bibliot. Occid. col. 564. Successit hispano sermone

Summarium primi itineris Columbani, quod ibidem mox citati scriptores memorant. Præterea

De Sideribus nauticis, seu, *Pro dirigendo naviculario cursu Liber*, qui ab Authore acceptus ipso, usui fuit Antonio de Alaminos, Nauclero, cujusque luce prope Jucatanum deveniens, Francisco Hernandez de Cordova divites & frequentes terras pollicitus est, ut è Doctore Francisco de Cervantes Salazario, Mexicanæ Universitatis nostræ primo Rhetoricæ Professore, in Chronicis Indiarum Lib. 2. cap. 1. scribit dato loco Pinelus, adjiciens Columbi hispano sermone

Tabulam Insularum recèns apud Indiarum mare inventarum.

Latinè eam reddidit Alexander de Costo & excussit anno 1493: Habeturque etiam edita Bassileæ 1532 fol. 64. in libro cui titulus: *Bellum Christianorum Principum præcipuè Gallorum contra Saracenos*, & rursus ibidem 1533. fol. 1. & 1555. fol. 1. Extat etiam in Volumine *Hispania illustrata* tom. 2. fol. 1282.

Epistola Jamaicæ data 7 Junij anno 1503 seu, *Postremi itineris sui enarratio ad Catholicos Reges transmissa.* Editam esse in quarto Pinelus affirmat col. 565. haberique in Bibliotheca D. Joannis Saldierna, & fuisse Mss apud Eruditissimum Consiliarium D. Laurentium Ramirez de Prado.

Brevem itinerum suorum narrationem, cujus fragmentum, & Epistolas alias ad Catholicos Reges unà cum Privilegijs ei tandem con-

cessis exhibuit in Historia sua D. Ferdinandus Columbus, teste Pinelo mox dato loco; adducente Freherum fol. 1434 aliquot horum Operum memorem, & elogij Nostro dati ab Alphonso Garcia Matamoros. Ipse item Pinelus versionem Italam ab Americo Vesputio adornatam, additamque in Novo Orbe refert: Latinamque Joannis de Pardo anno 1555.

Epistolam aliam ad D. D. Didacum de Deza Archiepiscopum Hispalensem memorat D. D. F. Bartholomæus de las Casas in Historia generali Indiarum Lib. 1. cap. 29 teste Pinelo fol. 913 col. 4.

Collectionem vaticinorum recuperandæ Hierosolymæ adjutore *Carthusiano Monacho* confecit Idiomate hispano, Catholicisque Regibus Ferdinando & Elisabethæ nuncupavit; quæ juncta Volumine cum Indiarum detectione habetur Mss in Bibliotheca Metropolitanæ Patriarchalis Ecclesiæ Hispalensis in folio, 14 tamen abscissis folijs, ut testis est citatus Pinelus fol. 913. col. 4.

Prælongum quidem esset Clarissimi elogia Viri texentes recensere Doctores, quibus propterea innuendis supersedemus, atque, præter obiter in superioribus indicatos, tantùm subnectimus Acta nobis ejus subministrantes, D. Ferdinandum Pizarro & Orellana, in Viris illustribus Novi Orbis, quorum agmen duxit Columbus à fol. 12 ad 40. editionis Madritanæ anno 1639, & Henricum Martinez, in Tabulis suis temporum, & Historiâ Naturali Novæ Hispaniæ, à pag. 130 ad 142 edition. Mexiceæ anni 1606. Poemata autem, Comediæ, & id genus multa Columbi decori applaudentia Opuscula, indigitat Pinelus col. 565 & 566.

697 P. Christophorus de Condarco, Natione Mexicanus, ni fallimur, incerta nobis Patria, Societatis JESU alumnus, & in Collegio Maximo SS. AA. Petri & Pauli Mexiceo Rhetoricæ Professor, scripsit

Poeticam Dissertationem pro Jesu natali colendo sub Margaritæ symbolo, habeturque in Libro ejus argumenti ad annum 1689 in Bibliotheca ejusdem Collegij.

698 D. Christophorus Diaz de Anaya, Natione Mexicanus, in Diœcesi Angelopolina ortus, & Oppidi de Olintla Parochus, scripsit

Artem pro imbibendo Idiomate Totonaco.

Dictionarium ejusdem Idiomatis: Pro ut testatur Author Libri editi, *Allegationes in favorem Cleri Angelopolitani* fol. 80 col. 2.

699 D. Christophorus Diaz de Sancta Anna, Natione Mexicanus, Diœcesis Angelopolitanæ, in Oppido de Olintla Parochus, exaravit

Artem Linguæ Totonacæ.

Methodum agendi excipiendique Confessiones sacras eodem Idiomate.

No-

Nobis copiam ejus fecit D. Didacus Bermudez de Castro in Catalogo ad nos misso de Scriptoribus Angelopolitanis n. 38.

700 D. CHRISTOPHORUS DE ESCALONA MATAMOROS, Natione Mexicanus, Patria Angelopolitanus, Præsbyter eruditus & pius, elucubratam à se habet hispano sermone

Historiam Cœnobij Recollectarum Virginum à S. Rosa Peruviensi nuncupatarum, è Gynæceo nuper Angelopoli erecti: Vitasque earundem insignes:

Fidem nobis item faciente memorato in Catalogo ipso Bermudezio n. 152.

701 P. CHRISTOPHORUS DE ESCOBAR ET LLAMAS, Natione Mexicanus, in Diœcesi Michoacanensium clara stirpe ortus, Mexici Regalis & Antiquioris Divi Ildefonsi Collegij alumnus, cujus, procedente tempore, futurus erat Parens & magnificentissimi ædificij instaurator, latinè doctus Philosophiam egregio nomine & Theologiam excoluit, gradus in Academiâ nostrâ promeritus, quos Minervalibus viris plaudentibus tulit. Soc. JESU nomen dedit, & nomini ejus litteris & gestis rebus decus multum adjunxit, quatuorque in ipsa nuncupavit Deo vota. Naturâ & virtute comparatus ad magna, varijs præfectus curis, strenuam singulis dedit operam. In Maximo Mexiceo Collegio SS. AA. Petri & Pauli Rhetoricam docuit, mox Philosophiam tradidit, & postremo Sacras litteras interpretatus est. Rector datus Collegio S. Ildefonsi, quod olim pro institutione sua diu incoluerat, quantum ipsum amplificaverit mirum sanè est.

702 Fuerat quidem illud jam inde ab incunabulis perillustre, ac fœcundissimum doctorum hominum Seminarium, incrementa verò tanta sub ejus accepit Præfecturâ, ut illustrius longè claruerit: nam multa adolescentibus, indole præclaris & ingenio, calcaria addidit, queis alacriores citatioresque scholasticam arenam percurerent. Præter quotidianas exercitationes, Academijs pro singulis Facultatibus institutis, vividiores alias per hebdomadam habendas adjecit: singulos examẽ ad extremum scholaris anni subire de præscriptis cuique pensis, rigidã coram Sodalibus habitâ crisi, & longâ concertatione instituit: atque eximiâ constantiâ & defatigatione totos 16 annos hisce interfuit actionibus, quæ plurimæ certè sunt in frequentissimo trecentorum fere Sociorum gremio, præfectum agens & palæstritam, adeo ut familiarissima sibi fecerit ad unguemque habuerit integra Theologica Volumina P. Joannis Marin Theologiæ Professoribus in Collegio usui data: pariterque sueta excoli à Canonici Juris candidatis Commentaria D. D. Emmanuelis Gonzalez Tellez, & qui pre manibus haben-

bentur à dantibus operam Civilibus Sanctionibus Libri D. D. Antonij Pichardo; ut interea Philosophos prætereamus & Rhetoricos ac Grammaticos, alijs addictos legibus, nec tamen subductos Rectoris curæ.

703 Adhæc excitandis amplius nobilibus ingenijs præscripsit habendas quotannis geminas à Theologis totidemque ab studiosis Juris publicas in Universitate concertationes, quarum Majorem alteram dicunt, aliam Minorem, suffragijs Sodalium ejusdem Aulæ ijs committendas, qui doctrinâ reliquis præstent, & qui pro minoribus destinentur, duodecim ex asse titulos multis gravidos controversijs defendant; 24 verò per integrum diem operam daturi Majori, non exiguis Collegij sumptibus, grandi verò profectu & gloriâ. Quo autem anhelantibus ad Scientiarum culmina faces adderet, annuos reditus destinavit pro expensis erogandis in Doctoratus apice Theologici à Sodali petendo, tum etiã in Licentiæ gradu Juris Canonici ab hujus professore Facultatis optando, præmissis in Gymnasio Collegij austerioribus probationibus scholasticis, quas Academia nostra perpetuo & ineluctabili more tenet pro convestiendis Infularum candidatis & petitoribus. Cathedram etiam pro Magistri Sententiarum aperiendâ doctrinâ in Universitate à Collegij Sodalium probatiori instituendam curavit à Catholico Rege nostro, Academico Consessu annuente etiam & postulante, destinato è Collegij proventibus honorario, & verò postquam primo secundoque quadriennio huic strenuè suggestui incubuerant Moderatores, justis de causis, ea ut se abdicarent provinciâ opportunius existimavit.

704 Nec verò in litteris duntaxat, quæ diximus incrementa Collegio dedit, sed in Ædibus, quas à fundamentis excitavit, amplissimis: Quòd enim attrita tempore fabrica esset, & quamquam ampla certè, angustior in dies pro confluentibus convictoribus, vastissimam juxtà & politissimam aggressus est molem, cui vix parem etiam in Europa inveniri exteri homines & permulta vagati testantur. Ut est Religiosissimus, Sacellum in primis condidit nobilissimum, & sacra supellectili omni augustissimum. Ad extremum deducentem magnificentissimum opus R. admodum P. Præpositus Generalis Soc. JESU Mexicanæ Provinciȩ regendȩ admovit anno 1743, quam religiosè simul & prudenter est moderatus. Absoluto munere Provincialis, & cæpit & absolvit itidem auspicato sidere conjunctam Sanctandreano Collegio Mexiceo, Instituti sui, magnitudine insignem & venustate Domum, pro ijs qui secedere optaverint viris octiduo aut amplius, Deo negotioque animæ vaca-

ca-

çaturis, daturis operam Exercitijs ſpiritualibus, ab inclyto Parente S. Ignatio de Loiola aureo ſcriptis Libello, omni quidem laudi majori. Biennium fere eſt, quo dedicata pulcherrima Domus & devotiſſima, uſui eſſe cæpit & Clericis multis & Laicis illùc pietatis ergo accurentibus. Noſter interea in eodem Sanctandreano agit, valetudine quidem adverſâ, nec tamen inerte vitâ pro ingenio ſuo & virtute traductâ, cujus ſubinde abſtinemus elogio. Scripſit, dum Rhetoricam profitebatur

Poeticam Concertationem in Natali Domini habitam dato Oculorum ſymbolo. Extat in Bibliotheca Collegij Maximi Mexicani in Libro hujus argumenti ad annum 1723.

Curſum Philoſophicum à primordijs Summularum ad poſtremas uſque Ariſtotelici ſyſtematis Tractationes, cujus exemplaria plura habentur à Diſcipulis cuſtodita, & pretio etiam ab alijs Doctoribus habita.

Varia pro Sacrorum Bibliorum enodatione. Mss ſimiliter.

Conciones itidem hiſpanas, Proluſiones latinas, & Opuſcula alia. Mss.

705 F. Christophorus de Espinosa a Conceptione, Natione Mexicanus, apud Mexicalzingo genitus, ſeveriora S. Franciſci inſtituta in Provincia S. Didaci Mexicea profeſſus, vir doctus & pius, Miſſiones ſacras & inter barbaros egit difficilia loca incolentes, & urbanas etiam inter Fideles. Expeditum prælo Opus habet, quod legimus, aſceticis valdè utile, hiſpano ſermone

Arma ſpiritus pro aſſerendâ divinâ gratiâ ab invaſionibus dæmonis, mundi & carnis. Duabus partibus in octavo. Habet præterea

Sermones panegyricos.

Sermones morales pro ſacris expeditionibus.

Conciones de Doctrina Chriſtiana, Indulgentijs, & Contritione.

706 D. Christophorus Grimaldo de Herrera, Natione Mexicanus, in ipſa Imperiali Urbe noſtra claris genitoribus ortus, in Majori Divæ Mariæ & Omnium Sanctorum Collegio Togatus, Cauſidicus apud Mexiceum Areopagum fuit ab eloquentiâ & juriſperitiâ acclamatiſſimus: Rubeam, quæ Profeſſorum Civilium Legum teſſera eſt, Doctoralem infulam in Academia Mexicanenſi merito tulit, & procedente tempore ejudem facultatis Decanus extitit. Anteceſſorem egit Veſpertinum Imperialium Sanctionum, atque etiam Clementinarum, ut qui doctiſſimus pariter erat in ſcientiâ Canonicâ, atque gradu ejus inſignis. Poſtquam in Schola & Foro diutinam poſuerat operam, atque egregium ſibi comparaverat nomen, à Catholico Rege noſtro Auditor Regius pro Juridico Conventu Manilenſi apud Inſulas Philippinas deſtinatus, eò ſe contulit, ubi demum exceſſit.

Muneri suo strenuè adeò invigilavit, ut difficilia quæque negotia, quæ coram se & Socijs agitabantur, libraret ad trutinam, consultisque utrimque Libris ac momentis gravioribus, Opusculum ad singulas controversias ornaret, ut subinde conscripserit

Varias Juris resolutiones Tom. 22.

Porro multa ab eo profecta Volumina, penes ipsum, ea tempestate, stantia, testis est D. D. Salvator Sylvestre de Velasco & Herrera, Canonicus Hispalensis Ecclesiæ Collegiatæ SS. Salvatoris, in Nuncupatoria ad Collegium Majus Mexiceum Divæ Mariæ Omnium Sanctorum, Libro præfixa, cui titulus *Scala mirabilis, seu Vita S. Petri de Arbues.* Numero autem ea fuisse Volumina 22 traditio est à majoribus accepta Togatis, qui ejus nobis copiam fecere, & accuratissimi cùm sint in Sodalium monumentis servandis, isthæc quæ Nostri memoravimus exoptantes, nec dum habentes, vastissimâ obsistente locorum distantiâ, locupletissimis testibus nixi recensent. Scripsit præterea hispano sermone

Allegationem juris D. Annæ de Torres in lite adversus ipsam mota, Ædium, quas possederat, causâ. Extat Mss in fol. tom. 24 Mendozianę Collect. fol 60.

Allegationem tuendi ergo juris D. Joannis del Rosal Præsbyteri, ad beneficium, vulgo Capellania, Hospitalis Domus Mexiceæ à Conceptione. Mexici 1659 tacito nomine Typographi, habeturque ab eodem Mendoza inter Opuscula non dum compaginata.

Meminit ejus D. Carolus de Siguenza, in Triumpho Parthenico fol. 89 col. 2 & Plaza in Chronicis Universitatis Lib. 5. cap. 17. n. 215.

707 D. CHRISTOPHORUS GUERRERO PEDRAZA, Natione Mexicanus, Angelopoli ortus, in statu prophano litteras humaniores apprimè excoluit, & hispanis numeris multa scripsit, è quibus aliqua typis esse edita Author nobis est D. Didacus Bermudez de Castro in de Angelopolitanis Scriptoribus syllabo n. 149. Nos verò hactenus effugerunt Opuscula.

708 D. CHRISTOPHORUS GUTIERREZ DE LUNA, Natione Mexicanus, &, nisi fallimur, etiam Patria, cujus præter quæ subjicimus, Opera, professio, alia que latent, scripsit hispano sermone

Memoriale Tractatus de Angelis in quarto, propterea nuncupatum Illmô. Archiepiscopo Mexicano D. D. D. Petro Moya de Contreras, jam tum Indiarum Patriarchæ, quòd eximiam in SS. Angelos pietatem Mexici fovisset & propagasset. Extat Mss in Bibliotheca Collegij Maximi Mexicani Societatis JESU.

Vitam & heroicas virtutes Illmi. D. D. D. Petri Moya de In-

Contreras Archiepiscopi Mexicani, Indiarum Patriarchæ &c. Habetur in eadem Biblioth. & sub eodem Volumine

Narrationem & Compendium breve ac summarium prænobilis Ducis D. Ferdinandi Cortezij, Marchionis à Valle &c. Itemque ejus in Expugnatione Novi hujus Imperij Sodalium, animo præstantium virorum: Prætereaque ejusdem Imperij Archiepiscoporum & Episcoporum. Asservatur in mox dictis Bibliotheca & Volumine, quod opinamur unum ex illis esse quæ D. Carolus de Siguenza & Gongora coacervaverat, moriensque PP. Jesuitis reliquit.

709 D. CHRISTOPHORUS GUTIERREZ DE MEDINA, Natione & Patria inexplorata nobis, Doctoris infula insignis, Parochusque apud Metropolitanam Mexiceam Ecclesiam, ab eleemosynis Excmô. Pro-Regi Marchioni de Villena, edidit vernaculo idiomate

Concionem de SS. Deiparentis Nativitate, in petitione Canonicatus Magistralis. Mexici, typis Joannis Ruiz 1646 in quarto.

710 D. D. CHRISTOPHORUS HIDALGO BENDAVAL, Natione Mexicanus & Patria, Medicinæ cultor & Doctor in Universitate nostrâ, Cathedram Chirurgiæ & Anathomiæ regere incepit die 29 Novembris anno 1621 rerum potiente Academicarum eximio viro D. D. Joanne de Salcedo. Tradidit è suggestu

Lectiones Chirurgicas & Anathomicas,

In quibus eam etiam laudem est assecutus, quod primus in Academiâ Mexicanensi quam memoravimus Cathedram moderatus fuerit, ut legere est apud Plazam in Chronicis Universitatis lib. 3. cap. 28. n. 148.

711 D. D. CHRISTOPHORUS DEL HIERRO GUERRERO, Natione, ut conjicimus, Mexicanus, utriusque Juris cultor in Academiâ Mexicanensi, Doctoris laureâ insignis, multas diuque Cathedras rexit, primùm Institutionum, mox Sexti ad tempus, deinde Codicis Justiniani, & tandem Gratianæi Decreti, professiones auspicatus jam inde ab anno 1609, ut habemus ex Chronicis Academicis à Plaza exaratis lib. 1. n. 50. 81. 225. Scripsit

Tractationes varias ad utrumque Jus spectantes, quarum argumenta singularia nos fugiunt.

712 D. CHRISTOPHORUS MANSO DE CONTRERAS, Natione, ut videtur, Mexicanus, & Antequeræ Goaxacensium clarâ natus stirpe, inter ejusdem Urbis Rectores merito adscriptus, Villæ de Guadalcazar Prætor, Vicariusque generalis Ductoris armorum, litteris expolitus, edidit hispano sermone

Enarrationem certam eorum quæ tumultuantibus Indis apud Villam de Guadalcazar in Provincia Tehuantepequensi evenère à die 22 Mar-

tij anno 1660 ad usque 4 Julij 1661. Mexici, Typis Joannis Ruiz 1661 in quarto. Habetur in Collect. nostris tom. 62. Meminit Authoris & Opusculi Pinelus col. 604.

713 Fr. Christophorus Martinez de la Puerta, Natione Hispanus, in Bætica sortitus est cunabula, Urbe aut Oppido nobis ignoto, Historiographumque infra dandum, ut videtur, latente. Parentes claro genere habuit, Martemque in adolescentia sequutus, anno circiter 1600 Joannem de Monasterios Præfectum navis Honduras Americæ nostræ Provinciam petituræ, comitatus, ubi Truxillum appulit, sub ignoti nobis vexillo Ducis stipendia meruit euntis versus Ripandivitem, vulgo Costarica, paganorum gratiâ conquirendorum. Frequentissima sanè infidelium multitudo inibi degens, sacrisque nostris recipiendis aptissima, christiani animum militis egregiè commovit tradendæ tot Barbaris Fidei zelo, atque in hunc se propositum comparandi. Hinc Goatemalam, Urbem non longissimè dissitam petens, ut in Seminario Cathedralis Collegio recèns instituto adscriberetur institit, cujus cum Rectores postulatis abnuerent, quòd Sodalium numerus eum haud caperet, famulis tamen ipse aggregari discupiens, voti compos effectus est. Abjectissima quæque alacri animo ministeria tandiu subijt, donec casu agnitus à gentili suo, & productis de nobilitate generis testibus, quæ Collegij Statutis præscribitur, trabeâ donatus, imbibendæ quam optabat latinitati totus incubuit, sic tamen ut orationi cæterisque virtutum exercitijs (quod antea usu tenuerat) quietius operam daret. Erat propterea exemplo & admirationi Collegis, tamque biennio sufficienter in Grammaticis institutus, & Ecclesiasticis ministerijs addictus, ut facilè ad Ordines sacros fuisset promotus, modò alicujus Beneficij titulum comparasset.

714 Annos natus 22, & vertente seculi proximè convoluti secundo, 17 Octobris Seraphici Ordinis habitum induit in Cœnobio Goatemalensi, Provincię à SS. JESU Nomine dictæ, Primario, actoque religiosissimè tyrocinio, professus est. Regulari institutorum observantiæ exactissimæ austeriorem longè sibi disciplinam præscripsit, ceu qui Martyrio proluderet, quod anxiè cupiebat. Singulis noctibus post absolutas in choro cum Sodalibus Matutinas preces, reliquum temporis castigando corpori, cœlestibusque meditandis rebus tradebat, in memoriam patientis JESU, è vacerrapulis in alto defixis, suspensus tres horas, & mox alteram aut duas asperrimis se flagellis discrucians. Adhæc, cilicia atque asperitates plurimas jejunijs, nuditati, & innumeris incommodis perpetuò adjecit.

Phi-

715 Philosophiam & Theologiam doctus in Goatemalensi Conventu, egregiè profecit, adeò ut Prædicatoris munus multa cum laude obierit & gloriâ Dei ab salute animarum strenuè procuratâ, quas vel à peccato revocavit, vel in christianâ virtute instituit: Confessionibus sacris audiendis deditus, spiritualem quibusvis ad se venientibus ducem se præstitit egregio eorundem in christianis virtutibus incremento. Præterea Goatemalæ primùm, post Chiapæ in Civitate Regia, Latinitatem tyronibus Familiæ tradidit, & alibi agens Paganorum exteris juvenibus instituendis latinè, qua erat erga omnes charitate, sponte sua intendit. Nonnunquam novitijs Goatemalensis Domus præfectus, exemplo vitæ austerissimæque mortificationis efficacius longè quam monitis, eos ad religiosam perfectionem aptavit. Ægrâ licèt valetudine affectus, duriori, quam tenebat, pœnitentiâ & in agendis defatigatione, jubentibus Prælatis ut in Oppida Indorum pergeret addiscendi Idiomatis gratiâ, paruit, excalceatusque & pedes Cœnobium ab Anunciata Virgine dictum petijt, quo loci eximia dare probitatis exempla perrexit, asperrima devorans viarum incommoda, nunquamque vectus equo in montanis & confragosis supra quam dici potest difficillimis & asperrimis. Hæc ille circumibat pro Sacramentis ministrandis, concionibusque ad Indos habendis, quos paternâ dilectione complectebatur. Pestiferâ infectis lue, nihil præsentissima faciens vitæ discrimina, adfuit, destitutisque omni subsidio ut opem ferrent, conterminos Populos vehementi sermone commovit, charitatis præstantiam luculenter illis exponens.

716 Hæc inter diu noctuque gentiles pridem à se agnitos apud Teguzgalpam recogitabat, quorum desiderio conversionis, & litteris & religiosis institutis se dederat; atque ut Deo ad id muneris eum vocanti prævenienti que responderet, vota demum sua perantiqua Provinciali suo exposuit, ipsum per Epistolam rogans vellet postulatis acquiscere. Evocatus ab illo, è Chiapa Goatemalam revertitur, multisque à gravioribus Provinciæ viris examinatus, quamvis arduum supra modum opus existimantibus, vixque, ac ne vix quidem citra vitæ periculum aggredi posse jure verentibus, retractisque recenti Sodalium exemplo duorum, qui mortem ea in expeditione à barbaris illatam oppetierant; nihilo tamen minus voti compos efficitur, quòd ejus perpensis actis & desiderijs, cœterisque rarioribus documentis, ab Spiritusancto agitari doctissimi Patres non dubitarent. Datus illi comes fuit ejusdem Provinciæ alumnus P. F. Ludovicus à S. Josepho Betancurtius, eximiâ itidem conspi-

picuus virtute, quo cum itineri se accinxit Apostolico more, sine saculo, & sine pera, & sine calceamentis, præter paramenta sacra rei divinæ conficiendæ, portantes nihil. Nec ab hoc resilière proposito, quòd Regius Auditor D. Joannes Maldonatus in Honduras negotiorum causâ Regis profecturus, secum eo usque pergere illos voluerit, quibus & Fráciscanis omnibus devotissimus erat: Ea enim illi lege concèssere invitanti, ne ab strictiori observandâ Regulâ sua descifcere cogerentur. Devoratis terrestri itinere molestijs immanibus, Myoparones geminos inscenderunt, quorum altero Ludovicus cum Auditore 20 que militibus vehebatur; Christophorus altero cum totidem militibus & Duce Joanne de Padilla. Omnibus tamem sævâ tempestate jactatis, Nostroque cum Socijs tantùm non à fluctibus hausto, cupienti que in promontorium Deo gratias nuncupatum deponi, in Paias Indos abituro, quos inquirebat; secus nauclero, Duci, & reliquis placuit, opportunius judicantibus ad Truxillum reduci, indeque redordiri navigationem securâ navi, inventoque Ludovico Sodali, quem in altero Myoparone eò appulisse non ambigebant. Falsi minimè opinione sua fuisse res docuit, probaruntq̃ in mutuos amplexus venientes utriusque Myoparonis Sodales vitam sibimet gratulantes, præq̃ue lætitia in Truxillo gestientes.

717 Noster inde ac Socius Goatemalæ se sistere è re sua existimarunt Provinciali recèns electo, quem laturum ægrè credebant, momentis gravissimis, si cursui insisterent, cui videretur Deus obluctari. Benignè acceptos in Conventu Primario jussit Præsul requiescere, moxque in Quadragesima prædicationi, auditionique confessionum operam dare, quibus ipsi ministerijs egregio animarum fructu incubuerunt. Noster dein ab memorato Auditore Regio solicitatus comes itineris, quod proximè erat instauraturus, bonâ cum Superioris veniâ pedes, ut prius, viam confecit præduram, maturans interea suam in gentiles profectionem, & cui inhiabat, præstolatus opportunitatem. Redux, ut acceperat in mandatis, avidius cogitare suos Indos pergebat, modò his votis Provincialis obsecundaret, qui tentandi eum gratiâ in Cœnobium amissit dissitum, quo usque decretorium judicium ferret. Erant sanè ea de re opposita Religiosorum sapientum placita, opinantibus alijs acclive esse negotium, totque difficultatibus involutum, ut nulla succesus spes sublucerer, quod pro inde tentari prudenter non posset; alijs contra sentientibus, Christophorum ad id officij excitatum à Deo esse, nec ejusdem oportere desiderijs obsistere, impigro ani-

animo exantlandis parati laboribus.

718 Hæc cùm ipsum laterent minimè, longâ ad Provincialem suum Epistolâ suas exposuit rationes, & singulis sibi objectis difficultatibus satisfecit, nil obicibus illis cunctatus, quin arduum planè opus aggrederetur. Provincialis demum omnibus ad trutinam libratis momentis, Cōmissarium destinandum ipsum censuit Tapuzgalpæ Nationis, socio addito Religioso Laico F. Joanne de Baena, cunabulis Bætico, habitu autem Goatemalensi, viro egregiæ virtutis, ultro se dante, quòd Ludovicum Betancurtium alijs Præses ipse ministerijs addixerat. Porrò quanta illi terra marique pertulerint à Truxillo in Habanam, & ab hac in alias Insulas ventis improbis, multisque casibus conflictati ac projecti, Christophorus ipse litteris consignavit, & multi, confecto Testimonio autentico, testes dixère, quibus, ne multi simus, supersedemus.

719 Deo tandem adfavente, è memorato Portu Truxillo solventes, 16 Februari 1622 promontorium Deo gratias tenuere quatuor Indis Guanaxuanis comitibus, Interpretibusque apud Paias & Guazacalpanos tot fatigationibus conquisitos. Naviculâ inde cum cœteris omnibus valere jussâ, invias ipsi terras, prærupta montana, vastasque solitudines pertentarunt, vix unum aliumve Indum longissimè suspectantes, nihilque efferatę barbariei rabiem, belluarum pericula, & sexcenta verentes discrimina, modò Christum anuntiare gentibus possent, earumque animas sacrifacere. Biduum transierat, & ecce virorum lanceis armatorum, & fœminarum corollis floridis capita incinctarum turma ipsi objicitur, ad extremumque honoratior cœteris senex comparet, omniumque nomine religiosis viris gratulatur adventum, diuque à se expetitos & speratos, inquit gentis idiomate, quod vix non perfectè callebat Christophorus, Interpretes autem Indi & capiebant optimè, & palam dabant. Stupuère ad insperata humanitatis signa Noster ac Socius, &, Quid causæ fuisse ut venturos se in terras illas opperirentur sciscitavère. Indus verò senex reposuit, jam diu visum à se in montanâ album colore, facieque venustissimum puerum, isthæc prænuntiantem, pollicentemque sibi, quamtumvis gravato annis, non prius vitâ excessurum, quam Christianus fieret eorum ope virorum, qui venturi erant, quosque ipse propterea, constitutis in editis montibus, speculatoribus, præstolatus jam pridem fuerat.

720 Scilicet, bona inter Barbaros indole, & ad misericordiam comparatâ Indus ille, sueverat miseris subvenire, quibus multas destinaverat segetes, industriâ

ſua cultas atque labore, lites eorum componebat & jurgia, perinde ac omnium parens & arbiter habitus. Et hunc quidem ignotus ac pulcherrimus Puer quondam aflatus, quæ mox diximus adpromiſſerat, ut ſubinde viſis noſtris hominibus, eis unà & ſibi auſpicatiſſimam ſenex fuerit diem gratulatus. Geſtiebat præ gaudio Noſter cum Socio, eximiasque Deo gratias agebant, Paganos illos ad Eccleſiæ gremium vocanti. Senex autem Indus, & qui eum comitabantur propinqui & amici, ſtrenuam dedère operam ædiculæ pro noſtris extruendæ, quam prope Xaruam flumen tumultuariâ ædificarunt contignatione: moxque amplum, impolitum licèt, Templum, confluentibus Paiis multis, & conterminis alijs, Chriſtianorum ſacris aptum conſtruxerunt.

721 Chriſtophorus interea nil cunctatus, eorumdem invigilans cathecheſi, Socio ipſum Interpretibus uſo juvante, plurimos ſalutaribus aquis Indos recreavit, in primis autem Senem illum egregiè felicem, qui non diu à ſuſcepto Baptiſmate in cœlum evolavit, alijs atque alijs quotidie venientibus, ubi fama percrebuit acceſſus illorum, quos Mótanæ Deus (ſic enim apparentem ſeni Puerum vocabant) olim in oras ſuas & terras appulſuros prædixerat. Accurrebant ſingulis veſperis omnes in Sacellum neophiti, & coram Immaculatæ Deiparentis Imagine, quam Chriſtophorus ſecum tulerat, in genua provoluti, Virgineum dicebant Pſalterium, pijsque alijs exercitationibus Deum ejusque Matrem deprecabantur. Interea, tertio ab acceſſu Religioſorum elapſo menſe, Myoparon ad proximius littus appulerat, Parochi Truxillenſis Clerici Didaci de Cañabete, & concivium diligentiâ dimiſſus, inviſendi Miſſionarios gratià, eisque vinum & hoſtias pro Myſterio conficiendo, & aliquam pro victu annonam ſubminiſtrandi; qua Chriſtophorus regrediente naviculâ uti opportunum exiſtimavit pro immittendo Goatemalam Socio ſuó F. Joanne de Baena, qui cum Provinciæ Præſide de rebus Taguzgalpanis ageret, & Religioſum Præſbyterum pro novâ illa Coloniâ ſolicitaret.

722 Ritè Baena functus officio fuit, atque ab inſtructo de ampliſſima meſſe Provinciali unà cum gravioribus Patribus, F. Benedictum Martinum à Sancto Franciſco Bæticum natu, profeſſione Goatemalenſem, qui ultro ſe, alios inter, obtulerat Apoſtolico miniſterio, &, cui jam diu anhelaverat, Martyrio, datum ſecum in Urbem Portum que Truxillo, inde in Pagum à Conceptione de Xarua (hoc enim inditum recenti Coloniæ nomen fuerat) deduxit. Ubi Chriſtophoro ſe præſentes dedere, quanta uno ipſe anno patraſſet, haud ſatis

ſatis poterant demirari: nam adultos 700 ſacro fonte expiaverat, parvulosque permultos, & appoſſitè neophitos inſtituerat: Pagos ſeptem pro Chriſtianis è diverſis Nationibus ordinatè condiderat, ſua cuique datâ Ædicula ſacrâ: idq́ genus alia pro chriſtiano & politico conventu, geſtientibus incolis, egerat. Tum alias (ſunt enim in ampliſſima Regione quam plures) explorare Nationes cum Socijs conſtituit, celocique in viciniores oras traducti, Guavas & Xacaques (& hos quidem numero formidabiles & barbarie) petierunt, ac omnibus humanitatis & chriſtianæReligionis officijs cicurarunt, felici adeo ſucceſſu, ut pluſquam ſex mille, omnibus computatis, baptizaverint, ædificatisque Sacellis, in Oppida, ipſorum victui guſtuique congruentia, traduxerint. Ut verò Idioma Provinciæ uſu jam & conatu Religioſi viri calluerant, negotio animarũ expeditiores, intimius progredi non ſunt veriti.

723 Non longè à Xicaquanis Albatuinæ diſtant, qui ſua ſponte ad ripam fluminis Guampum dicti venientes, ubi Patres agebant, ut ad ipſos diverterent prædicarentque rogitabant. Reluctabantur neophiti clam, fraudes que & inſidias pro genio Nationis illius valdè timentes, Religioſos ab itinere removebant, & ne ſe illis crederent enixè rogabant; qui tamen nihili obteſtationes habentes, falli Indos, ut aliàs ſæpenumero, arbitrati, invitantibus Albatuinis acquieverunt. Ii porrò ut erant reliquis ſuperſtitioſiores Nationibus, cacodæmone audito ſuadenteque ut confoderent Religioſos, prius quam terminos ſuos attingerent, agmine facto, in caſam ad Guanpi ripam, ubi Religioſi degebant, irruerunt, forti adeo manu, ut neophiti Miſſionaris ſuis addictiſſimi, illis obſiſtere haud quaquam valuerint. Conſtrictos ergo funibus, queis utraſque cuique manus ad tergum devinxerant, per illos circum Pagos deducunt, ubi Evangelium nuntiaverant, ſacrasque Ædes conſtruxerant, ſannis & cavillationibus vulnera ictusque addentes, quibus nihilo ſegniores Apoſtolici viri, monere illos pergebant, ignesque ſempiternos minari, quòd Spirituiſancto reſiſterent, & ſalutis ſibi januam obſtruerent.

724 Adhæc, efferatiores barbari Chriſtophorum, qui Sodalibus ad moriendum pro Chriſto adjiciebat ſtimulos, primum lancea petunt impudentiſſimè, in altumque evehunt ab illa ſuſpenſum intima quæque hominis ad collum uſque tranſververante; animam etiamnum agentis manum unam proſcindunt; laqueum alteri injiciunt, & gutturi innectunt: quòd verò nec his obijſſet, nec tunſionibus & ictibus plurimis, ejus crura, macheris admotis, confringunt, atque inter cruciatus acerbos, ſpiritum ille in Jeſu-

Jesu-Christi manus deponit. Nec mitius cum Socijs egerunt, quos &si in altum haud extulerint hastâ confosos, nec orbaverint manibus, vehementibus quassos ictibus tamen, aliter excruciarunt: nam & cantabricis eorum fregère crura & cervices, quas è nervo pendulas reliquerunt. Ubi gratissimæ Deo animæ cœlum petiere anno 1623 postremis Septembris, aut primis Octobris diebus, diffugientibus Albatuanis tortoribus, & in suas se speluncas abdentibus, Christiani Indi in Parentes suos devotissimi, deque ipsorum clade mœstissimi, utut potuère, in eo ubi passi fuerant loco, corpora sepelierunt unàque cum ipsis instrumenta martyrij, tumulum deinceps honori habentes, floribus & id genus alijs superpositis exornantes.

725 Inde, non multo post, Apostolicorum exuvias virorum in Urbem Truxillanam Provinciæ Hondurensis Gubernator pijssimus Joannes de Miranda asportavit, eximiâ in eis, quantum fas est, colendis positâ diligentiâ, & Nostri quidem in Parochiali Ecclesia, Sociorum autem in Cœnobio S. Francisci deposuit corpora, quæ demum Goatemalam translata in Conventu Franciscanorum item Primario ad præsens usque quiescunt in S. cell) S. Antonij nomine insigni. In Guampi verò ripa, quo loc , ut diximus, inclyti mortem pro Jesu-Christo viri oppetierant, ingentis magnitudinis Crucem ligneâ erexit quem memoravimus Gubernator Hondurensis Miranda, tunc cùm inquirendorum gratiâ corporum, ulciscendique Paganorum flagitij, eò se contulit: & adhæc usque tempora venerabile signum consistit, additis, ut videtur, prodigio tribus proceris enatis è sepultura Palmis, seu victoriæ, quam religiosi athletæ retulerant, monumentis. Egregiâ in eos feruntur pietate Hondurenses, Goatemalenses, & finitimæ gentes christianæ, nec sine devotionis usurâ, beneficijs à Deo multis eo nomine obtentis. Noster scripsit uno Volumine hispano sermone

Consultationes sex respondendi ergo difficultatibus sibi objectis in expeditionem Taguzgalpanam se præparanti, & probandi gratiâ licere, etiam cum vitæ periculo præsentissimo, illam aggredi sacram Missionem.

Epistolas ad Provinciales suos duas lato calamo, & eis non absimiles quas S. Ignatius Martyr ad Romanos scripsit.

Habentur authographa in Archivio Provinciæ Franciscanorum Goatemrlensis à SS. JESU Nomine dictæ, ut testis est P. Arochena in Catalogo ad nos dato, n. 1. art. de Scriptoribus hispano usis Idiomate.

Acta Nostri & Sociorum plenissimè expendit P. F. Franciscus Vasquez in 2. part. Chronicorum ejusdem Provinciæ tom. 2. lib.

lib. 5 à cap. 10 ad 21. à pag. 466 ad uſque 541. Epiſtolas memoratas edidit p. 487 & ſequentibus: & pag. 458 & ſequentib.

726 FR. CHRISTOPHORUS MARTINEZ DE VILLASECA, Natione Mexicanus & Patria, Ord. S. Franciſci in Provincia S. Evangelij Regularis Obſervantiæ alũnus, laudem ab utroque ſuggeſtu reportavit vulgarem minimè. Philoſophiam triennio profeſſus eſt, & tandiu Theologicis Cathedris præfuit, donec abſolutis 15 ſcholaribus annis, Emeritus Lector fuit renunciatus. Oratoriam ſacram multis excoluit & panegyricis habitis concionibus, & ad formandos mores tendentibus, quæ omnes non minus ab ingenij acumine pulchræ, & ab ſtylo nitidæ, quam ab arte & doctrinâ commendabiles doctis hominibus viſæ fuere. Sacris Virginibus Cœnobij à S. Clara Mexicani Vicarius à Superioribus Provinciæ datus, earum audiendis confeſſionibus operam dedit, & animis in chriſtianâ perfectione deducendis atque fovendis. Apud S. Inquiſitionis Tribunal Cenſorem egit, multisque alijs nominibus clarus fuit. Edidit Idiomate hiſpano à ſe habitam in Primario Mexiceo Cœnobio PP. Prædicatorum

Panegyrim S. Dominici eorundem Ord. Fundatoris ſanctiſſimi. Mexici, typis Lupercianis 1727 in quarto. Extat tom. 97 Collect. noſtræ.

Panegyrim de SS. Jeſu-Chriſti Domini noſtri corde. Mexici, ex Typographia D. Mariæ de Ribera 1736. in quarto. Extat in Collect. noſtra tom. 14.

Porrò è Mss ejus Sermonibus non unus tantùm compaginari Tomus poſſet multi à doctis habendus.

Ineditum etiam reliquit

Curſum Philoſophiæ ad mentem Scoti elucubratum.

Præterea

Tractatus ad Theologiam Scotiſtam attinentes, quorum titulos Symmiſtæ ejus, penes quos ſchedæ erunt, addere dignabuntur.

727 D. CHRISTOPHORUS MILLAN DE POBLETE, Natione, ni fallimur, Mexicanus & Patria, cujus & profeſſio & acta nos latent, ſcripſit anno 1645 teſte Pinelo in Epit. Bibliot. Occid. additæ col. 700.

Mexicanæ Eccleſiæ, eorumque redituum & munerum narrationem: Cujus authographum ſtare in Bibliotheca Conſiliarij D. Andreæ de Barcia ipſe inquit Pinelus.

728 D. CHRISTOPHORUS MORENO AVALOS, Natione Mexicanus & Patria, ni nos conjectura fefellit, Regij Auditorij Cauſidicus, vernaculo idiomate publicavit

Teſtimonium pro Villa S. Fidei, quæ Novi Mexici caput eſt, contra ejuſdem Regni Gubernatorem D. Didacum de Vargas Zapata. Tacitis anno & loco editionis nomine que typographi, ut priſtinus in hiſce

hisce Opusculis usus ferebat. Extat tom. 6. Collect. nostræ in folio.

729 P. CHRISTOPHORUS REMIREZ, Natione Mexicanus, Patria Atlisquensis, Diœcesis Angelopolitanæ, Soc. Jesu nomen dedit, à qua & in amœnioribus litteris probatus, & in Philosophia Theologiaque cum primis habitus, Latinitati tradendæ primùm admotus, dein Rhetoricam in Maximo Collegio Mexiceo professus est, Philosophiamque multis publicè exposuit. Quatuor nuncupatis votis insignis, & dotibus clarus, Rector datus est Regali S. Ildefonsi Collegio Mexiceo, unàque amplissimo Seminario, quod ad præsens moderatur egregio lectissimi côventus emolumento quotidie incrementa capientis ab strenuâ ejus regimini navatâ operâ. Elogio abstinemus viri novis amicitiâ conjuncti, cujus alijs propterea reservamus cômendationem. Scripsit

Poeticam concertationem pro JESU die natalitio numeris celebrando, dato vatibus Sceptri symbolo. Habetur in Libro ejus argumenti plura complectente Opera ad annum 1743 in Biblioth. Collegij Maximi Mexicani.

Cursum Philosophicum à Summulis ad supremam usque, secundùm Aristotelicum systhema, ejusdem Stagiritæ librum; cujus exémplaria sunt multa.

Conciones, Prolusiones, & amœnioris alia litteraturæ Opuscula. Mss.

730 FR. CHRISTOPHORUS RUIZ, Natione Hispanus, è Provincia Conceptionis Seraphici Ordinis, in qua professus fuerat, in recentem ea tempestate Mexicanam S. Evangelij anno 1538 trajecit unà cum P. Joanne de Gaona alijsque eximijs Sodalibus. Egregiâ virtute floruit, & cœlestium contemplationi rerum, cui deditus erat, negotia sibi injuncta à Superioribus amicè sociavit. Semel iterumque Primarium Mexiceum Cœnobium rexit, atque inter Provinciæ adscriptus Deffinitores, strenuè munere functus est. Magno sibi à religiosissimâ vitâ nomine comparato, ex eodem Mexicano Conventu ad Superos abijt, ut piè creditur, die 25 Maji anno 1550. Edidit hispano sermone

Tractatum de Oratione.

Cujus, post duo & amplius secula, exemplar nos invenisse nullum, mirum non est; habemus tamen testes locupletissimos Nicolaum Antonium in Bibliotheca nova pag. 191. Gonzagam & Wadingum sequentem: itemque Torquemadam in Monarchia Indica tom. 3. lib. 20. cap. 61. p. 525. edit. novissimæ, & Betancurtium in Menologio ad diem 25 Maji pag. 51.

731 D. CHRISTOPHORUS RUIZ DE CABRERA, Natione Mexicanus, apud Villam de Carrion in Valle de Atlisco Diœcesis Angelopolitanæ ortus, Præsbyter Secularis, moribus juxtà com-

commendatus & litteris, Concionator fuit, non Mexici tantùm & Angelopoli, sed in ditionibus etiam alijs, ut propterea Generalem Regni Prædicatorem se in Opere mox recensendo, nuncupaverit. Pro Sacramentis Mexicano Idiomate ministrandis publico insignitus titulo, alijs etiam nominibus claruit, Archiepiscopo Mexicano Illmô. D. D. Joanni de la Serna, virisque alijs gravissimis peracceptus. Edidit hispanâ linguâ

Singulares rarosque eventus Mexici, excitatis turbis ad clavum sedente Marchione de Gelves Pro-Rege. Mexici, anno 1624 in folio, tacito typographi nomine. Extat tom. 20. Collect. Mendozianæ, Opusculumque 9 capp. Historiam funestissimæ cladis absolvit.

732 M. F. CHRISTOPHORUS RUIZ GUERRA, Natione Mexicanus & Patria, post imbibitas Humaniores litteras, Philosophiæ operam dedit atque Theosophiæ, laureamque Magistralem in Academia Mexicanensi tulit, ac procedente tempore Decanum egit Consessus Philosophici. E Præsbytero Seculari, Judiceque Ecclesiastico Tezcucanæ ditionis, & Censore apud S. Inquisitionis Tribunal, in Ordinem Hospitalitatis S. Joannis de Deo transivit, in quo emissâ professione, ministerijs incubuit Sacerdoti congruentibus, ægrotantium in Valetudinarijs Confessiones sacras excipiens, cæterisque Sacramentis muniens & hortationibus parantes se ad supremum agonem. Conciones in utroque statu frequentes habuit, atque ut erat in amœnioribus litteris & poesi versatus, Oratoria post se reliquit & Poetica monumenta editis Operibus, quæ subjicimus. Hispano sermone excusit Panegyrim à se habitam pro ampliando Catholici Regis nostri Philippi V insigni triumpho ad Villaviciosam relato, cui titulum dedit

Corona hæreditario Jure, electione item, & acclamatione quæsita. Mexici, typis Michaelis de Ribera 1712 in quarto. Extant etiam

Triumphalis pompa pro excipiendo Excmo. D. D. Joanne Antonio Vasquez de Acuña, Marchione de Casa Fuerte, Mexiceo Pro Rege, Imperialis Mexicanensis Urbi, sumptibus & jussu constructa. Mexici, ex Officina Josephi Bernardi de Hogal 1722 in quarto. Extat in Collectaneis nostris tom. 38. Opusculum est Poeticum latinis hispanisque numeris concinnatum, Augusti exemplari pro inclyto celebrando Pro-Rege ab Authore proposito.

Arcus triumphalis ab insigni Metropolitanâ Ecclesiâ Mexiceâ excitatus gratulandi ergo adventum Pro-Regi Excmò. Marchioni de Casa Fuerte. Mexici, eisdem typis & anno in quarto. Extat in dicto nostro tom. Promethei idæam sibi vates præfixit, quam hispanâ ac

ac latinâ poesi in commendationem Herois sui expressit.

Litteræ faustè laureatæ laurusque litterarum festiva, seu, Descriptio solennissimæ pompæ, Concertationisque poeticæ ab Academiâ Mexicanâ institutæ, præstiti ergo Juramenti recèns ad Hispaniarum Thronum evecto Ludovico I. Mexici, ex Chalchographia Josephi de Hogal 1724 in quarto. Liber est amœnissimâ ob oculos exhibens narratione Academica gesta pro dilectissimi Regis inauguratione colendâ, numerosque pulcherrimos ab selectioribus profectos Mexiceis ingenijs, Ludovicum plaudentibus Philippo suffectum, ceu Herculem Atlanti: Hoc enim illis argumentum propositum fuerat ad Concertationem, cui Noster à Secretis fuit destinatus. Placet porro Epigramma hîc excribere, quod Libro præfixit Christophorum laudans D. Josephus de Villerias, Mexicanus, vir eruditione juxtà & ingenio in paucis habendus.

EPIGRAMMA.

Cui dedit Alcidæ Pater Atlas omnia, Christum
Christophorus fertur sustinuisse volans.
Alciden, magnus dat Atlas cui sceptra Philippus:
Alter Christophorus nunc quoque portat ovans.
Herculeum gestans graviorem robur Olympum,
Hic levat ingenio, viribus ille tulit.
Nempe, ut cùm similis labor ambos urget, uterque
Christophorus fœlix Herculis adsit Atlas.

Ecclesiæ anima in sacramento charitatis S. Joannes de Deo, seu ejusdem S. Parentis concio. Mexici, mox dictis litteris 1725. in quarto. Extat in Collect. nostris tom. 3.

Zachæus Hospitalarius, seu Panegyrica concio habita in Dedicatione Mexicei Templi sub titulo S. Joannis de Deo à fundamentis instaurati. Mexici in eâdem Officina 1729. in quarto.

Ignis gloriosissimi S. Joannis à Cruce inter Sanctos relati, è vivifico Sacramenti altaris igne mutuatus. Sermo apud nudipedes Carmelitas Mexici habitus sexta die solennissimi festi Canonizationis ejusdem Divi. Extat unà cum multis id argumenti Opusculis in *Secunda quintadecima Jannuarij Mexicana* pag. 435. Mexici, typis Josephi Bernardi de Hogal 1730 in quarto.

Phenix flammas inter Zacatecanorum exustus, denuoque redivivus: Sermo in ea Urbe habitus, novæ Crucifixi Imaginis causâ dedicationis, in combustæ locum suffectæ. Mexici, litteris D. Mariæ de Ribera 1736. in quarto. Habetur tom. 14. Collect. nostræ.

Oratio funebris dicta in Exequijs R. P. F. Josephi Montes, Commis-

missarij Generalis in Novâ Hispaniâ Ordinis S. Joannis de Deo. Mexici, eisdem typis & anno, in quarto. Extat in Collect. nostris tom. 33.

733 D. CHRISTOPHORUS SANCHEZ DE GUEVARA, Natione Mexicanus & Patria, in utroque statu prophano scilicet & Ecclesiastico insignis fuit. Matrimonio junctus, Causidicum egit celebratissimum, atque infula Doctoris in Jure Civili conspicuus, nec minus in Canonicis sanctionibus clarus, plures Academiæ Mexicanensis Cathedras rexit. Institutionum Imperialium primùm suggestui præfuit: mox Vespertino pro Romanorum jure explicando incubuit: Dein Vespertinum pariter pro Sexto Decretalium Libro tradendo sumpsit; tandem Decreti Cathedram moderatus est, quo usque adimpleto vicennio Emeriti requie & honore potitus est. Tum verò Rector Academiæ datus, eo etiam strenuè defunctus est munere. Morte conjugis, prophanis se abdicans, initiatusque Sacerdotio, ad Metropolitanæ Ecclesiæ Canonicatum evectus, & postmodum Mesochorus creatus, 7 Novembris anno 1644 casu sanguine exhaustus obijt. Non dum eo tempore usus tenuerat Academicus Mexicanus, Antecessorum Elucubrationes in Tabularium & Libros redigere, qua propter scripta Nostri, quæ dubio procul multa fuere & perdocta, signatius indicare prohibemur, contenti Opusculum innuere, quod editum vidimus, tacito tamen nomine typographi pro ętatis consuetudine. Est autem illud hispano sermone *Testimonium in jure de Comitijs Provincialibus à Religiosis Augustinianis Regni Michoacanensium habitis.* In folio anno 1632. Extat tom. 5 Collect. Mendozianæ.

Authoris meminit Plaza in Chronicis Academicis Lib. 4 cap. 17 n. 147.

734 M. F. CHRISTOPHORUS DE SOTOLONGO, Natione Mexicanus, Patria Habanensis, Professione Dominicanus, abjectâ prædivitis opulentiâ Domus paternæ, nihilque nobilissimâ moratus stirpe, seculo se abdicavit, in Conventum S. Joannis Lateranensis Urbis Habanensis Primarium Sacri Pręd. Ord. anno 1672 die decima Novembris receptus. Scholæ Palęstram, tradendo, quas ibidem acceperat, Philosopiam atque Theologiam, ubi dimensus fuerat, Magisterij bravium accepit, nec proprea otio indulsit & quieti, imò solennius se sacris Biblijs studendis PP. atque Interpretum Voluminibus consultandis, idque genus se dedit, tanta inde eruditione locuples, ut, cùm modestissimus esset, dixerit tamen datâ occatione, paratum se esse ad quotidie dicendum integro mense de Beatissimæ Mariæ Virginis laudibus, atque ejusdem Rosarij præconijs (erat sanè ejus mysterijs co-

egregiâ pietate addictissimus) nullo ad id officij Libro interin evoluto. Humanissimus erat & urbanissimus, facili ut negotio moribus suis ac litteris omnium sibi animos devinciret. Scripsit idiomate hispano Librum cui titulum dedit

Gigas Chananeus, seu Acta & Martyrium unàque Miracula S. Christophori, Urbis Habanensis Patroni, stylo Historico Panegyrico expensa.

Traditum fuisse Opus Mss Authoris cognatis edere illud cupientibus, monet nos M. F. Joseph Gonzalez Afonseca, ejusdem Ord. in data de Scriptoribus Habanensibus narratione: nec tamen illud adhuc esse publici juris factum. Scripsit prætereà eâdem linguâ

Historiam miraculosæ Imaginis Venerabilis Deiparentis à Charitate dictæ, quæ in Sanctuario del Cobre prope Cubensem Civitatem egregiâ colitur religione. In hoc Libro Author ejus originem Imaginis detegit, quondam super aquas Nipensis stationis inambulantis, quamque Iconem operâ S. Evangelistæ Lucę sculptam arbitratur momentis pluribus. Asservari Mss in Archivio mox dicti Sanctuarij credit citatus M. Afonseca.

Tractationes Philosophicas & Theologicas.

735 F. CHRISTOPHORUS DE TORRES, Natione Mexicanus & Patria, Ordinis S. Francisci strictioris Observantiæ in Provincia S. Didaci Mexicea professor, acuti vir ingenij & multæ doctrinæ, Philosophiam Sodalibus è Cathedra tradidit & Theologiam, Definitoris munere & alijs insignis, edidit vernaculo sermone

Compendium Doctrinæ Christianæ, & Præceptorum Regulæ S.P.S. Francisci pro tyronum institutione. Mexici, typis Josephi Bernardi de Hogal 1726 in 4. scripsit verò

Philosophiæ Cursum ad mentem Scoti.

Theologicos Tractatus.

Conciones varias à Symmistis suis requirendas.

736 D. CHRISTOPHORUS VADILLO, cujùs incerta nobis Patria est & Natio, antiquiores inter Mexiceæ Universitatis alumnos censetur, qui Jurisprudentiæ apud ejusdem Aulas operam dederint. Baccalaureatus insignis laureâ, à Secretis habitus fuit Academici Magistratus, moxque Decreti Cathedrâ vacante, unus è candidatis ipse pro illâ regendâ scholastico facto periculo, cœteris fuit prælatus die 20 Augusti anno 1565. Tum Licentiæ & Doctoratus gradum in Jure Canonico tulit, proque instituendis auditoribus suis auspicatus est

Opuscula in Gratiani Decretum.

Ejus extat memoria in Chronicis Academicis Plazæ lib. 1. cap. 7. n. 34 & 35.

737 D. CHISTOPHORUS DE LA VEGA, Natione Mexicanus Patria, Angelopolitanus post datá bonis litteris operá & imbibitá Philoso-

losophiam, Apollineæ Facultati se dedit, cujus demum lauream retulit Doctoralem. Multi sanè habitus, cùm pro Medicinæ praxi, tum etiam pro theoria, Vespertinus Academicus Professor plures annos ad obitum usque instruendis Discipulis vigilavit. Interea pro Valetudinario à Purissimâ Conceptione nuncupato, quod Ferdinandi Cortezij jussu & sumtibus conditum est, institutus, solicitè juxtà & piè ægrotantibus pauperibus adfuit, Archiatrum etiam egit, quod munus Proceribus in re Medica tribus injungitur. Scripsit

Tractatus exponendi ergo solenniores Aphorismos ad audientium commodum Scholasticorum aptatos, ut Annuæ Lectiones Academicæ nos docent.

738 D. CHRISTOPHORUS DE VILLAREAL, Natione Mexicanus, Patria Floridensis, Mexicum deductus, humanioribus litteris eruditus & artibus liberalibus, illustri S. Raymundi Nonnati Collegio Commendatorum Ord. Beatissimæ V. Mariæ de Mercede adscriptus fuit, quod à Clarissimo Fundatore pro Habanensibus, in quorum Diœcesi Florida est, & pro Michoacanensibus conditum fuit. Sedulam utrique Juri navavit operam tanto successu, ut Patronus causarum evaserit nemini secundus, maximi subinde habitus non à clientibus modò, sed à Doctissimis Senatoribus, & quibuscumque viris eruditissimis. Doctorali Civilis Juris apice redimitus in Academia nostra, quæ molestissimam cum Majori Collegio Divæ Mariæ & Omnium Sanctorum litem trahebat, à pleno Antecessorum & Doctorum consessu Procurator in Hispaniam destinatus, faustè apud Regiam Curiam negotium egit, Universitatisque juri consuluit, Schedulâ à Catholico Rege nostro Philippo V demum optentâ pro Academicis privilegijs & usibus ad unguem adstruendis. Pro Mexiceo Areopago institutus Auditor, redux ad nostros, suas in judicando partes tam agebat egregiè, quam fœliciter olim quæ Advocati fuerant & accuratissimè absolverat. Bibliothecam sibi apparavit multis & selectis Voluminibus omnigenâ amœnis & perpulchris eruditione, qua ipse quoque prædives erat, Librisque conjunctis plurium litteratorum Virorum Imagines superposuit, dignus qui simili à doctis hominibus habeatur honore. Edidit materno sermone

Defensionem cujusdam de homicidio accusati. Mexici, tacitis anno & Typographo in fol. habetur tom. 2. Collect. Mendozianę, & tom. 4 nostræ.

Allegationem coram Metropolitano Judice expositam cognoscente in gradu Appellationis de negotio Sodales Mercedenses tangente. Mexici, tacitis anno & Officina, in folio. Habetur à Mendoza inter scripta non compaginata.

Allegationem pro D. D. Joanne de Brizuela in lite super Primariæ Medicinæ Cathedræ provisionem exortâ. Mexici, tacitis anno & Calchographia. In folio. Extat tom. 20 Mendozianæ collect.

Responsionem pro Militibus in Americanâ Clase de Barlovento merentibus, datam Opusculo edito eorum Præfecti nomine D. Guillermi Morfy. Mexici, tacitis anno & Typographi nomine in folio. Extat tom. 20. Collect. Mendozianæ.

Propugnationem juris D. Christophori Bernardi de la Plaza, à Secretis Academiæ Mexicanæ, ad primogenia bona, vulgo dicta Vinculum. Mexici, tacitis item anno & Officina, habetur in folio tom. 15 ejusdem Collect.

Propugnaculum juridictionis Regio nomine instituti Mexicei Tribunalis pro decedentium ab intestato bonis curandis. Extat in fol. editum in dicto tom.

Pro Regia Societate de Guinea nuncupata, Mexici, 1708 in folio. Habetur in eodem tom.

Allegationem pro D. Salvatoris de Perea jure in causâ contractus. Mexici, in folio habetur ibidem tom.

Defensionem alteram rei alterius de capitali causa accusati. Mexici, in folio. Extat tom. 25 Mendoziano.

Consultationi sibi factæ ab Illmô. Angelopolitano Episcopo D. D. D. Emmanuele Fernandez de S. Cruz in puncto clausuræ responsum. Extat Mss tom. 47 Collect. Mendozianæ.

739 M. F. Christophorus de Zea, Natione Mexicanus & Patria, Ord. S. Francisci in Conventu Mexiceo emissâ professione se addixit. Doctoratus in Sacrâ Theologiâ conspicuus infulis & Antecessoris munere, quod obierat, egregiâ laude, in Academiâ nostrâ, eandem ut in Cœnobio suo spartam ornaret, jussus; non modò Sodalibus Theosopiam tradidit, sed antiquis multis Academicis discipulis, qui ipsum audiendi gratiâ eò conveniebant. Tanto erat in Sacrâ Facultate nomine, tantique ab Scholaribus habitus. Deffinitorem egit Provinciæ & Conventus de Xochimilco, inter primos insignis, Guardianum. Virtutibus claruit, quas jugi carnis maceratione, sacris meditationibus, & exactissimâ in Choro frequentando pietate fovebat. Abijt ad plures die quinta Martij anno 1614 mærente Familia, quæ litteris conspicuum & moribus virum egregio amore prosequebatur. Ejus meminit Betancurtius in Menologio pag. 27 die 5 Martij, qui tamen scripta prætermissit.

Theologica Opuscula, aliunde haurienda, nec dum à nobis hausta ex Academico Tabulario, in quod id temporis Professorum Codices inferri cautum non fuerat.

740 D. Clemens Bugueiro, Natione Mexicanus, &, ni fa

fallimur, Patria, Causidicos inter adscriptus Conventus juridici, edidit hispano sermone

Allegationem juris gratiâ tuendi Petri Maldonati Sculptorum coagmentatoris. Mexici, anno & Typographiâ, antiquo more, tacitis in folio. Extat tom. 15. Collect. Mendozianæ.

741 F. Clemens de Ledesma, Natione Mexicanus & Patria, Ordinem Seraphici Parentis Francisci in Provincia S. Evãgelij Regularis Observantiæ sectatus est, cui exemplo vitæ, doctrinæ, & officijs decus adjecit. Philosophiæ Professor Sodalibus ipsam triennio è suggestu aperuit. Theologiæ pariter tradendæ aptissimus licèt, ut qui eam altè imbiberat, methodoque & ingenio ad docendum pollebat, Aulis dimissis, curas suas omnes in pulpitum sacrum & animarum institutionem christianam intendit & piam, concionibus juxtà habendis, & excipiendis fidelium confessionibus deditus. Præfectus Tertij Ordinis sui alumnis, non hortationibus modò publicis & privatis consuluit, sed editis etiam Scriptis, quibus eorum instituta & quæ ad ipsos cumque attinent, explicatè eruditèque tradit. Prædicatoris Emeriti gradu insignis, à generali Novæ Hispaniæ Commissario Visitator in Michoacanensium Provinciam ejusdem Ord. dimissus est, cujus subinde Pater evasit. Suæ mox S. Evangelij Provincialis canonicè 24 Aprilis 1694 electus, multis inclaruit: nam & religiosam observantiã accuravit vivosque lapides, & ædibus instaurandis in Primario Conventu operam dedit: excitavit à fundamentis eas in quas se tyrones recipiunt, & austeræ vitæ rudimenta ponunt: cellas item alias erexit & Officinas Religiosorum usibus aptas. Nec verò virtus ejus domesticos intra lares continuit se, imò plures juvandi zelo, in primisque augendæ Dei gloriæ, perutiles & scitè à se elucubratos Libros publici juris fecit. Sunt ij quidem hispano sermone

Vita spiritualis communis Seraphici Tertij Ordinis S. Francisci. Mexici, apud D. Mariam de Venavides 1689. in quarto.

Compendium excellentiarum Tertij Seraphici Ordinis: cui accessère Constitutiones peculiares V. Tertij Ordinis Civitatis Angelopolitanæ. Matriti, typis Antonij Gonzalez 1705. in octavo. Editionem hanc 2 esse atque à se visam scribit P. F. Joannes à S. Antonio in Bibliotheca Franciscana tom. 1 pag. 272.

Notitiarum excitator Moralium tomus 1. Mexici, litteris D. Mariæ de Benavides 1695 in quarto.

Notitiarum excitator Moralium tom. 2. Mexici, eisdem typis & anno. in quarto.

Excitatoris Compendium notitiarum ad S. Sacramenta spectantium. Mexici, ex eadem Officina 1695. in octavo.

Compendium excitatoris alterum. Mexici, eisdem formis & anno in octavo.

Excitator Reipublicæ studiosi, alphabetico ordine in summam redigens primum & secundum Compendium excitatoris notitiarum Theologicarum Moralium cum additionibus varijs necessarijs pro multorum statuum obligationibus aperiendis. Mexici ex eadem Calchographia 1700. in quarto.

In his porrò de Theologia mores diligente Voluminibus, ne cui ofendiculo sint tyroni proscriptæ à Summis Pontificibus Alexandro VII & VIII, item ab Innocentio XI theses, ab Authore rejiciuntur atque notantur.

Memorata Bibliotheca Franciscana, quam dicto tom. 1. cœtera latuerunt scripta nostri præter Compendium primum; addidit tom. 3 inter Appendices, conciones

De JESU Nazareno.

De Angelopolitani Templi dedicatione.

De cujusdam monialis Professione. Mexici excusas anno 1684. quæ nos hactenus fugiunt.

Meminit Nostri Betancurtius in de Illustribus Provinciæ suæ viris pag. 147. n. 37 & pag. 152. n. 60.

742 F. Clemens a Neapoli, non aliunde nobis notus quam à mox dicta Bibliot. Franciscana tom. 1. pag. 272. nisi ejusdem Author deceptus est, Provinciæ S. Evangelij alumnis accensetur, diciturque hispano sermone scripsisse

Centuriam Epithaphiorum Italicè concinnatam à Joanne Francisco Loredano, prout narrat Abbas Ghilinus in suo Theatro Italico Litteratorum edito Mediolani pag. 203.

743 P. Dr. Clemens Sumpsin, Natione Mexicanus, Patria Goatemalansis, prænobili egressus è Domo, in qua optimè fuerat à genitoribus institutus, & latinis litteris efformatus, Soc. JESU in Provincia Novæ Hispaniæ se addixit. Philosophiam in Collegio Maximo Mexicano publicè docuit; Theologiam verò primùm Antequeræ Goaxacentium, dein verò Angelopoli & Mexici professus est annis multis, Primariæ Cathedræ tandem præpositus, & postmodum Studijs majoribus. Hinc eximio Doctorum Mexicanensium plausu Dr. & ipse in Sacra Facultate auguratus, pro regendâ in Universitate Cathedra Doctoris Eximij Perpetuus & primus Antecessor fuit institutus, ad obitumque usque strenuam Professoris muneri operam navavit. Erat quidem in re scholasticâ politissimus, & ad palæstram natus, atque exercitatione jugi promptissimus juxtà & doctissimus. Adhæc, similem in omni Theologia nactus eruditionem, atque in utroque Jure minimè vulgarem peritiam, gravissimis alijs incumbebat negotijs, & à Consistorio Fidei Mexiceo Censoris titulo pluries ex mu-

munere requisitus, & ab Archiepiscopo & Episcopis consultus, gaudentibusque ut sacris initiandos, exponendosque audiendis confessionibus, ac Ecclesiastico designandos suggestui experiretur atque probaret. Comitate insignis & humanitate, vitę quoque probitate conspicuus, amori erat & religiosis omnium Ordinum viris, & Nobilibus etiam ac vulgaribus, in egenos ipse & miserabiles egregiâ charitate propensus, quos, ut ut poterat, eleemosynis sublevabat. Animarum boni sollicitus, pro ipsis expiandis confessione libèns in Ecclesia aderat, proque erudiendis & domi & foris concionabatur. Instituta Familię suæ deperibat, & sanctè servabat, Rectorque datus Collegio Maximo, egregiâ semper observantiâ florenti, exemplo alijs præibat. Multa erat adversus Deiparentem Virginem religione, cujus morti proximus præsidium fidentissimè postulans, & cruciatus memoriâ refricans, pientissimum Hymnum *Stabat Mater dolorosa* decantari sibi voluit, sacramentisque munitus, pręcedenti pervigilium Purissimæ Conceptionis die animam Deo reddidit anno 1735. Funeri ejus Academicus Senatus, Cœtusque Religiosi, atque Equites multi interfuere. Scripsit

Philosophiæ Cursum, Summulis, Logica, Physicâ, Metaphysicâ, & cæteris Libris constantem Aristotelici more Systematis. Insuper Tractatus Theologicos

De Deo ut uno.
De Perfectionibus divinis.
De Visione Dei.
De Voluntate Dei.
De Angelis.
De Actibus humanis.
De Bonitate & malitia.
De Merito justi.
De Beatâ Virgine.
De Pactis & Contractibus in universum.

Quorum aliquos *Lectionum Academicarum* index nobis exhibuit, alios sæpius vidimus Mss, præter quos concinnasse alios non dubitamus hactenus nos fugientes. Scripsit præterea

Prolusiones Latinas.
Conciones Hispanas.
Consultationes varias,

Quæ forsan à Sodalibus custodiuntur.

744 CLERICI CONGREGATIONIS MEXICANÆ B. M. ANUNCIATÆ IN COLLEGIO MAXIMO SS. AA. PETRI ET PAULI SOC. JESU conditæ, juris publici fecerunt hispano sermone conscriptum ab ipsis Opusculum, cui dedère titulum:

Dubia ad sanctas Missæ Ceremonias spectantia per Clericos resoluta Congregationis Dominæ nostræ erectæ Apostolicâ authoritate in Collegio Soc. JESU Mexiceo. Mexici, apud Henricum Martinez anno 1602. in quarto.

Porrò Congregationi huic paulo post annum 1578 institutæ in Schola Soc. JESU Mexiceâ, ut Author est P. Florencia in Hist. Pro-

Provinciȩ Novæ Hiſpaniæ Lib. 6. cap. 7. pag. 353 n. 381. quæ que primas tenet inter ejuſdem inſtituti cœteras Americæ noſtrȩ; Indulgentias communicavit, Pontificia qua donatus erat facultate, R. admodum P. Claudius Aquaviva Præpoſitus Generalis Soc. JESU anno 1587. quas Gregorius XIII & Sixtus V jam pridem conceſſerant ejuſdem nominis Sodalitio Romani Collegij. Quòd autem frequentiſſima Mexici Schola etiam ea tempeſtate fuerit, opportunè ab ejuſdem Rectoribus bimembris Congregatio facta eſt, cui tertium quoque caput acceſſit. Nam Grammaticæ & Rhetoricæ cultoribus Præfectus fuit datus in Gymnaſium maximum conveniētibus pietatis exercendȩ qualibet die Dominica; Philoſophos autem & Theologos Prȩfectus alius in Eccleſiâ ſimilibus format inſtitutionibus. At qui ex ijs Sacerdotio initiati evaſère & Doctoralibus infulis inſigniti, aut alijs Eccleſiaſticis muneribus clari, ceu tertium Congregationis gremium fecerunt, alterâ per hebdomadam die convenientes Sacrorum Rituum & Ceremoniarū collationes habendi gratiâ, quibus ad aram facientibus opus eſt ſtudere, & quæ propria ſunt Sacerdotij officia ſecum communicandi. Id circo prȩter cœteris communes Sodalibus Regulas, peculiares ad Prȩſbyteros duntaxat ſpectantes coluere, & utrasque ad calcem memorati Libri ediderunt à pag. 208 ad poſtremam uſque. Accuratiſſimâ uſuri Criticâ in Liturgicis, quibus operam dabant, ſex ſeptem vè Miſſalium Editiones prȩ manibus habuere, ex eis quæ à S. Pij V reformatione ad annum uſque 1600 adornatæ prodierant, queis inter ſe collatis, propius ad Pontificis S. mentem accedentibus Rubricis adhæſere & Decretis. Varias itidem *Pontificalis Romani & Ceremonialis Epiſcoporum* impreſſiones diligenter conquiſitas pro inſtituto ſuo conſuluere, evolutis interea Scriptoribus qui tunc uſque ea de re egerant, ut Epiſtolâ ad Clerum Mexiceum data in editi Voluminis anteceſſu prȩmonent. Eximios in eo Congregationis ordine doctrinâ & pietate viros floruiſſe teſtis eſt prȩcitatus P. Florencia, Liberque editus ſatis indicat nuncupatus Sodalitij Protectori D. D. Joanni de Cervantes, Mexiceo Archidiacono & Arciepiſcopatus Gubernatori, Sacrorum Bibliorum Academico Interpreti, & poſtmodum Epiſcopo Goaxacenſi, qui in Epiſtola eidem præfixa Libro ad ſodales Clericos ſcripta, & ſe unum ex illis eſſe teſtatur, & alterum D. D. Alphonſum Muñoz, Primarium Sacræ Theologiæ Profeſſorem, dein Metropolitanȩ Eccleſiæ Decanum, & pro Chiapenſi electum Antiſtitem, cui Opuſculi examen pro editione commiſſerat. Præter typis excuſum Librum jam dictum, Authores ijdem elucubrarunt

Ali-

Aliquot alios ejusdem argumenti admodum expolitos & doctos,

Quos inveniri apud Collegiū Maximum P. ipse Florencia affirmat pag. 357. n. 387. subjungens, institutis deinceps alijs Clericorum Cōgregationibus, Anunciatæ V. Sodalitium penes Scholares totum mansisse, à queis hodie que frequentatum viget ac floret.

745 CONCILIUM CARAQUENSE I habitum est in Urbe Caracas, Provinciæ Venetiolæ capite, anno 1609 ab ejusdem Episcopo Illmô. D. D. F. Antonio de Alcega, Franciscano, teste Ægydio Gonzalez Davila in Theatro Ecclesiæ Venetiolę pag. 301. Opinamur Synodum hanc custodiri in Archivio ejusdem Ecclesiæ.

746 CONCILIUM CARAQUENSE II an numeremus, sumus ambigui, quamvis de Constitutionibus Synodalibus Caraquensibus fidem nobis faciat Pinelus in Epitome Bibliot. Occid. Editionis novissimæ col. 789 testatus editas fuisse in folio anno 1698. Porro id circo in ancipiti hęremus, quoniam extra Synodū quoq̃ istiusmodi Constitutiones ab Episcopo emanare possunt, quod mox scribemus indicantes Diœcesim Chiapensem, & aliunde rei historiam venari nequamus. Constitutionum Caraquensium à memorato Pręsule conditarum meminit D. Joannes Chrysostomus Rodriguez Garrasedo, loco inferius dando in *Illmûs. D. D. Didacus de Baños & Sotomaior.*

747 CONCILIUM CHIAPENSE seu Diœcesanam Synodum hîc forte aliquis quæret, qui legerit Constitutiones Diœcesanas Episcopatus Chiapensis conditas ab Illmô. D. D. F. Francisco Nuñez de la Vega, Dominicano, ejusdem ditionis Antistite, editas que Romę anno 1702. tom. in folio. Quòd tamen eas citra Synodum Præsul his doctissimus juxtà & vigilantissimus dederit, propterea nullum Chiapæ Concilium memorandum occurrit.

748 CONCILIUM COMAIAGUENSE I, itemque II indixit & habuit in ea Urbe Hondurensis Diœcesis primaria, ejusdem Episcopus Illmûs. D. D. F. Ludovicus de Cañizares, Ord. S. Francisci de Paula, anno 1631. mensibus Januarij & Martij, teste Ægydio Conzalez Davila in Theatro ejusdem Ecclesię pag. 308 scribente penes se habere utriusque Synodi exemplaria, quę itidem fuisse Mss in fol. in Bibliot. D. D. Andreæ de Barcia Regij Consiliarij scripsit Pinelus in Epit. Bibliot. Occid. col. 771.

749 CONCILIUM GOATEMALENSE habitum fuit ab Illmô. D. D. Bernardino Villalpando, qui ei Ecclesiæ prefectus fuit anno 1564 in ipsam è Cubensi translatus. Quo autem anno initus Conventus is fuerit nos latet, ne verbum quidem de tempore habentibus, qui memorant Synodum, Scriptoribus Ægydio Gonzalez Davila in Theat. ejusdem

Ecclesiæ pag. 153, & F. Raymundo Leal inGoatemalensis Ecclesiæ Monumentis pag. 43 ubi isthęc de Villalpando scribit: *Synodum celebravit, cujus nulla extat memoria: Authographum illorum temporum injuriâ deperijsse credendum est.*

750 Concilium Hispaniolense Provinciale coactum est in Insula à S. Dominico dicta, Americæ nostræ Primate, ab ejusdem Archiepisco Illmô. D. D. F. Petro de Oviedo Ordinis S. Bernardi, incerto nobis anno, quem reticuit Ægydius Gonzalez Davila in Theatro ejusdem Ecclesiæ pag. 268 ubi Concilii hujus memoriam habet, pariterq̄ in Theatro Ecclesiæ Portudivitensis pag. 292 ubi Illmûm. D. D. Bernardum de Balbuena suffraganeum Hispaniolæ ei interfuisse dicit, & in Theatro Ecclesiæ Quitensis, itemque de la Plata Americæ Meridionalis, in quas translatus fuit Illmûs Oviedo. Id exploratum est Ægydio, Oviedum 19 Septembris anno 1625 præsentatum pro Ecclesiâ Hispaniolæ fuisse, pro Quitensi autem anno 1632. Hinc mendū irrepsisse typographicum patet apud Joannem Diez de la Calle pag. 19 Concilium hoc anno 1622 statuentem, tribus scilicet annis priusquam institutus fuisset ejusdem Præses. Tempus ergo & cætera Concilij hujus in obscuro nobis fatemur, atque ipsum Mss in tabulario Ecclesiæ ejusdem asservari facilè credimus.

751 Concilium Jucatanense seu Diœcesanam Synodum, Emeritæ, quæ primaria est Jucatani Civitas, indixit anno 1721, habuitque anno 1722, Illmûs D. D. Joannes Gomezius de Parada, vir doctrina juxtà & zelo præclarus, de quo multa in eum reservamus locum quo de ipso scripturi sumus. Nunc, quòd ad Synodum attinet, datis circum Diœcesim suam, quæ Provincias Jucatani, Cozumeli, & Tabasci complectitur, litteris 5 Maji 1721 Decanum & Capitulum Ecclesiæ suæ, Parochos & Seculares & Regulares, Capellanos & Clericos, unàque Gubernatorem & Ducem Generalem Provinciæ atque ejusdem Urbium & Villarum Rectores, cœterosque de jure vocandos piè insimul & doctè præmonuit, die sexta Augusti anni venturi proximi 1722 ineundam in Cathedrali sua Synodum esse, pro qua cogenda, & Catholici Regis nostri Philippi V Schedulâ monitus fuerat, & propriâ excitatus conscientiâ ut generalis Concilij Tridentini præscriptis, Provincialisque Mexicani III constitutionibus obtemperaret. Itaque, prudentissimè rebus agitandis in antecessum habitis, prędefinita à se die Comitia cæpta fuere, dissolutaque 1 Octobris ejusdem anni. Porrò, ut ad præcitati Mexicani Concilij normam Synodum adaptaret, ipsam Libris, Titulis, & Decretis illius præ oculis habitis, similiter distinxit, unicuiq̄ eorum Constitutiones ca-

callentiſſimè adjiciens Diœceſi acommodatiſſimas, &, quod caput eſt, ſic in uſum diſpoſitas, ut prætererit nihil pro Eccleſiaſticâ diſciplinâ, morum reformatione, & inſtitutione chriſtianâ, cùm experientia duce, quam ab Provinciarum viſitatione comparaverat, tum etiam omnigenâ eruditione, in primis autem Theologiæ & Juris, Conciliorum, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & Diſciplinæ, ut propterea Synodus quam ſcripſit doctiſſima ſit & antiquis Eccleſiæ Patribus digna, quod viri graviſſimi de ea judicium tulere. Extat hiſpano ſermone præ manibus noſtris hoc titulo:

Conſtitutiones Synodales ſecundùm ordinem Librorum, Titulorum, & ſanctorũ Mexicani Concilij III Decretorum pro Epiſcopatu Jucatanenſi diſpoſitæ ab ejuſdem Antiſtite Illmô. D. D. D. Joanne Gomezio de Parada, Conſiliario Regio, in Synodo inita in Eccleſia ſua Cathedrali 6 Auguſti anno 3722, abſoluta autem 1 Octobris ejuſdem anni. In folio.

De ea in Goatemalenſis Eccleſiæ monumentis (ad quam è Jucatanenſi traſlatus fueratIllmûs Parada) editis à F.Raymundo Leal Ord. Præd. anno 1744 pag. 55 poſt alia habemus, non dum poſt annos plus viginti typis evulgatam, *cum adhuc inter Regiorum Miniſtrorum manus, nunquid in ea Regijs juribus obſtet explorantium, detineatur.*

752 CONCILIUM MEXICANUM I (ut cum Poligraphiæ ſacræ Authore P. Petro Franciſco à Conceptione, verb. Congregatio, pag. 173 paulo liberius nomine utamur,quod ſtrictè & preſſè ſumptum quid ſibi velit latet nos minimè, legentes, poſt alios DD. qui præeſt omnibus SS. D. N. Benedictum XIV libro 1 de Synodo Diœceſana cap. 1. eruditiſſimè, de more, ad propoſitum ſcribentem) habitum eſt anno 1524 in Ædibus Franciſcanorum Temploque Parochiali SS. JOSEPHI nomine inſigni, quod hodie que primaria eſt Indorum Paræcia: Apoſtolico Vicario Clariſſimo Viro P. F. Martino de Valentia ejuſdem Ordinis, præſidente, hortanteque etiam & juvante Inclyto Belliduce D. D. Ferdinando Cortezio,concurrentibusque Clericis quinque, Religioſis 19, & prophani Ordinis juris peritis quinque, omnibus 30 numero, ut ſcripſit Fanciſcus Lopez Gomara Clericus, tom. 2 Hiſtoriæ Generalis Indiarum, qui tomus in Mexiceam Expuguationem inquirit, fol.241 editionis Antuerpienſis anno 1554. Porrò, non PP. Torquemada & Betancurtius ſoli, ſed verò etiam & mox citatus Lopez Gomara & Scriptor de Hiſtoria Eccleſiaſtica benemeritus ac notiſſimus Laurentius Surius Carthuſianus, in Commentario brevi rerum in Orbe geſtarum ab anno ſalutis 1500 uſque ad annum 1568, Coloniæ edito, anno eodem, Congrega-

tionem istam Synodum seu Concilium apellant: placet lineas aliquot Surij transcribere: *Eodem anno* (scilicet 1524, de quo proximè dixerat) *Mexicana habita est Synodus solennis, cui tamquam Papæ Vicarius præsedit Martinus Valentinus, &c.*)

753 Vix enim Mexicum Martinus apulerat, unàque cum eo cæteri ejusdem Ordinis Apostolici Sodales numero 12, pro Christianâ Fide in vastissimis hisce Regnis & Imperio disseminandâ, cùm & ipse & socij Indorum deditì institutioni, hæc ut auspicatò succederet, altè jacienda fundamenta, collatis inter se & cum alijs viris doctis, consilijs, & exploratis, quantum fieri poterat, rebus, decrevère. Duce igitur & Præside P. Martino, cui suas in expeditionem gravissimam vices concesserat Romanus Pontifex Catholicæ Ecclesiæ Caput & Rector, in nuper erectum Sacellum convenientes, juxtàque evocati reliqui quos in principio diximus viri, plura Sacramentorum administrationem concernentia, &, quæ condebatur in Orbe Novo, Ecclesiæ sanctitatem & propagationem decentia constituerunt, amplissimam in horrea Domini mesem, ipso incrementâ dante, laturi.

754 Et principiò quidem ad Baptismi ministrationem constituta sunt ea, quæ maximè expedire sunt visa pro incredibili illum postulantium multitudine Indorum catervatim in Ecclesiam confluentium: gemini in quavis hebdomada destinati sunt dies, Dominicus nimirum & quintus, pro expiandis sacro fonte ijs qui christianis essent rudimentis instructi ætate adultis, parvulisque, ni periculum mora pertraheret: Ritus in antiquo Manuali Romano præscriptos, quod postea anno 1540 recussum est Illmî. D. D. F. Joannis de Zumarraga Episcopi & Archiepiscopi Mexicane jussione, cautum est observari in regenerandis, supersedendum tamen in unctione, deficientibus eo tempore sacris oleis deinceps opportunè adhibendis, & omissis interea nonnullis Ceremonijs, quæ negotium illud urgentissimum morarentur non citra multorum salutis discriminem forsitan sine baptismo moriturorum; & quàquam huic, procedente tempore, sanctioni ressfragati sint aliqui, scrupulum de collato in hunc morem baptismo moventes, obstitit eis tamen Paulus III Pontifex Maximus, anno 1537 die 15 Maji editâ Constitutione declarans legitimum verumque fuisse ministratum eo modo baptisma, & in posterum observanda præscribens.

755 Ad Confirmationis Sacramentum quòd attinet, nihil deffinitum, præstolantibus fortè Patribus, Episcopum brevi futurum, illud qui ministraret: totasque curas suas ad Pœnitentiam, quæ secunda est post naufragium tabu-

tabula, convertentes, pro ejus praxi Sacramenti opportuna fecère Decreta, cùm pro ęgrotantibus & morti proximis, tum etiam pro alijs. In Sacrosanctæ Eucharistiæ dispensatione cunctatius processère & meticulosius, non dum exhibendam Neophitis Communionem existimantes, quibus tamen, ea pasci cupidentibus, postmodum porrigi visa est gravissimis Theologis egregio successu, tantâque Neo-Christianorum in Corpore Christi sumendo religione, ut ne christianissimis & veteri pietate adultioribus in Fide concesserint.

756 De extremâ Unctione fovendis morituris, an statutum quidquam fuerit, non legimus, nec divinare licet, scientes, M. F. Petrum de Agurto, Mexicanum, Ord. S. Augustini, Episcopum Sebuensem, Tractatum edidisse dum Mexici Philosopiam profitebatur anno 1573 probandi ergo Neophitis Indis Hispaniæ Novæ, & Eucharistiam præberi debere, & Extremam Unctionem administrari, contraque ambigentes eruditè juxtà ac pie rejecisse multis & impugnasse. Negotium longè majus Concilij Theologis & Juris peritis Sacramentum Matrimonij faciebat, de quo tandem quid pronunciatum fuerit, libet à citato Laurentio Surio mutuatis verbis hîc aperire: *Baptizabantur illic multa hominum millia, & cùm antea plures simul uxores habuissent, dubitaretur que, quam ex omnibus retinere deberent, eodem anno Mexicana habita est Synodus solennis, cui tanquam Papæ Vicarius præsedit Martinus Valentinus, in qua tandem definitum est, quod qui Fidem Christianam cum omnibus Romanæ Catholicæ Ecclesiæ ritibus complecterentur, ex omnibus uxoribus unam tantùm, quam vellent, ducerent ritu christiano.* Adhæc, alia pro detegendis conjugij impedimentis ordinata fuère, statutique in singulis Oppidis ea qui explorarent, & præfiniti dies per hebdomadam, in quibus juxtà catholicos ritus Matrimonia celebrarentur.

757 Quòd verò rei caput in christianâ institutione consisteret, eam ut & adulti haurirent & parvuli, sacrisque nostris adessent, atque omnem pietatem imbiberent; mandatum fuit Vicorum Præfectis Indis, ut festis diebus excitatos summo mane (gentis more) vicinos, ordinatim, præcedente Cruce, in Ecclesiam, preces sacras recitantes, deducerent, qui Præsbytero ad aras facienti adessent, & documentis rei christianæ & pijs exercitijs insisterent. Præterea ut diebus singulis pueri & puellæ in ædes sacras deducerentur à grandiori aliquo, jussum est doctrinæ christianæ addiscendæ gratiâ, & politicæ etiam conversationis, designatis & Musices Præceptoribus, perpetuo in hæc usque tempora more.

758 Hæc porrò Concilij Mexicani I. capita fuere, propterea latius à nobis, quam pro instituto videatur, expensa, quòd in unum ipsa Lector habeat collecta, deficiente Concilij Codice, cujus Acta conscripsit P. F. Hieronymus de Mendieta Ord. Seraphici vicennio post Concilium habitum, ad nos delatus, quique pristina evolverat monumenta, de quibus altum Betancurtio & alijs silentium est, non alium fontem præter Mendietæ Volumen indigitantibus, quod ipsum Volumen nos etiam latet.

759 Quam verò fuerit Synodus hæc nostra prima christianarum fœcunda virtutum, in Dei gloriam, & Catholicæ Romanæ Ecclesiæ ornamentum, atque Hispani decus nominis promanantium, si persequi oratione pro rei dignitate vellemus, & extra orbitam currere diceremur, & immensi negotium moliminis auderemus. Ne tamen omnino taciti prætereamus rem lectu jucundissimam nec à proposito dissidentem, non nulla summatim indicemus oportet, quæ laudatus Surius memoriæ prodidit ab Caroli V Cæsaris Archivijs, authenticisque & gravissimis scriptis petita.

760 Ita habent. *In solo Regno Mexicano jam pridem fuere* (inquit scribens anno 1568) *octoginta SS. Monasteria, & in dies plura fiunt. Sunt ibi magni ubique Populi, multæ & validæ Urbes, pulcherrima ædificia & palatia ex latere & candido quoque marmore: Incredibilis frugum, auri, argenti, æris, & aliorum metallorum copia. Unica Urbs Mexicana centum viginti millia ædium habet: vicina autem municipia, alia septem, alia quindecim, alia viginti, alia triginta, aliqua quadraginta, alia sexaginta, alia septuaginta domorum millia obtinent.* Alijs verò interjectis multis, subdit: *Et quidem anno Salutis 1524 venit in Civitatem Mexicanam F. Martinus Valentinus cum duodecim Monachis, tamquam Vicarius Papæ à* Carolo *Cæsare illùc cum authoritate ejusdem Pontificis missus: eodemque anno prædicavit ille in Novi Orbis terra continente Evangelium Christi, & magnos illic progressus, magnaque incrementa Fides Christi accepit, & quidem ea ipsa Fides, quam Germani & plerique alij Europæi à Martino Luthero & alijs Sectarijs malè persuasi, ut Papisticam rejiciunt.*

761 Et rursus. *Idola omnia ex Templis exturbabantur, Crux Christi, & SS. Mariæ Virginis Imago in Templis reponebantur. Eucharistia populis ostendebatur: Missæ Sacrificium à Martino & Collegis duodecim patefiebat: Evangelium Catholico more piè & purè anunciabatur. Indi verò paucis annis tot baptizabantur in ea Novi Orbis plaga, ut alij septies dena centena millia, alij quater decies dena centena hominum millia in solo illo Mexicano Regno baptizata retulerint. Magna etenim in eo Novi Orbis tractu est hominum*

copia, adeò ut in Insula Fani Divi Dominici quindecies centena hominum millia fuisse reperiantur, & quandoque in Processione centum millia hominum se christiano more caciderint virgis.

762 Iterum post alia subjungit. *Et certum est, omnes Indos, & novi Orbis Carolini incolas & accolas fieri quotidie magis ac magis christianos. In Archivijs Caroli Cæsaris lectum est, unum quemdam Sacerdotem septies centena hominum millia baptizasse* (& hunc fuisse Joannem Gonzalez, Mexicanæ Ecclesiæ Canonicum, Academiæ Rectorem, sanctitate vitæ percelebrem, sunt qui non improbabiliter arbitrentur) *alium ter centum millia, alium centum millia, alios plures, alios pauciores. In solo Mexico referunt multi summa fide dignissimi, triginta fuisse Dynastas, quorum quilibet habuerit sub se centum millia hominum aut circiter, & tria millia Toparcharum, qui & alios sub se haberent clientes fiduciarios, & beneficiarios, vasallos, valvasores, & valvacinos, qui Dynastæ certa anni parte familiam suam alebant in Civitate Mexicana, Curia Regis Moctezumæ, & ex ea non licebat illis discedere ad suas Provincias nisi Regis permissu, ac relictis sive filijs sive fratribus suis in Civitate obsidum loco; &, quod dictu horrendum est, mille plerumque homines uno die in Civitate Mexicana immolabantur. Sed omnia idola exturbata sunt, dæmonibus silentium indictum, oracula & præstigiæ conticescere jussæ sunt, pluralitas uxorum in unius consortium est redacta: septem illis Sacramenta, & cæteri Romanæ Ecclesiæ ritus reverenter traditi sunt, nobis interim in Europa de horum contemptu, & novorum dogmatum complexu petulanter nobis applaudentibus, & tanquam mirifica reperta luce gratulantibus. Sed Deus præpotens, spretis nobis contemptoribus, suam gratiam offert illis barbaris & ignotis gentibus, ut hæretici tabescant, omnes illas Romani Pontificis observantissimas, & veteris Religionis studiosissimas.*

763 Hactenus ex Surio transcripta sint satis, quibus, ceu ex rivulo fontem, initia quisque Mexicanæ Ecclesiæ & incrementa dignoscat, quantumque salutaris fuerit ea prima Synodus, quæ, accedentibus quotidie & Franciscanorum, & Dominicanorum, & Augustinianorum, & Clericorum viris egregijs, additisque postmodum Jesuitis, Carmelitanis, & Mercedencibus, in plurimos latices ad vitá æternam innumerabilium animarum salientes, redundavit, affluitque etiamnum.

764 Hujus Concilij Mexicani meminère, quos diximus, Surius & Lopez Gomara citatis locis: Torquemada in Monarchia Indica tom. 3. Lib. 5. cap. 16. pag. 37. & Lib. 19 cap. 1. pag. 303 Edit. Madritanæ 1723. Betancurtius in Theatro Mexicano 4. part. seu Chronicis Provinciæ S. Evangelij c. 4. p. 22. n.108. Edit. Mexicanæ 1698. Ægydius Gonzalez Davila, in Theatro Ecclesiae

clesiæ Mexicanæ pag. 20. Pinelus in Epit. Bibliot. Occid. col. 788.

765 CONCILIUM MEXICANUM II, aliàs I habitum est in ipsâ Imperiali Urbe Mexicanensi anno 1555 Præside & convocante Illmô. & R. D. M. D. F. Alphonsô de Montufare Sacri Ord. Præd. Archiepiscopô Mexicano, assistentibus suffraganeis Episcocopis Illmis. D. D. Basco de Quiroga, Michoacanensi, D. F. Martino de Hojocastro, Tlascalensi, D. F. Thomâ Casillas, Chiapensi, D. Joanne Lopez de Zarate, Goaxacensi (qui inter ipsa Comitia è vivis excessit) absentis verò nomine & justis de causis impediti Goatemalensis Pontificis D. D. Francisci Marroquin D. Didaco de Carbajal ejusdem Ecclesiæ Archidiacono: atque unà cum Præside & Auditoribus ac Fiscali Regij Conventus juridici, Decano & Capitulo Metropolitanæ Ecclesiæ adstantibus, concurrentibusque Decanis Tlascalensi, Xalicensi, & Jucatanensi harum Ecclesiarum Procuratoribus & suffragatoribus. Prioribus & Guardianis Monasteriorum, Senatu Mexiceo, & cùm è Clero, tum etiam ex ordine Equestri gravissimis viris, pro ut eruitur è Præfatione quam eidem Concilio præfixit Illmûs. ipse Archiepiscopus: nam monumenta alia deficiunt omnino pro ejusdem Historiâ hauriendâ, prętcrque Authographum ipsum Archiepiscopi & Episcoporum concurrentium subscriptionibus signatum, aliud est nihil in Archivio Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ ad Concilium hoc attinens, cùm tamen in ipso Tabulario quæque concernunt IV aliàs III omnia acta, consulta, & id genus alia inveniantur collecta. Iccirco & nomina memoratorum, qui adfuerunt, virorum præterita facimus, & cœtera scitu jucunda silentio obvoluta relinquimus.

766 Sanè Illmûs Alphonsus Montufar ex quo Ecclesiæ Mexiceæ cœpit præesse, nullum non adhibuit vigilantissimi officium Præsulis, ut Diœcesi suæ admodum vastę, & Cathedrali nuper à decessore suo V. D. D. F. Joanne de Zumarraga erectæ, provideret, ut in ejus elogio littera A scripsimus. Quòd verò Metropolitani fungeretur honore, onusque sub inde ferre deberet, institutis jam eo tempore Ecclesijs suffraganeis multis, atque in singulis re christianâ progressus admirabiles planè capiente, è re sua duxit Provinciæ Episcopos in cœtum vocare, quorum consultationibus & suffragijs constituerentur ea, quę pro Christianitate totis retro annis 34. mirum in modum excrescente, firmandâ, augendâque in conterminis Regionibus, etiamnum amplissimis, viderentur expeditiora, & pro Ecclesiasticâ disciplinâ tuendâ fovendâque aptiora. In hunc collimarunt scopum Concilij Decreta tria supra nona-

nonaginta in suas ordinatè classes divisa, queis subjectæ fuere Ordinationes pro Curijs Ecclesiasticijs universæ Provinciæ, & Edictum pro stipendio ipsarum ministris singulis erogando.

767 Capita porro sanctè & prudentissimè pro rerū systhemate statuta, Rempublicam omnem Provinciç christianam concernunt, & cùm Ecclesiasticos, tum etiam homines prophanos opportunè ad animarum salutem, incrementa Catholicæ Fidei ac cæterarum virtutum & Dei gloriam instituunt. Ubi absoluta ea, &, quæ diximus, alia fuerant, solennissimè ut publicarentur diebus 6 & 7 Novembris ejusdem anni 1555 in Ecclesiâ Cathedrali, è suggestu lecta fuère ab ejusdem Concilij Notario Petro de Logroño Præsbytero, coram Archiepiscopo & Episcopis dictis, Auditoribus Regijs Doctoribus Herrera, Mexia, & Montalegre, Regio Fiscali Maldonato, Apparitoreque nobiliori & supremo Gundisalvo Cerezo, assidentibus quoque Decano & Capitulo Ecclesiæ Mexiceæ, & Goatemalensi, Xaliscenci, ac Jucatanensi Procuratoribus, Equitibus & Rectoribus Urbis Mexicanensis, unàque cum Vicario Archiepiscopi generali Doctore Alphonso Bravo de Lagunas, multis Archiepiscopatus & Provinciæ Vicarijs, frequentissimâque coronâ. Mox, ut cautum fuerat cap. 93 ejusdem Concilij, typis excusum fuit hispano, quo conceptum erat, sermone, hoc titulo

Constitutiones Archiepiscopatus admodum insignis & fidelissimæ Civitatis de Tenuztitlam Mexico Novæ Hispaniæ (utroque enim nomine, id temporis, Urbs amplissima dicebatur) in folio, constatque Liber folijs 49 integris, atque in postremâ pag. isthæc leguntur: *Ad laudem & obsequium Dei jussit Illmûs. & Rdmûs. D. D. Alphonsus de Montufar Archiepiscopus dictæ hujus S. Ecclesiæ Mexicanensis typis excudi Constitutiones istas Synodales: quæ absolutæ & excusæ fuerunt à Joanne Pablos Lombardo, Typographo primo in hac magna, insigni, & fidelissima Civitate Mexici, decima die Februarij anno ab incarnatione Dominica 1556.*

Plurima cusa fuisse exemplaria argumento est postremum Concilij decretum jubentis in singulis totius Provinciæ Ecclesijs ac Parochijs haberi eorum unum palam cunctis expositum, atque prætereà Canonicos singulos, Beneficiarios, Vicarios, Rectores, Capellanos unum sibi quemque Codicem, gravi impositâ mulctâ coemere. In præsentiarum autem Liber est inventu perrarus etiam in Americâ nostrâ, in Europa verò vix notus, adeò ut vigilantissimus & eruditissimus Cardinalis D. D. Josephus Saens de Aguirre t. 4. Collectionis maximæ Conciliorum omnium Hispaniæ & Novi Orbis pag. 292 Concilio Mexicano III, quod edidit, hanc scrip-

ſcripſerit Præmonitionem ad Lectorem. *Concilium Mexicanum Provinciale I ſimiliter & II citatur in hoc III nunc exhibendo. Verùm neutrius eorum exemplaria, diu multum que quæſita, nanciſci potuimus: ideo que nec licèt indicare quonam anno, ſub quo Præſide, aut circa quid celebrata fuerint.* Hactenus Purpuratus Scriptor. Concilij hujus meminère Ægydius Gonzalez Davila in Theatro Eccleſiæ Mexicanæ pag. 33. Joannes Diez de la Calle in Memoriali & notitijs ſacris, &c. Ind. Occid. fol. 46. col. 2. Torquemada in Monarchia Indica tom. 3. lib. 17. cap. 20. pag. 263. edit. 1723. Betancurtius in Tract. Urbis Mexiceæ cap. 4. pag. 22. num. 109. Medina in Chronicis Provinciæ S. Didaci Mexicanæ fol. 236. n. 825. Pinelus in Epitome Bibliot. Occid. Edit. anni 1738. col. 788. Moreri in Dictionario Magno, verbo *Mexicus*. Authographum ab Illmís ſubſcriptum Patribus aſſervatur in Archivio noſtræ Eccleſię Metropolitanæ Mexiceę à fol. 191 ad uſque 240 tertij Voluminis ex ijs quæ Erectionem ejuſdem Eccleſię & Concilia Provincialia ejus tria complectuntur.

768 CONCILIUM MEXICANUM III, aliàs II anno 1565 indictum eſt & celebratum Mexici ab eodem Metropolitano Illmô D. M. D. F. Alphonſo de Montufar, qui ſolenniſſimæ cauſâ publicationis Romani Pontificis juſſu faciendæ Sacri & Generalis Concilij Tridentini, recèns abſoluti pro Catholicæ in univerſum mundum difuſſæ Eccleſiæ regimine, Comprovinciales ſuos Pontifices authenticis circum encyclicis litteris evocavit, juxtà que pro ijs conſtituendis, quæ Americanæ Septentrionali noſtræ Eccleſiæ opportuna viderentur & commoda. Mexicum convenère Illmì D. D. Fr. Thomas Caſillas, Chiapenſis, D. Ferdinandus de Villagomes, Tlaſcalenſis, D. Fr. Franciſcus Toral, Jucatanenſis, D. F. Petrus de Ayala, Xaliſcenſis, ſeu Neo-Galleciæ, D. F. Bernardus de Alburquerque, Goaxacenſis: cæteri itidem convocati Epiſcopi legitimè præpediti, haud interfuerunt, memoratis de jure procedentibus, adſtantibus que omnium Procuratoribus Eccleſiarum, Parochorum, & reliquorum, qui dato authentico Edicto juſſi fuerant Comitijs adeſſe.

769 Et principiò quidem Alphonſus Archipræſul, Epiſcopi, adſtantesque cuncti unà omnes voce & animo, collatitia ſententia Sacrum OEcumenicum Concilium Tridentinum libentiſſimè amplexati fuerunt, & flexo poplite ſuſpexère, profeſſi ſe & gloriati filios eſſe Catholicæ Romanæ Eccleſiæ obſequentiſſimos, & ejuſdem Capitis Romani Pontificis juſſionibus ac nutibus etiam exſequendis promptiſſimos, ſubindeque & jurati Tridentinæ Synodo ſubſcripſère,

& in singulis Provinciæ Diœcesibus ipsam publicari jusserunt, atque in usum omnia ipsius Decreta & Præscripta Canonesque deduci, pro ut, Deo auspice, ex tunc ad nostra usque tempora ad unguem & sanctè servantur. Atque hoc cùm esset Provincialis Concilij hujusce caput, primum omnium in eo versatur sanciendo ac firmando. Reliqua ad vigesimũ octavum usque, quod postremum est, insumuntur in fovendâ Ecclesiasticâ disciplinâ, & ijs sarciendis, quæ Neo-Christianorum institutioni congruunt, & universæ Reipublicæ salutaria sunt judicata. Postremò, confirmatum fuit Concilium Mexicanum decem retrò annis habitum, scilicet anno 1555, quod exactè observari Patres voluere, aptarique Decreta ejus Sacrosancti Tridentini sanctionibus omnibus, in primis autem eis quæ Matrimonia clandestina irrita prorsus ac nulla faciunt. Atque ut sancita in præsenti Mexicano Concilio palam omnibus nota fierent, die 11 Novembris ejusdem anni 1565 in Cathedrali Ecclesiâ solenni promulgata sunt more, ipsis Illmîs. Patribus in eam confluentibus, atque ipsos comitantibus Generali Regio Novæ Hispaniæ Visitatore Licéciato Valderrama, & Regijs Auditoribus Doctoribus Ceinac, Villalovos, Puga, & Villanova, itemque Decano & Capitulo ejusdem Ecclesiæ, Rectoribus Urbis Mexicanensis, innumerisque alijs, coram faciente fidem Notario Apostolico & à Secretis Cócilij Joanne de Ibarreta. Tum Præsules congregati Illmì. decrevère, uti publici juris fierent Apostolicæ Constitutiones 7, quas paulo ante à Catholico Rege missas acceperant, Indorum atque hujus Americæ Episcoporum favori, & rei christianæ cómodis admodum profuturas.

770 Hujusce Concilij editio nulla est, cujus Authographum ab eisdem assistentibus Prelatis subscriptum, extat in Tabulario Ecclesiæ nostræ Metropolitanę t. 3. citato à fol. 160 usque ad 169. Exemplar ejus Mss vidimus in Bibliotheca Collegij Maximi SS. AA. Petri & Pauli Societatis Jesu, ad calcem Voluminis Concilij Mexicani habiti anno 1555 & editi anno sequenti proximè: Huic autem Mss titulus hispanus præfixus est: *Concilium Provinciale Mexici celebratum anno 1565.* opinamurque Volumen istud unum ex illis esse, quę accuratissimus & eruditissimus D. Carolus de Siguenza & Gongora Jesuitis Collegij Maximi testamento legavit.

Meminère ejus Concilij Joannes Diez de la Calle in Memoriali supra citato fol. 46 col. 2. & P. F. Balthassar de Medina in Chronicis Provinciæ S. Didaci Mexicanę fol. 236. n. 825 tria Metropolitanæ hujus Ecclesię Cócilia enumerans tacitis annis primi & secundi, nisi, quod facit Be-

Betancurtius loco superius dicto, primum intellexerit habitum à P. F. Martino de Valencia anno 1524, secundumque indictum ab Illmô. Alphonso Montufare anno 1555: tertium coactum ab Illmô. D. D. Petro Moya de Contreras anno 1585, subindeque habitum anno 1565 preterierit, quod ejus notitiam aufugerit, uti credimus Synodum hanc latuisse Ægydium Gonzalez Davila ejus immemorem, & Pinelum in Epit. Biblioc. Occid. ac plerosque Scriptores.

771 Concilium Mexicanum IV, aliàs III, omnium Americæ Septentrionalis solennissimum fuit, cujus Decretum indictionis Mexici subscriptum habetur 1. Februarij anno 1584. ab Illmô Archiepiscopo Mexicano D. D. Petro Moya de Contreras, ut 6 Januarij proximè venturi anni frequentissima haberentur Ecclesiastica totius Provinciæ latissimè patentis comitia. Edicta & in ipsa Metropoli, Monasterijsque Dominicanorum, Franciscanorum, Augustinianorum, & Jesuitarum publicè legi jussit, & in singulas Diœceses trina pro Episcopo, Capitulo, & Populo vocandis transmissit, ut Goatemalenses, & Chiapenses, Michoacanenses, & Tlascalenses, Juçatanenses & Goadalaxarenses seu Xalisceenses, Veræpacenses & Goaxacenses, sacri juxtà & prophani Ordinis viri primates cum Mexicanensibus Reipublicæ christianæ gratiâ designato tempore, convenirent. Quòd verò eorum multi quam longissimè à Mexico dissiti, immanibus præpediti fluminibus, inaccessis montibus, & hiberni temporis permultis incómodis, præfinitâ sextâ Januarij die adesse haud possent, 25 Decembris anni 1584 ad usque 20 Januarij prorrogata dies fuit.

772 Interea loci, Archipræsul omnia pro ritè & sapientissimè ineundo Concilio & habendo dispsuit: A Secretis voluit esse D. D. Joannem de Salzedo in Academia Mexicana Primarium Sacrorum Canonum Antecessorem; Fiscalem verò D. D. Dionysium de Ribera Metropoliticæ Ecclesiæ Parochum. Pro Theologicis consultationibus destinavit MM. F. Petrum de Pravia Dominicanum, ejusdem Academiæ Primariæ Theologiæ Cathedræ Professorem, & F. Melchiorem à Regibus Augustinianum, Primarium itidem in ipsa Academiâ Theologum (erant enim hujus Facultatis Primarij duo;) item F. Joannem Salmeron in Monasterio S. Francisci Mexicano Lectorem Theosophiæ, P. Joannem de Plaza Soc. JESU Doctorem Theologum, & D. Ferdinandum Ortiz de Hinojosa Universitatis Professorem Philosophiæ, & cùm in hac, tum etiam in Theologiâ & Canonico jure doctoralibus apicibus redimitum. Consultores, quòd ad juris negotia & salebras attinet, insigni-

nivit Ecclesiæ suæ Archidiaconum Doctorem D. Joannem Zusnero; mox dictum D. Joannem de Salzedo Secretarium, utroque functurum officio: Doctorem Fulgentium de Vic & Patrem Doctorem Petrum de Morales, Soc. JESU, non minus Juris quam Theologiæ peritum. Pro Ceremonijs ad amussim servandis Canonicum Alphonsum de Esija, & qui ad manum esset Secretario Concilij Baccalaureum Jacobum de Esquivel Præsbyterum, Notarium constituit, ac ne quid prætermittamus, ad januam futuros Præsbyteros Ferdinandum de Espinaz & Balthassarem Vellerinum statuit, Nuntiosque Ferdinandum de Bustamante, & Lazarum Hernandez itidem Sacerdotes. Unicuique destinatorum suum explicatè munus traditum est scripto, minutissimèque & oculatissimè cauta sunt omnia, quæ præcedentiam, sedes, ordinemque universum concernerent, ne gravissimæ Congregationis quietem & decus dissidium aliquod aut dubietas interturbarent.

773 Ubi præfinita 20 Januarij dies proxima erat, convocati Illmî. Præsules Mexicum accessère DD. FF. Gomez Garcia à S. Maria, Goatemalensis, D. D. F. Joannes de Medina Rincon, Michoacanensis, D. D. Didacus Romanus, Tlascalensis, D. D. F. Gregorius Montalvo, Jucatanensis, D. D. F. Dominicus Arzola, Goadalaxarensis, seu Novæ Galleciæ, D. D. F. Bartholomęus de Ledesma, Antequerensis, seu Goaxacensis. Tum autem 18 Januarij publicè in Foro & alibi conclamatum fuit, ineundum Concilium die SS. Martyribus sacra Fabiano & Sebastiano, qua demum illucescente, Supplicatione solennissimâ & ordinatissimâ Ecclesiastici omnes Laicique plurimi à Templo S. Dominici ad usque S. Augustini processère, Edictaque iterum lecta sunt, cùm latino, tum etiam hispano sermone composita. Aderant in florentissimâ hacce coronâ Auditores Regij omnes atque Fiscalis, coram quibus, Patribusque Concilij & reliquis palam fecit Archiepiscopus Mexicanus D.D. Petrus Moya de Contreras, Concilij Præses, non hoc tantùm nomine se Comitijs adfuturum, sed etiam Regio, ut qui Catholici Hispaniarum Monarchę vices agebat, Visitatorisque Generalis Regni hujus, Gubernatoris & Ducis Hispaniæ Novæ, atque Auditorij & Cancellariæ Præsidis munera obibat.

774 Auspicatissimè cœpti fuere conventus, & re divinâ, & precibus sacris, & Declamationibus eruditis, quæ multæ licèt fuerint à doctissimis viris habitæ, horum tamen latent nomina, unius præter Roderici à S. Bernardo Collegij Majoris Divę Mariæ & Omnium Sanctorum alumni, postmodum nudipedas Carme-

litas sectati, quibus semel & iterum Provincialis est datus, qui que Cuioacanense Collegium florentissimum condidit, ut Generalis eorum Chronographus P. F. Emmanuel à S. Hieronymo memoriæ prodidit Tom. 6. Refor. Lib. 25. cap. 3. Adhæc, in decursu Congregationum alia à litteratis Mexiceis data obsequij erga conscriptos Patres sunt monumenta, Poeticumque institutum Certamen, cujus rudera habemus apud D. D. Bernardum de Balbuena, tunc Baccalaureum post a Episcopum Portudivitensem, qui in Magnalibus Mexiceis fol. 31. col. 2. hujus testis est concertationis habitæ in festo Corporis Christi, coram septem Episcopis, subjungens hispanos à se ea occasione conditos numeros, & à judicibus premio donatos.

775. Porrò multa & gravissimi negotia momenti in quotidianis sessionibus agitata fuère pro tota Provinciâ, revocatis ad incudem præhabitis anno 1555 & 1565 Provincialibus Concilijs Mexicanensibus, ut ea rursus obfirmarentur, quæ præsenti rerum systhemati convenirent, quæ verò, experientiâ duce, oporteret aut enucleatius tradi, aut aliter disponi, novis constitutionibus sancirentur, nullumque Ecclesiasticæ disciplinæ, & rei Christianæ caput maneret, quin ipsi provisum iret. Præter hæc à colendissimis Patribus & Doctissimis Consultoribus meditata & proposita accuratissimèque perpensa, undique vastissimi Regni Quæsita sunt allata dfficillima certè, de quibus vel in Concilio, si ita Illmîs. videretur, Decretum fieret, vel, responsione datâ, ij qui interrogaverant instruerentur. In his fuere contractus ab argenti & auri fossoribus & negotiatoribus instituti pro emendo, vendendo, & tractando metallo, cùm adhuc terreis admixto fœcibus, tum etiã eis purgato, & ex arte polito. Multæ etiam negotiationes aliæ, plura lucri gratiâ quærendi commercia, id que genus in examen adducta sunt. Impartitiones solitæ Indorum, quæ negotium jam diu multum facessérant, ad libram revocatæ fuerunt, & pleraque alia, quibus accessit ab Regio Auditorio transmissum ad congregatos Patres dubium de bello adversus Chichimecas valdè anceps, de quo, ut etiam de nonnullis alijs, Concilium non modò à Consultoribus suis requisivit sententiam, verùm aliorum quoque Sapientum audire responsa voluit scriptis data (ut mos fuit perpetuus Concilij) Dominicanorũ, Franciscanorum, Augustinianorum & Jesuitarum. Hęc inter ab usque Philippinis Insulis litteræ acceptæ fuere, per quas primus earum Episcopus vir Clarissimus D. D. F. Dominicus de Salazar, è Mexicano Prædicatorum Cœnobio assumptus, Concilij Pontifices de multis pro

Ecclesiâ suâ instituendâ rogabat.

776 Plurimam certè Patres operam in tot expediendis posuerunt: plurimam Consultores; præ reliquis tamen à secretis una & consultationibus D. Joannes de Salcedo, qui à capite ad calcé Decreta ordinavit omnia Concilij, atque in quinque Libros distinxit, quorum primus 26 titulos; secundus 10; tertius 36; quartus duos; quintus 12 continet; singuli autem tituli multa Decreta. Ad calcem accessère *Statuta ab eodem Concilio ordinata ex præscripto S. Concilij Tridentini sessione 24. cap. 12. de Reformatione, verbo Cætera*, unico libro comprehensa; in quatuor partes diviso, ex quibus prima exhibet 18 capitula: secunda 11: tertia 9: quarta 10. Sanè opus quicumque legerit vir eruditus Doctissimum sanè pleno ore dicet, ut ipsum appellare non est veritus Doctissimus in paucis atque Eminentissimus Cardinalis de Aguirre. Id elucubratutus Salcedo eximiæ in utroque jure, qua eminebat peritiæ, æqualem in Concilijs Ecclesiasticis junxit eruditionem, evolutis, nec oscitanter perlectis 34. quæ usu ei fuere, & quorum indicem dedit ad calcem Concilij hujus Mexicani priusquam ad Statuta devenias fol. 100 editionis Mexicææ anni 1622. Singula autem indicat opportunis ad marginem totius Operis locis, unàque plura pro vario argumento ex Juribus & Patribus monumenta. Non abs re erit fragmentum hîc excribere Epistolæ pulcherrimæ & gravissimæ Concilio præfixę ab Illmô. Archiepiscopo Mexicano D. D. Joanne de la Serna, qui typis excudi illud multo sumptu & diligentiâ pari curavit, quod fragmentum lucem hactenus dictis afferat. Sic post alia habet.

777 *Quod cum optimè perpendißet D. Petrus Moya de Contreras Prædecessor noster, vir jure mille titulis & nominibus venerandus, quamvis gravissimis distentus curis, & totius hujus Regni Gubernatione occupatus, Provincialem Synodum coegit, in qua Doctissimi Episcopi comprovinciales interfuerunt, quorum maturo consilio, & qua summâ præditi erant prudentiâ municipales leges fuerunt conditæ, consonantes quidem Patrum antiquorum Doctrinæ, Sacrorum Conciliorum Decretis, Juri communi conformes, maximèque regionis istius moribus, & hominum conditioni aptatæ. In qua re licèt omnes, qui de jure Concilio interfuerunt, communiter insudarunt: sed in ordinandis & disponendis Decretis plus cæteris laboravit Doctor D. Joannes de Salcedo tunc Secretarius simul & Consultor dicti Concilij: Sacrorum Canonum Primariæ Cathedræ Moderator, & in illa nunc Emeritus, nostræ Metropolitanæ Ecclesiæ meritissimus Decanus, in posterum autem majorum hujus Regni Ecclesiarum Pontificalem sedem pro meritorum censurâ occupaturus.* Hactenus Illmûs. D. Serna, qui multa paucis complexus est, & Concilij insti-

ſtitutum ac doctrinam bono in lumine collocavit.

778 Abſolutum fuit die 17 Septembris ejuſdem anni 1585, qua die recurrente ſingulis annis ſolenne in Eccleſiâ Metropolitanâ noſtra feſtum habemus pro gratiarum actione ab memorato D. D. Joanne de Salcedo proprio ære inſtitutum. Tunc verò, offendiculis rem morantibus, non niſi die 16 Octobris ab univerſis eidem qui adfuerant Epiſcopis unà cum Archiepiſcopo ſubſcriptum fuit & ſigillo Conciliarij munitum, ac nomine Secretarij obfirmatum. Mox in Cathedrali Eccleſia, incredibili pompâ & acclamatione, frequentiâque omnium Ordinum, Regij ſtatus ac politici, Eccleſiaſticique, & innumeri Populi confertiſſimâ, publicatum. Scriptum vernaculè fuerat ab memorato ſupra Clariſſimo Doctore Salcedo; dein verò latinè converſum eſt à P. Petro de Ortigoza Societatis JESU, in Academia Mexicana Sacræ Theologię Doctore Anteſignano multis titulis colendiſſimo. Priuſquam typis committeretur, ea peracta ſunt, quæ mox laudatus Archipręſul Dominus Serna in citata Epiſtola annectit. *Subjectum fuit* (inquit) *celebre hoc Concilium integerrimæ cenſuræ Senatus Regij Indiarum, de cujus licentiâ & approbatione tranſlatum eſt Apoſtolica authoritate firmandum, in quo quidem tantum temporis conſumptum eſt, ut jam antiquatum videretur, ſeu de medio ſublatum; ſed cùm advertiſsem quod quò impares ſunt vires noſtræ ad tantam Provinciam ſuſtinendam, eò pluribus auxilijs indigemus, quorum præcipua ſunt dicti Concilij Decreta, nullum non movimus lapidem, nulli ſumptui pepercimus, ut Volumen hoc oblivioni traditum in lucem prodiret præloque mandaretur, &c.* Fauſtè tandem ac feliciter Romæ à Sacra Congregatione Cardinalium Concilio Tridentino interpretando authoritate SS. Domini noſtri Sixti V præpoſitorum expeditum fuit 27 Octobris anno 1589. Regiaque Schedula data 9 Februarij anno 1621. Privilegium ſupra memorato Illmô. Archiepiſcopo Mexicano D. D. Joanni de la Serna conceſſum eſt, ne quis præter ejus beneplacitum typis edere Volumen poſſet. Prodijt itaque hoc titulo

Sanctum Provinciale Concilium Mexici celebratum anno Domini milleſimo quingenteſimo octoageſimo quinto: Præſidente in eo Illmò. ac Rmò. D. D. Petro Moya de Contreras Archiepiſcopo Mexicano. Romæ confirmatum die 27 Octobris anno 1589. Nunc verò ad inſtantiam & ex ſumptibus Illmi. ac Rmi. D. D Joannis de la Serna Archiepiſcopi Mexicani juſſu Regio editum Mexici apud Joannem Ruiz Typographum anno Domini 1622. in folio.

Editionem hanc conſecutæ ſunt aliæ plures, ab ijs adornatę, qui Collectiones Conciliorum, cùm Generalium, tum Provincia-

cialium studiosè curarunt. Extat Mexicanum hoc nostrum in Labbeana Lutesię Parisiorum excusa tomo ultimo: item in altera collectione Regia P. Joannis Harduini Societatis JESU Parisijs etiam edita in Typographia Regia anno 1714 tom. 10 à col. 1587 usque ad 1714; præterea laudatus supra D. D. Cardinalis de Aguirre tom. 4 Collectionis maximæ Conciliorum omnium Hispaniæ & Novi Orbis à pag 292 ad usque 411 ipsum exhibuit; à pag. verò 412 ad usque 416 Catalogum Præsulum Ecclesiæ Mexicanæ cum ipsorum elogijs inseruit, & de subscriptionibus hujus Concilij nonnulla eruditè subjunxit, n. 3. Catalogi ubi de D. D. Petro Moya de Contreras Concilij Præside, Concilium ipsum Doctissimum sanè compellans. Prius verò quam Collectionem dictam publici juris fecisset, in Noticia Conciliorum Hispanię atque Novi Orbis prodromi instar edita in 8 Salmanticæ apud Lucam Perez. 1686 Concilij nostæ specimen dedit atque Compendium à pag. 455 ad usque 460.

Editionem alteram proprijs sũptibus fieri procuravit Illmûs D. D. Joannes Gomez de Parada Episcopus Jucatanensis, Vir clarissimus, & disciplinæ Ecclesiasticæ egregiè solicitus, prodijt que Concilium Mexicanum Parisijs 1725 in octavo.

Ejus meminère, præter Betancurtium in Tractatu Urbis Mexiceæ cap. 4. pag. 22. n. 110. & Medinam in Chronicis Provinciæ S. Didaci Mexicanæ fol. 236. col. 2. n. 825. ac alios nostros, Ægydius Gonzalez Davila in Theat. Ecclesiæ Mexicanæ pag. 37. Joãnes Diez de la Calle in Memoriali & Noticijs Sacris & Regalibus Imperij Indiarum Occidentalium fol. 46 col. 2 n. 26. Author Operis Lugduni editi apud Fratres de Ville 1738 hoc titulo: *Delectus Authorum Ecclesiæ Universalis, seu Nova Summa Conciliorum.* Tom. 2. col. 2080. Author quoque Deffensionis Canonicæ pro Angelopolitani Episcopi dignitate fol. 84. col. 2. n. 30 usque ad 42 & fol. 86. col. 2. n. 37. multis ejus authoritatem asserens. D. Antonius de Leó Pinelo, in Epit. Bibliot. Occid. col. 788. Idemque in Opusculo morali de Potione Chocolate dicta fol. 40. Moreri in Maximo Dictionario Historico verbo *Mexicus.* M. F. Joannes de Paz Dominicanus in Consultationibus suis, Consultatione 60. fol. 167. n. 396. testatus in Archivio Ecclesiastico Manilensi asservari Constitutionem SS. D. N. Urbani VII 11 Martij 1626 jubentis, Manilæ quoque Insularum Philippinarum Concilium hoc nostrum Mexiceum ad unguem observandum, quod & citatus Pinelus in Opusculo nuper allegato conscripserat, & Regiæ novæ Collectionis Indiarum Legibus cautum est. Coronidem ve-

rò auream ut ſcriptis hactenus imponamus, Smî. & eruditiſſimi Domini noſtri Benedicti XIV Pont. Opt. Max. Opus de Synodo Diœceſana indicemus, in quo ſæpius Concilium noſtrum laudat, & pro varietate rerum, quas doctiſſimè, ut aſſolet, tractat, opportunè multis in locis citat. Atque hinc pronum eſt conjectare quanti habenda hæc Synodus ſit, quæ tanti à Romanis Pontificibus, Catholicis Regibus, Virisque doctiſſimis & graviſſimis, cùm alibi, tum etiam in Romanâ Curiâ maximi æſtimatur, ut præter alios, teſtis fuit nobis, qui in ea diu egerat Illmûs. D. D. Joannes de Vizarron & Eguiarreta Archiepiſcopus unà Pro-Rexque Mexicanus.

779 CONCILIUM PORTUDIVITENSE I ſeu SYNODUM DIŒCESANAM longè ante annum 1624. initam habemus ex Joanne Diez de la Calle, loco proximè indicando, teſtante, ita ſcriptum fuiſſe ab Illmô. quem ſtatim memorabimus, Balbuena Præſide II Concilij quod ſubdìmus.

780 CONCILIUM PORTUDIVITENSE II ſeu SYNODUS DIŒCESANA celebrata eſt anno 1624 ab ejuſdem Epiſcopo Illmô. D. D. Bernardo de Balbuena, ut Ægydius Gonzalez Davila in Theatro illius Eccleſiæ habet p. 292 & Joannes Diez de la Calle in Notitijs Sacris & Regalibus Imperij Indiarum Occid. fol. 19 col. 1. eritque credimus Mss in Archivio Eccleſiaſtico ejuſdem Diœceſis.

781 CONCILIUM PORTUDIVITENSE III habitum fuit anno 1645 ab ejuſdem Eccleſię pręclaro Antiſtite Illmô. D. D. Fr. Damiano Lopez de Haro Ord. SS. Trinitatis, quod abſolutum ut typis excuderetur Regium beneplacitum petivit & tenuit, ut Joannes Diez de la Calle teſtatur in Memoriali & Notitijs Sacris & Regijs Imp. Ind. Occid. fol. 19 col. 1. ſubjungens, Catholicum Regem datis ad Gubernatorem Inſulę & Magiſtratus litteris juſiſſe, ut pro ejuſdem Synodi obſervantiâ Epiſcopo ferrent ſuppetias. Meminit Concilij hujus Ægydius Gonzalez Davila in Theatro ejuſdem Eccleſię pag. 296. Utrum autem demum factum fuerit juris publici opere typographico, latet nos, qui nullibi Codicem expiſcari potuimus.

782 F. COSMAS BORRUEL, Natione Hiſpanus, clara gente ortus Cęſaraugustę, ſtudijs Mexicanus & Domicilio fuit. A primis annis ad noſtros traductus, Grammaticam & Philoſophiam hauſit in Max. Soc. JESU Collegio Mexiceo, plurimosque inter Condiſcipulos ingenio & progreſſu litterario inſignes dinumeratus eſt. Baccalaureus in Univerſitate noſtra formatus, Gymnaſijs ejuſdem ſe addixit Theologicis, & Academiam S. Philippi Nerij profeſſus, magna utrobique laude donatus eſt, cùm ab exculta ſeve-

veriori Facultate, tum etiam ab amœnissimâ in re Poetica & Panegyrica exercitatione. Ubi Theosophię reportaverat laurum, in Guadalaxarensem Curiam Novæ Gallecię migravit, ab ejusdem Episcopo D. D. F. Emmanuele de Mimbela, cujus clientelæ fuerat commissus, eo cônsilio vocatus, ut sacris initiaretur, Diœcesique inserviendę munere destinaretur aliquo insigni, & ejusdem dotibus congruò. Collegio itaque prę fectus Seminario, & magni à sapientibus habitus, eo se abdicavit officio & spe ulterius in honoribus proficiendi, atque Instituta Seraphici P. S. Francisci sectari cupiens, apud ejusdem Ordinis Regularis Observantiæ Apostolicum Collegium de Propaganda Fide, nisi fallimur, Zacatecanum solenni vota ritu concepit. Ut erat ad utrumque suggestum litteris comparatus & usu, & Lectoris Theologiæ in eodem Collegio munus strenuè exercuit magno eruditorum hominum plausu, & Prædicatorem Apostolicum egit multo cum fructu, ingenium, quo pollebat, & doctrinam in hunc destinatò finem intendens, ut Dei gloriæ & animarum saluti consuleret, proptereaque confessionibus excipiendis, & cæteris severissimæ Congregationis suæ exercitationibus incumbebat. E multis à se scriptis concionibus, apud Sodales forsan stantibus, aliquas edidit hispano sermone, quas hîc subnectimus.

Syngrapha securior, & pro ad diem accipienda pecunia utilior: Concio habita in supplicatione ad Christum Dominum è Cruce pendentem pro Hispanorum Regum fœlicitate à Zacatecanis celebrata. Mexici, typis Josephi Bernardi de Hogal 1728 in quarto.

Nova spiritualis Arx in subliminori Zacatecanorum colle pro ipsorum custodiâ & præsidio condita, seu Concio in Dedicatione Sacelli Patrocinio Deiparentis Virginis nomine ædificato. Mexici, in eadem Calchographia 1729 in quarto.

Clarior Imago abstrusiora Deiparentis Virginis exhibens, seu Concio de mirabili Imagine Guadalupia Mexicea. Mexici, litteris Josephi Bernardi de Hogal 1733 in quarto. Extat tom. 9. Collect. nostræ.

Suam Christus donis Deitatem explicat: Concio dicta in solenni ad Crucifixum Dominum instituta oratione pro Zacatecanorum calamitatibus amovendis. Mexici, eisdem formis 1734. in quarto. Habetur tom. 12 Collect. nostræ.

Inter Authoris Opera Mss putamus

Tractatus Theologicos varios juxtà Scoti systhema elucubratos,

Quorum nos latent tituli, erunt que Sodalibus noti, eos hîc addituris. Quondam Poetica ejusdem Opuscula vidimus, cum in Academiâ versaretur Neriana, & publicè ab ipso recitata, & privatim conscripta, acumine plena, nullo que negotio pulchra & affluentia

FINIS TOMI I.

PROTESTATIO AUTHORIS.



UM S. D. N. Urbanus Papa VIII die 13 Martij anno 1625 Decretum ediderit, idemque confirmarit die 5 Julij anno 1634 quo inhibuit *imprimi Libros hominum, qui Sanctitatis seu Martyrij fama celebres è vita migraverint, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcumque beneficia tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione atque approbatione Ordinarij,* & quæ hactenus sine ea impressa sunt nullomodo vult censeri approbata; Idem autem Sanctissimus die 5 Junij anno 1631 ita explicuerit, ut nimirum, *non admitantur elogia Sancti vel Beati absolute, et quæ cadunt super Personam, benè tamen ea, quæ cadunt super mores et opinionem, cum Protestatione in principio, quod ijs nulla adsit authoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantùm sit penes Authorem:* Huic Decreto, ejusque Confirmationi & Declarationi observantiâ ac reverentiâ, qua par est, insistendo, profiteor, me haud alio sensu quidquid in tota hac Bibliotheca Mexicana refero aut attingo, quod materiam concernit in prædictis Decreto & Declaratione ac Confirmatione contentam, accipere, & accipi ab ullo velle, quam quo ea solent, quæ humana duntaxat authoritate, non autem Divina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ aut Sanctæ Sedis Apostolicæ nituntur, ijs tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adscripsit.